Nunc meliu cula quercus
pascunt, redduntq ora

Axem humero torquet stellis ardentibus aptu

Io: Paul Schor inu. G. Castellus Sculp

QVAESTIONES DE VIRTVTE IVSTITIAE

Ex prælectionibus

R. P. MARTINI DE ESPARZA ARTIEDA SOCIETATIS IESV.

Disputandæ

AB EVSEBIO COMITE TRVCHSES

In Aula Collegij Germanici, & Hungarici.

Romæ Anno 1655. Mense Iunio Di[e]





Donu S.S. H. Alexandri VII.

Romæ, Typis HH. Corbelletti. MDCLV.

Superiorum permissu.

Adatus J. Vincentij Lach. a Serra u. [illegible] [illegible] gratis s. off[illegible]

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P.Mag.Sac.Palatij Apost.

M. A. Oddus Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capisuccus Ord.Præd.Sac. Apost.Pal.Mag.



INDEX QVÆSTIONVM DE IVSTITIA.

Q.27.

Q.43.



QVÆ.

QVAESTIONES DISPVTANDÆ DE VIRTVTE IVSTITIÆ

QVÆSTIO PRIMA

Vtrum ius sit obiectum Iustitiæ.

VIDETVR non esse 1. Quia Celsus Iurisconsultus teste Vlpiano. ff de Iustitia, & iure l.1. definit ius *artem boni, & æqui*, hoc est peritiam legum, seu iurisprudentiam. Manifestum autem est iurisprudentiam non esse obiectum virtutis iustitiæ, ergo ius non est obiectum eius.

2. Iudices ferentes sententiam in rebus litigiosis dicuntur ius dicere; quapropter ius est idem quod sententia Iudicis. Patet autem sententiam Iudicis non esse obiectũ, sed potius actum & exercitium virtutis iustitiæ. Multo minus ad obiectum eius pertinere potest locus in quo Iudices causas au-

diunt, & sententias ferunt, qui etiam iuris nomine significari solet. Similiter ab obiecto huius virtutis, excluditur ius iuxta aliquas alias ipsius significationes, quas referunt Valentia, in præsenti quæstione 1. p.1. alijque communiter; ergo ius non potest dici obiectum Iustitiæ saltem secundum omnem suam latitudinem, sed cum aliqua restrictione, ac determinatione.

3. Si ius esset obiectum adæquatum virtutis iustitiæ, non posset hæc virtus exercere vllum actum, absque obligatione exercendi; quia ius essentialiter est inductiuum obligationis, & nulla virtus prætergredi potest limites sui obiecti formalis. Sequela autem est falsa, quia omnis virtus potest elicere aliquos actus promotiuos perfectionis solùm ex consilio, & absque timore iniecto per legem obligantem; nec enim quoad hoc inueniri potest vlla ratio discriminis inter alias, atque alias virtutes.

R. Docti & indocti consentiunt iustitiam esse virtutem ad quam pertinet ius suum vnicuique tribuere, id que ita constituunt, Mag. in 3. dist. 36. D. Thomas 2.2. quæst. 57. Philosop. 5. Ethicorum, ius Canonicum dist. 1. Ciuile, ff. de iustitia & iure, vbique sub initium; quæ loca subintelligenda deinceps erunt in singulis respectiuè citationibus, dum aliud non adnotabitur. Vnde dubitari minimè potest quin ius sit obiectum iustitiæ; quod proinde explicari initio oportet, vt obiecto prius cognito innotescat deindè melius habitus illud respiciens, atque ex eo desumens speciem. Ius itaque sumitur aliquando passiuè pro ipso iusto, seu pro eo quod debetur ratione iuris aliquando verò actiuè pro radice & norma ipsius

iusti

iusti, vnde iustum à non iusto discernatur. Ius actiuè sumptum est potestas libera faciendi ac disponendi pro libito, inducendo aliquam in alterum obligationem; qua de causa potestatiuum appellatur. Istud porro ius potestatiuum diuiditur bifariam. Aliud namque est iurisdictionis; aliud proprietatis. Ius iurisdictionis dici solet potestas non eius cui inest, sed eius, qui illi subest vtilitati & fœlicitati promouendæ deuincta. Ius proprietatis è conuerso dicitur; potestas propriæ subiecti, cui inest, vtilitati, ac fœlicitati inseruiens.

Ex his duobus iuribus potestatiuis suboritur duplex aliud ius actuale. Actus enim quibus vnaquæque ex dictis potestatibus exercetur, constituunt ius actuale potestati, ex qua oriuntur, correspondens. Vnde leges ac præcepta & iudicum sententiæ, quæ sunt actus iurisdictionis: & quod quisque de rebus suis disposuerit donatione, contractu, vel alio modo concernente proprietatem, iuris actualis nomine censentur. Ex vtrisque demum potestatibus & earum actibus resultat denominatio iuris obiectiui in res circa quas ipsi versantur, quod ius obiectiuum est idem cum iure, quod nuper passiuum appellatum est, & coincidit cum iusto seu cum eo quod vnicuique debetur, ratione iuris. Iustum autem perinde est atque æquale; Dicuntur enim iustari, quæ ad æqualitatem rediguntur, vt notat D. Thomas art. 1. quapropter dum de moribus agitur, id iustum dicitur quod iuri potestatiuo, & eius actui adæquatur, siue sit ius iurisdictionis, siue proprietatis.

Iustum porro, quod relatè ad ius iu-


risdictionis tale dicitur, conuertitur cum honesto & complectitur obiecta omnium virtutum; quia leges & præcepta, quæ sunt actus eius iuris, disponunt de actibus omnium virtutum, licet non omnibus, atque adeò ambiunt obiecta omnium virtutum. Patet igitur eiusmodi ius & iustum non esse obiectum proprium, ac speciale iustitiæ de qua in præsenti agendum est. Hæc enim est virtus quædam specialis, à cæteris omnibus distincta, vt infra patebit; & licet detur virtus specialis, quæ respiciat obiecta substantia legibus, ac præceptis & iurisdictioni formaliter quatenus illis subsunt, ea tamen non est iustitia ista specialis, sed obedientia. Multo minus ad præsens spectant aliæ iuris acceptiones, deriuatæ à iurisdictione, qualis est illa Celsi pro arte boni & æqui; & illa alia pro loco in quo iudicium exercetur, aliæ quæ his similes.

His itaque reiectis iuris acceptionibus, concluditur necessariò obiectum iustitiæ particularis esse ius proprietatis, ratione cuius, sua cuiusque, res aliqua dicitur; nec non iustum passiuè sumptum, quod dependenter ab eodem iure tale denominatur, estque quod vnicuique debetur tanquam suum, atque à Philosopho cap. 1. & 2. & à cæteris deinceps omnibus, æquum seu æquale appellatur, ratione, quæ quæst. 9. magis declarabitur. Interim hoc ipsum ius & suitatem propriam illud habentis, nec non obligationem, quæ ex eodem iure in alios redundat, exponere necesse est diligenter pro pleniori & fundamentali intelligentia cæterorum omnium quæ in progressu dicenda sunt, ma-

ximè

ximè verò pro quidditatiuo virtutis iuſtitiæ conceptu intimè penetrando. Id quod dupplici proximè ſequenti quæſtione præſtabitur.

Ad 1. & 2. patet ex dictis. Ad 3. qualibet virtus ampecti & exequi poteſt, ex vi ſui motiui quacumque conferunt ad finem eidem virtuti præſcriptum. Quia verò ad finem peculiarem virtutis iuſtitiæ, qui eſt ſatisfacere iuribus aliorum & propriæ obligationi erga alios, conferre plurimum poteſt præſtare aliqua vltrà obligationem impoſitam per iura aliorum, patet virtutem iuſtitiæ ex amore ſatisfaciendi obligationi iuris, & nunquam peccandi contra illam, poſſe ſuper erogare alicui vltrà terminos obligationis propriè, & ſtrictè talis. Quo videlicet animus redditur promptior, ac facilior ad ea præſtanda quæ per aliorum iura directè, ac immediatè exiguntur.



QVÆSTIO II.

Vtrum ius proprietatis sit prælatio moralis vnius respectu aliorum circa vsum rei propter peculiarem huius cum illo connexionem.

VIDETVR non esse 1. Quia nobis conuenit ius aduersus Deum; cui scilicet attribuitur frequenter in sacris litteris iustitia respectu nostri; atque hæc essentialiter præsupponit ius in eo circa quem exercetur: & tamen nulla nobis conuenit prælatio respectu Dei, in re vlla quoad vllum eius vsum, aut actionem; quandoquidem Deus in omnibus & quoad omnia præferendus semper est. Ergo non est de ratione iuris prælatio habentis illud respectu eorum aduersus quos illud habet.

2. Videtur esse contra communem hominum conceptionem quod ius proprietatis explicetur per ius prælationis, cum potius sit ius æqualitatis. Ideo enim omnes cum philosopho, & D Thoma vbi supra exponunt iustitiam per æqualitatem quam ipsa constituit tribuendo vnicuique suum ius, eamquè propterea repræsentant bilance æquiponderante in vtramque partem.

3. Si duo æquali impensa opera capiant feram neuter habet præferibilitatem respectu alterius in vsu feræ, cum supponantur omnimò æquales; & tamen vterque habet

ius

ius proprietatis aduersus alterum pro medietate. Ergo prælatio non conuertitur cum iure.

4. Vt nullum nobis conueniat ius aduersus Deum, certè Deo conuenit ius proprietatis respectu nostri, & circa res omnes creatas, & tamen nulla illi conuenit prælatio in vsu earum sumpto vsu pro vtilitate, vti sumitur ab auctore expositionis de qua quæritur, & necesse fuit, vt ita ab eo sumeretur, ne tota ea expositio æquè conueniret iuri iurisdictionis. Nulla inquam Deo conuenit eiusmodi prælatio, quia Deus nullius est capax vtilitatis capescendæ ex creaturis.

5. Ius iurisdictionis non minùs quam ius proprietatis fundatur in peculiari aliqua connexione earum siue rerum siue personarum quæ subsunt vtriuis iuri, cum eo cui idem ius adiacet. Explicanda igitur magis erat determinatè connexio, quæ speciali vi fundat ius proprietatis.

6. Ea qualiscumq; cõnexio est extrinseca iuri; imò est separabilis ab eodem. Apprehensio enim feræ ex.g. quæ constituit connexionem eius peculiarem cum venatore; protinus desinit esse eaque desinente perseuerat nihilominus ius in fera, & in vsu feræ. Definitio autem debet esse per prædicata intrinseca & identificata cum definito.

7. Filius debet patri alimẽta debito præsupponente in patre ius propriè tale; alia verò multa debet solùm ex pietate; & tamẽ omnia debet ratione connexionis peculiaris cum patre. Ergo connexio non est sufficiens aut regula, aut indicium, aut causa iuris.

8. Actio physicè connexiua rei cum persona, si fiat animo, illam sibi acquirendi &

faciendi suam parit ius; si minus non parit. Ergo connexio sola nihil facit pro expositione iuris.

9. Nullus superior, seu habens ius iurisdictionis potest citrà iniuriam impediri à gubernatione legitima; & tamen nequit conuertere gubernationem in vtilitatem propriam. Ergo prælatio in vsu sumpto pro vtilitate non est mutuò conuertibilis cum iure proprietatis quod respicit iustitiam oppositam iniuriæ.

R. Primus est Em. de Lugo qui de expositione iuris cœpit agere disputando acutè & accuratè, cum prius sub breui quadam proprij de illa sensus insinuatione ab omnibus transmitteretur; vtpote quæ etiam vulgò notissima ex se videretur. Definiuit autem disp. 1. sect. 1. dicendo; *ius est prælatio quædam moralis quâ hic homo præfertur moraliter alijs in vsu talis rei propter peculiarem connexionem, quam res habet cum eo.* Apponit exemplum in fera capta à venatore quæ ratione capturæ habet peculiarem cum eo connexionem; & venator habet indidem prælationem, quoad vsum feræ aduersus quemlibet alium. Quod si venator donet feram alteri, eo ipso transfertur moraliter ea connexio in donatarium & simul cum connexione prælatio. Et sic in cæteris rebus omnibus contingit, quæ fiunt propriæ & suæ alicuius. Aduertit Cardinalis se per vsum rei intelligere omnem & solam vtilitatem emanabilem ab ea. Qua notatione secernit ius proprietatis à iure iurisdictionis, quod quidem confert præferibilitatem, sed non confert vtilitatem rerum subiectarum.

Diuisit hæc expositio inter se posteriores auctoris, dicentibus alijs eam esse legitimam

iuris proprietatis definitionem; alijs verò non solùm hoc ipsum negantibus, sed insuper prædicata ex quibus conficitur ea expositio esse cōuertibilia & identificata realiter cum iure proprietatis. E quibus posteriores isti nituntur rationibus dubitandi iam propositis, priores verò earundem solutione. Dicendum autem est prædicata quibus conficitur ea expositio esse quidem conuertibilia, & identificata realiter cum iure proprietatis iuxta eum sensum in quo vsurpantur ab eius auctore; cæterum ad legitimam definitionem nequaquam sufficere. Prior pars huius asserti constabit satis ex dicendis in responsione ad rationes dubitandi.

Altera pars de insufficientia definitionis suadetur 1. quia in iuribus subordinatis qualia sunt iura cuiusque ciuis respectu Reipublicæ & Principis atque iura omnium creaturarum respectu Dei, vt alia prætermittātur exempla, prælatio quoque in vsu rei est subordinata ac proinde coniuncta cum aliquà inferioritate, qualis non est in iuribus supremis; Datur etiam prælatio in vsu rerum conueniens quibusdam aduersus alios ex sola vrbanitate, gratitudine, pietate, alijsque similibus titulis, nullum continens ius propriè dictum. Dantur similiter connexiones rerum cum personis maiores, & minores, sufficientes, & insufficientes ad fundandum ius. Omnes namque virtutes ad alterum & non sola iustitia nituntur, vt patet, connexione aliqua peculiari rerum quas exhibent cum ijs quibus exhibentur; & tamen non omnes eæ virtutes nituntur iure strictè dicto: dum ergo non assignatur qualis & quanta tum prælatio, tum conne-

xio determinatè ac præcisè requiratur & sufficiat, vt inuicem coniunctæ pariant ius strictè tale, necesse est vt maneat sub tenebris totus conceptus iuris; hoc est, vt idem conceptus maneat absque legitima & sufficienti definitione; de cuius videlicet ratione est vt sit depulsiua obscuritatis & ambiguitatis circà definitum.

Deinde omnis prælatio, seu præferibilitas est proprietas consecuta ad determinandũ aliquem gradum perfectionis conuenientis præferibili. Vnde necesse est vt detegat eã peculiarem perfectionem, in qua fundatur prælatio, qui vult declarare essentiam rei præferibilis; quæ videlicet est conceptus eius primarius; nec aliter clare & adæquatè satisfaciet auiditati inquirentis quid est res. Nec enim satisfit inquirenti quid est homo aut angelus? si dicatur: est animal præferibile brutis; aut est substantia finita præferibilis homini. Dicitur enim verum vtrobique & quod reipsa est conuertibile cum subiecto, sed non ponitur ob oculos quod est primum & origo cæterorum, vti ponere debet legitima definitio ex conceptu suo.

Adde moralitatem quæ exprimitur in ea expositione quoad prælationem & necessario subintelligitur quoad connexionem, vt apparebit ex responsione ad octauum semper indigere explicatione prædicati physici ad quod consequitur: his igitur de causis prædicta expositio nõ explet vim & perfectionem propriam definitionis legitimæ, eaque proinde adhuc desideratur. Cæterùm quia in eadem subtiliter ac vtiliter obseruata sunt prædicata realiter identificata & conuertibilia cum iure proprietatis, atq;

manu-

manuducentia ad legitimam eius definitionem oportet respondere ad rationes dubitandi, quatenus hanc partem euertere conantur.

Ad 1. nullum nobis conuenit ius inductiuum obligationis in Deum; sed comparatione eius solum habemus ius immediatè respiciens res præuia eiusdem voluntate nobis obligatas. Vnde iustitia Dei quæ commendatur in sacris litteris, quæque præmia nostris meritis retribuit, est illa eadem qua res omnes etiam inanimatas disponit in pondere, & numero, & mensura, conferens eàdem indiuisim voluntate iura rerum, & res ipsas, nulla ad vtrumuis eorum præexistente obligatione, vt infrà exponitur ex professo. Agitur autem modo de solo iure inductiuo obligationis, & quod sit obiectum iustitiæ præsupponentis ipsum ius atque suitatem & debitum ex iure resultans, quale nihil præsupponit iustitia Dei erga nos.

Ad 2. Æqualitas per iustitiam intenta cōsistit in mutua hominum prælatione per quā vnusquisque præfert sibi alterum quoad iura & bona propria ipsius quantum vult se ab altero præferri quoad sua iura & bona; atque hæc mutua prælationum æqualitas; hoc est æqualitas inæqualitatum significatur bilance; quare explicatio iuris per prælationem non est contra communem hominum conceptionem, licet sit supra vulgarem concipiendi modum apprehendentē mutuas prælationes tanquam duas quantitates æquales nullatenus sibi inuicem subordinatas, quam vulgaritatem subtiliter castigauit ac promouit Em. de Lugo.

Ad 3. vterlibet venator habet prælationem respectu alterius quoad vnam medietatem feræ, ita vt quilibet eorum habità

vna medietate, si vlterius contendat esse æqualis socio in vsu alterius medietatis, eo ipso fit illi iniurius lædendo ius eius. Sunt itaq; simpliciter æquales quia habent æquales materialiter & formaliter prælationes vnusquisque respectu suæ medietatis; simul tamen sunt inæquales secundum quid sibiq; inuicem superiores & inferiores comparatione facta cum medietate tum sua, tum alterius.

Ad 4. Hic agitur de iure puro proprietatis seu quod non sit formaliter nisi proprietatis, quale non est vllum ius diuinũ neque quo ad entitatem, neque quoad vllũ suum exercitium vt infra dicetur.

Ad 5. Non necesse est vt vnaquæque pars definitionis seorsim sumpta sit discretiua definiti ab omnibus alijs. Sufficit enim si discernat coniuncta cum cæteris vt apparet maximè in definitionibus cõflatis per differentias mutuo non subalternas, qualis est Aristotelica definitio ternarij & quaternarij per numerum imparem primum,& parem ex paribus primum. Connexio autem secundum se communis proprietati & iurisdictioni,coniuncta cum prælatione in vsu rei conuenit soli proprietati.

Ad 6. Prælatio in vsu rei est intrinseca iuri & identificata cum ipso. Nihil autem vetat prædicatum intrinsecum definito explicare relatè ad aliquid extrinsecum aut etiam seperabile ab eodem quale est connexio & apprehensio respectu iuris.


Ad 7. Dicitur similiter eandem cõnexionem dare prælationem respectu aliquorum bonorum & actionum, non verò respectu aliorum, adeòque ius non definiri sola connexione, sed simul cum prælatione subsecuta ad connexionem.

Ad

Ad 8. Actio Phyſica tangentis, & apprehendentis rem aliquam, ſicut ſe ſola non eſt ſufficienter inductiua iuris ad illam ſeu in illa; ita nec ſe ſola eſt connexiua rei cũ tangente, ac apprehendente. Nec enim quæcumque tangimus, ac apprehendimus connectimus nobis, niſi pro tunc & in ordine ad locum. Neceſſarium nimirum inſuper eſt, adminiculum animi applicantis ſibi rem tactam ac apprehenſam. Ergo dum ponitur in definitione connexio, eo ipſo intelligitur poſita intentio ſufficiens ad acquiſitionem iuris.

Ad 9. Superioritas & gubernatio, ſeipſis ſunt eſſẽtialiter vtiles cuius ſuperiori creato, nec eas habet iure iuriſdictionis ſed iure proprietatis, vnde non illas ſecundum ſe immediatè, ſed actiones inferiorum circa quas verſatur iuriſdictio, prohibetur conuertere in vtilitatem propriam.

Cum his igitur adminiculis ſubſiſtere abſolutè poteſt propoſita ſuperius expoſitio Cardinalis de Lugo.



QVÆ-

QVÆSTIO III.

Vtrum ius proprietatis rectè definiatur libera facultas disponendi de re aliqua in vtilitatem propriam non impedibilis licitè ab alijs?

VIDETVR non rectè definiri. 1. Quia paruulis nondum habentibus vsum rationis, & consequenter nec libertatem conuenit verum ius in hæreditatem Patris qui iam decesserit; possunt siquidem esse domini vniuersorum vt constat ex Apostolo, expressè id dicente. Eadem est ratio de eo qui incidit in amentiam præsertim temporalem. Retinet enim nihilominus iura sua omnia. Ergo non est de ratione iuris libera facultas.

2. Vnusquisque potest vti rebus suis pro libito non minus in vtilitatem ac subuentionem aliorum quam propriam; imò bona temporalia ad hoc potissimum vnius cuiusque iuribus subduntur, vt vnusquisque illis vtatur in communem felicitatem, nec vitio caret auaritiæ, immisericordiæ, aut simili qui res suas omnes ad propriam vtilitatem præcisè restringit. Ergo non est de ratione iuris dispositio in propriam vtilitatem.

3. Iura subditorum sunt impedibilia licitè à supremo Principe, qui potest præcipere & cogere multis de causis vt bona par-

ticularium cum propriâ ſingulorum iacturâ conuertantur in vtilitatem vel communem vel aliorum priuatorum. Ergo facultas iuridica non hoc habet ex eſſentia ſua, vt ſit abſolutè & omninò vniuerſaliter inimpedibilis licitè.

4. Ius iuriſdictionis eſt vtile habenti tum ſecundum ſe, tum quoad multiplicem eius vſum, nec eſt impedibile licitè ab alijs intra proprios terminos, vt per ſe patet; Patet verò clariùs idem ius includere in ſe eſſentialiter liberam facultatem præcipiendi, vetandi, aliarumque ſimilium operationum. Ergo nihil eorum quæ ponuntur in definitione propoſitâ diſtinguit ſufficienter ius proprietatis à iure iuriſdictionis.

5. Deus habet procul dubio ius proprietatis ſupra res omnes creatas; & tamen nulla re creatâ vti poteſt in vtilitatem propriā: quia nulla res creata prodeſſe ipſi quidquā poteſt. Ergo non eſt de ratione iuris proprietatis facultas diſponendi in propriam vtilitatem.

R. Pro conſtituenda atque intimè penetranda legitima definitione iuris proprietatis eodemque iure clariſſimè diſcernendo à iure iuriſdictionis operæpretium eſt obſeruare prius prædicata quædam apud omnes notiſſima, tum iuris in communi tum vtriuſuis eius iuris. Atque imprimis manifeſtum planè eſt de conceptu iuris vt ſic & in communi eſſe prælationem reſpectu aliorum, vti ſuperius rectè docebat Cardinalis de Lugo. Videtur enim per ſe notum habentem ius eſſe præferibilem non habenti, in eo, circa quod verſatur ius. Quid enim notius quam dominum non dominum & ſuperiorem inferiori præcellere quatenus tales ſunt. Ratio eſt quia ius ita fauet vni, vt grauet alios

in

in fauorem ipsius circa eas res aut personas, circa quas versatur ipsum ius. Nempe si duo ita inter se comparentur, vt nihil sit indultum vni, quod non sit indultum alteri circa aliquam rem, simulque neuter vllum grauamen patiatur respectu alterius, patet eo ipso neutri vllum ius comparatione alterius circa eam rem conuenire, nec minus patet grauatum in fauorem alterius quatenus talem non posse esse illi parem. Hinc rursus deprehenditur ad essentiam iuris pertinere potestatem operandi. Qui enim non habet potestatem operandi circa rem aliquam omni fauore iuris proprio destitutus est; nec circa eam obtinet vllam prælationem respectu aliorum, immò postpositionem necessariò patitur respectu omnium potentium operari circa illam. Præmissum verò modò fuit postpositionem istam & eis prælationis defectum repugnare existentiæ iuris.

Iam ea potestas debet esse obligandi alios sola voluntate habentis ius cum hoc discrimine quod obligatio orta à iure iurisdictionis dirigatur in fauorem aliorum; orta verò ex iure proprietatis dirigatur in fauorem & commodum proprium habentis ius, & obligantis alios sua voluntate. Constat enim imprimis iura esse propria substantiarum rationalium; quæ videlicet solæ sunt capaces obligationis moralis imponendæ, & quibus imponatur. Constat similiter iura esse veluti limites quibus libertas substantiæ rationalis circumscribitur ad certum vsque terminum, ne vltrà eum excurrat; & si vlterius progrediatur faciat contra propriam obligationem & lædat ius. Confertur ergo penius libera potestas alicui circa aliquid & simulq; imponitur alijs obligatio ipsos gra-

uans in fauorem talis libertatis.

Verum quia eiusmodi obligatio inde descendit, vnde ius prouenit; ideoque non potest adesse ius ipsi fauens, quin adsit alijs obligatio æqualiter ipsos grauans, concluditur non explicari sufficienter ius per solam potestatem obligandi siue incommodum proprium siue incommodum alienum. Quia hæc explicatio prætermittit obligationem, qua potestas propria iuris ante omne suum exercitium præmonita existit; ita vt ad essentiam talis potestatis pertineat non solum obligatio possibilis imponi per exercitium ipsius, sed etiam & multo magis obligatio iam imposita aliunde non impediendi idem eiusdem potestatis exercitium.

His præcognitis intelligi iam clarius poterunt sequentes definitiones insinuatæ quæst. 1. Ius actiuum in communi est *Libera facultas disponendi circa rem vel personam, quoad vsus vel actiones lege permissas, non impedibilis licitè ab alijs*. Dicitur *libera facultas* quia ius est proprium naturæ rationalis conueniens ipsi quatenus rationalis & libera est. Nimirum agens necessarium nec iuris nec iniuriæ capax est. Dicitur *disponendi*, quia operationes quæ procedunt a iure non sunt actiones simplices & puræ physicæ nullam habentes vim præterquam ponendi suum effectum à parte rei; sed habēt vim quamdam legis ac statuti. Agit enim auctoritatiuè qui vtitur iure, obligans alios ne actioni suæ aduersentur. Dicitur *circa rem vel personam* vtendo nomine rei prout significat aliquid distinctum ab indiuidua substantia rationalis naturæ, quæ vsurpatio rerum est frequens apud omnes auctores in hac materia; atque sub ea voce comprehēduntur etiam serui, quatenus computantur

vt

vt instrumenta] dominorum expertia propriæ libertatis. Dicitur inquam ea disiunctio vt sub hac definitione concludantur ius proprietatis & iurisdictionis, quorum alterum versatur directè circa res, alterum circa personas. Adiungitur illa alia disiunctio *quoad vsus vel actiones* propter eandem rationem. Additur *lege permissas*; quia cum nemo possit habere ius ad peccandum, patet terminos iuris lege circumscribi. Quod si quis nolit his disiunctionibus vti adhibitis claritatis gratia substitui poterit: *disponendi circa aliquod quatenus lege permissum est*. Dicitur demum: *non impedibilis licitè ab alijs*, vt distinguatur potestas propria iuris tum à potestate libera propria latronum & tyrannorum, & aliorum eiusmodi quæ licitè impeditur: tum à qualibet alia eorum, qui siue licitè siue illicitè operari possunt circa rem alienam existente apud alium potestate ipsos honestè impediendi cum libuerit, potest totum hoc efferri breuius dicendo: *ius est libera facultas disponendi de aliquo munita lege fauente ipsi & grauante alios*.

Aduertendum est ius posse alicui conuenire, tum imperfectè per solam denominationem extrinsecam non perficientem intrinsecè subiectum cuius est: tum perfectè per formam intrinsecam perficientem idem subiectum. Priori modo conuenit ius paruulis nondum habentibus vsum rationis & libertatem, adeoque non habentibus in se intrinsecè liberam potestatem nuper expositam; existente tamen iam causa, ex qua in ipsos redundet pro tempore potestas eadem libera. Posteriori modo conuenit ius habenti vsum rationis & libertatem, atque volenti vel actualiter, vel habitualiter, vt res vel personæ sibi subsint, prout ipsi concessum

cessum est. quare in definitione accipiend. est libera facultas pro vt est indifferens ad vtrumque istum modum illam habendi. Idē porrò quod dictum est de paruulis, dicendum est de adulto habente quidem vsum ratio nis, sed nondum habente vllam notitiam potestatis sibi factæ, vt subsint eidem res aut personæ; vel habente quidem notitiam, sed nondum habente voluntatem per quam consentiat potestati sibi factæ, & velit res aut personas sibi subesse. Verum de his dicentur plura quæst. 6.

Interim ex his quæ præmissa sunt pro intelligētia iuris in cōmuni expediri breuiter & dilucidè possunt, species illius proprietas & iurisdictio. Proprietas enim est *ius directè & principaliter ordinatum ad propriam cuiusque fœlicitatem: seu ordinans suum subiectum ad propriam fœlicitatem*. Iurisdictio verò est *ius directè & principaliter ordinatum ad fœlicitatem alienam: seu ordinans suum subiectum ad alienam fœlicitatem*. Vtrobique poni potest loco iuris, quod habet rationē generis, tota eius definitio superius data, addendo potestati, quod sit directè & principaliter ordinata, seu ordinas suum subiectum ad propriam; ad alienam fœlicitatē. Notandum est hoc loco nomen proprietatis vsurpari latissimè pro vt complectitur vsum, fructum, & quasuis omninò species iuris distinctas à iure iurisdictionis; quatenus quælibet alia species iuris facit propriam, & suam eius, cui ius inest, rem aliquam vel simpliciter, vel secundum aliquid eiusdem.

Dicitur autem in vtraque definitione, *directè & principaliter*, quia certum est ex iure proprietatis vnicuique conuenientis redundare in alios plura bona qualia sunt dona-

donationes, liberales ac misericordes, commutationes, & omnis generis contractus aliaque eiusmodi quibus nullus posset esse locus ablato singulis iure proprietatis & tamen eorum possibilitas confert ad fœlicitatem eorum, qui vi talium actionum melius habent quam prius; in cuius rei confirmationem & vberiorem lucem dicentur plura infra dum dicetur de conuenientia diuisionis rerum; similiter ex iure iurisdictionis redundant in eum qui præditus illo est plura commoda iuuantia eius fœlicitatem: tum quia qui simul habet ius proprietatis potest tueri limites illius iure proprio iurisdictionis absque recursu ad alium & dependentia ab alterius libertate: tum quia hominibus naturaliter placet, saltem vt plurimum & per se, vt alij operentur iuxta eorum arbitrium & voluntatem, vtque ipsi alijs præemineant hoc modo. Quod autem placet ac licet est conferens ad fœlicitatem.

Directe tamen & principaliter ius proprietatis fauet fœlicitati illud habentis: Quia hoc ex communi hominum sensu proprium cuiusque dicitur, quod vnicuique est attributum, vt bene habeat, vtque eius vsu sibi prouideat cum prælatione respectu aliorum & independenter ab aliorum voluntate saltem cæteris paribus. Ius iurisdictionis fauet è conuerso directè & principaliter fœlicitati aliorum. Quia vel tale ius collatum est seu mediatè seu immediatè per consensum multitudinis cui præest; & tunc patet directè & principaliter esse ordinatum ad fœlicitatem eiusdem multitudinis & singulorum qui in eo continentur; qui videlicet non nisi ex amore propriæ fœlicitatis tali iugo colla submittunt

tunc cum iactura propriæ libertatis & extensionis terminorum eius. Quam vtique iacturam nequaquam paterentur nisi ob maius, certè non minus suum bonum. Eadem est ratio de vnoquolibet seorsim eligente sibi superiorem & conferente illi iurisdictionem supra se. Vel rursus idem ius collatum est a Deo, & tunc illud idem est certius & clarius, quia Deus prouidet subditis pro vt interest ipsorum: hoc est pro vt ipsi rationabiliter vellent ac eligerent; atque adeo idem quod prius.

Quod si oppositum faceret Deus, iam non conferret iurisdictionem; sed proprietatem, & dominum, non superiorem constitueret, cæteris qui iurisubijcerentur in seruitutem redactis & spoliatis libertate sibi connaturali absque compensatione per aliquid æquale aut melius. Quod est omninò innaturale per se. Atque hæc obiter dicta sufficiunt de iure iurisdictionis pro clariori intelligentia iuris proprietatis per comparationem cum illo. Quod ius proprietatis dictum est esse obiectum iustitiæ particularis; quodque proindè expediret vlterius declarari per comparationem ad terminos, quos respicit.

Duo porrò sunt termini quos respicit ius proprietatis; nempe res, ad quarum vsus confert liberam potestatem & personæ quibus reddit illicitam eorum vsuum impeditionem. Res denominat suas ipsius habentis ius; personas verò obligatas in consciētia eidem habenti ius; quia verò dominus dicitur suus respectu serui & aliarum rerum substantium dominio; similiterque dicitur suus cuiusque Rex, Episcopus Dux, Magister, Conciuis, & sic de cæteris habentibus aliqualem inter se connexionem. Et quia

quia obligatio respiciens alterum est itidem multiplex, nempe charitatis, pietatis, gratitudinis, &c. Quia inquam hæc ita se habent & sunt obnoxia æquiuocationi, opportunè quæritur quidnam sit illud peculiare, per quod differunt ab alijs suitatibus & obligationibus, suitas, & obligatio terminantes specialiter ius proprietatis ratione quarum meum, tuum, suum, simpliciter aliquid dicitur, & non tantum cum addito, vt meus, tuus, suus, Conciuis, consanguineus, amicus dominus, &c. atque iniuriam facere dicitur, qui lædit obligationem iurisproprietatis reddens licitam læso compensationem, perturbans præterea mutuam pacem & tranquillitatem.

Quod ad suitatem attinet, duas eius definitiones exibet D. Thomas, alteram 1.p. quæst. 21. art. 1. ad 3. *Dicitur autem suũ alicuius, quod ad ipsum ordinatur, sicut seruus est domini, & non è conuerso:* alterum in præsenti quæst. 58. art. 11. *hoc autem dicitur suum vniuscuiusque personæ, quod ei secundum proportionis æqualitatem debetur.* In priori definitione ordinatio ad aliquem intelligenda procul dubio est de ordinatione ad ipsum tanquam ad finem cui, cumque directũ ac principalem. Quæ videlicet sola ordinatio alicuius ad aliquem est simpliciter & absolutè talis pro vt in sua definitione effertur à D. Thoma, reliquæ nãque ordinationes sunt tantum secundum quid tales, & efferuntur cum addito diminuenti, aut alienanti. In posteriori definitione *Tò debetur*, accipiendum est de debito non solum per denominationem extrinsecam ab obligatione debentis dare aut relinquere alteri, quod est commune debitis etiam ex charitate, misericordia, gratitudine,

ne; ſed præterea per denominationem à poteſtate accipiendi atque ſibi retinendi conuenienti illi cui debetur & in impedibili ab alijs honeſtè. Hoc nimirum eſt deberi aliquid alicui ſecundum proportionis æqualitatem vt conſtabit dilucidius infrà.

Definitiones iſtæ ſunt ſubtiles atque omninò legitimæ, & coinciduntcum ea quæ ſponte fluit ex data iuris proprietatis definitione, iuxta quam *ſuum cuiuſque eſt, quod terminat liberam eius poteſtatem ad diſponendum de illo quoad vſus lege permiſſos non impedibilem honeſtè ab alijs, & ordinatam ad fœlicitatem eiuſdem, ſeu; ſuum cuiuſque eſt quod terminet ius eius directè & principaliter ordinatum ad fœlicitatem eiuſdem.* Vel dicatur *ſuum eſſe quod eſt obiectum iuris proprietatis* Cum enim ſint correlatiua ſuum, & ius proprietatis, vtrolibet quidditatiuè explicato poteſt alterum ſufficienter explicari peripſum vnde vice verſa ius proprietatis definiri poteſt: *id quo aliquid ad aliquem ordinatur,* ſeu *quo aliquid alicui ſecundum proportionis æqualitatem debetur:* ſeu *quo aliquid efficitur ſuum alicuius* Vel dicatur *ius eſt forma ſui: eſt ratio formalis ſuitatis:* eſt *per quod aliquid ſuum alicuius immediatè denominatur.* Et è conuerſo *ſuum eſt terminus taliter denominatus per ius: eſt materia iuris &c.* Hæc nimirum omnia & his ſimilia inuicem ſibi æquiualent, & vtrumlibet extremum pro vtriuslibet explicatione ac definitione legitimè adhibetur ſine vitio circuli præſuppoſita aliunde, vti ſuperius præſuppoſita eſt, eius extremi, quod prædicatur, expoſitione.

Porrò ius ſeipſo formaliter denominatur ſuũ eius cui ineſt. Quia actus quibus q. 6. oſtendetur illud eſſentialiter conſtitui, re-

flectunt

flectunt supra seipsos & subiectum cui insunt respiciunt intrinsece vt finem & tanquam id, cui secundum proportionis æqualitatem debentur; prætetea hoc est commune vnioni, durationi, vbicationi, & omni cognitioni, ac volitioni alijsque eiusmodi formis vt per se ipsas sortiantur eas denominationes quas impertiuntur terminis ad quos feruntur, & cum quibus connectuntur intrinsecè.

Quod ad obligationem attinet respondētem iuri proprietatis, seu quam hoc ius refundit in reliquos distinctos ab eo cui inest, nonnulli censuere nihil aliud illam esse quam obligationem conscientiæ ad alterum, atque adeò peccare contra ius proprietatis negantem alteri bonum, vel irrogantem malum, ad quod præstandum vel non irrogandum lege aliqua qualitercumq. tenetur in conscientia.

Verum hæc sententia est intolerabilis. Primum quia est contra omnes auctores subscribentes philosopho dicenti vbi suprà cap. 2. & 3. dupliciter aliquid esse iniquum, primo quatenus est contra legem; hoc est contra obligationē in conscientia; secundo quatenus est vsurpatiuum pluris respectu sui, & diminutiuum boni alterius contra voluntatem domini: atque primum genus iniqui vitari per iustitiam legalem latiùs mē sumptam; hoc est per collectionem omnium virtutum; secundum verò per iustitiam particularem. Quod perindè est atque dicere obligationem quam respicit iustitia particularis & correspondet iuri proprietatis esse diuersam ab alijs obligationibus in conscientia etiam erga alterum.

Deinde hæc opinio confundit iustitiam particularem & partes eius subiectiuas cū par-

partibus eiusdem potestatiuis, omnibusque prorsus virtutibus ad alterum quoad actus ipsarum debitos qualitercumque ex lege; siquidem omnes actus respicientes obligationem eiusdem speciei sunt & ipsi eiusdē speciei. Ea autem confusio est valdè absurda vt pote confundens cum actu iustitiæ particularis actus religionis, pietatis, misericordiæ, gratitudinis, & alios eiusmodi ad quos lege aliqua obligamur in conscientia; vnde nulla ex his virtutibus prout distincta à iustitia particulari posset elicere vllum actum præceptum.

Sequeretur denique omnes peccantes contra obligationem quamlibet conscientiæ ad alterum teneri ad compensationem omnium malorum consequentium ex peccato, & ad eam cogi posse à iudice, atque patientem ea mala vti posse oculta compensatione, quoties deficeret aliud remedium; Hæc namque omnia consequuntur ad peccatum commissum contra obligationem fundatam in iure proprietatis. Sequela autem est absurdissima, & contra vnanimem consensum generis humani, vt patet considerantí obligationes virtutum, quæ modo memoratæ sunt, & peccata contra illas, nec non contra vota Deo facta in fauorem proximorum; & quoad vltimam partem de honestate compensationis occultæ eadem sequela est mirum in modum perturbatrix Reipublicæ vt per se satis liquet & apparebit clarius ex dicēdis infrà circa iniustitiā.

Dicendum igitur est obligationem conscientiæ ad alterum fundatam in iura proprietatis vltrà obligationem fauorabilem alteri, ad non ampliandā aut ad restringendā propriā liberam potestatē disponēdi de rebus ordinatā ad propriā felicitatē, quod

est commune omni obligationi conscientiæ ad alterum, superaddere aliam obligationē non restringendi alienam eiusdem rationis liberam potestatem, quod est proprium & peculiare prædicatum obligationis fundatæ in iure proprietatis conueniente alteri. Hoc profectò est quod philosophus nuper indicatus aiebat iniquum quod vetat iustitia particularis, idest, quod aduersatur iuri proprietatis, & obligationi in illo fundatæ esse vsurpatiuum pluris respectu sui & diminutiuum boni alterius contra voluntatem domini.

Atque hoc idem est quod colligitur ex definitione iuris proprietatis superius tradita. Duo enim illi attributa sunt, nempe libera potestas disponendi de rebus in ordine ad propriam fœlicitatem conueniens habenti ius; & inimpedibilitas eius potestatis grauans cæteros, qui non habent idem ius. Quapropter qui operatur contra ius proprietatis & contra obligationem fundatam in illo, duo necessario facit, quæ non deberet facere. Alterum est ampliare propriam libertatem vltra terminos sibi præscriptos. Alterum est restringere alienam citra suos. Ex quibus non nisi alterum perpetrat, qui operatur contra obligationes in conscientia ad alterum non fundatas in iure proprietatis. Qui enim vouit bona sua dare pauperibus & non dat, vel peccat ex ingratitudine, aut defectu caritatis, non propterea restringit sed solum non ampliat terminos alienæ liberæ facultatis. Nec ampliat sed solum non restringit terminos propriæ liberæ facultatis. Quia antequam tradantur bona his titulis debita, non desinunt esse eius propria, cuius erant, nec fiunt eorum propria,

quibus

quibus deberent dari; atque adeò eorum bonorum retentio, nec transgreditur limites proprios quoad bona retenta, nec restringit alienos.

Patet autem obligationem restringendi se & dilatandi alium esse longe diuersam ab obligatione non dilatandi se, & non restringendi alium, quandoquidem contrauentio huius posterioris obligationis deturbat alium a possessione & bonis suis, estque propterea multo magis co stitutiua ipsius per se & cæteris paribus quam transgressio prioris obligationis, quæ neminem spoliat bonis iam suis, sed tantum conseruat peccantem in præexistenti possessione suorum bonorum. Quibus sufficienter præoccupata, & soluta manent argumenta quæ pro absurda illa priori opinione confici possunt. Atque ex his omnibus apparet definitionem propositam iuris proprietatis esse omninò legitimam, & qua circumiacentibus difficultatibus satisfieri clarè, & facilè possit.

Ad 5. Iam dictum est paruulo solum extrinsecè & per formam inhærentem alteri competere ius, ideoque paruulum, qui est Dominus nihil in se intrinseco differre à paruulo, qui non est dominus, sed solum per extrinsecam dispositionem causarum ex qua pro tempore redundauit in ipsum libera facultas qualis posita est in definitione. Qua de causa dixit Apostolus paruulum nihil differre a seruo cum sit dominus omnium. Quia videlicet est dominus per solam extrinsecam denominationem, & nihil ipsi actu inest quo differat a seruo. De quo plusculum dicetur quæst. 6. Indidem apparebit incidentem in amentiam retinere habitum liberæ facultatis pertinen-

tia ad iuris constitutionem, idque sufficit vt ius absolute in eo perseueret; vt apparebit eodem in loco: Idem dicitur à fortiori de dormiente, ebrio, aut ad alia intento.

Ad 2. Nemo potest vti honestè rebus suis in vtilitatem & commodum aliorum quin eo ipso sibi maximè consulat. Quia opus honestum est vtile operanti propter meritum & delectabile propter suam bonitatem & pulchritudinem manentem in memoria per totam æternitatem. Quibus de causis plus prodest per se danti dedisse, quam accipienti accepisse. Dictum deinde est non vnicè & priuatiuè, sed solum directè, & principaliter ordinari ius proprietatis ad felicitatem sui subiecti. Vndè nihil necet eius conceptui quod alijs etiam prosit pro libito ipsum habenti. Id enim est secundarium & minus principale.

Ad 3. Dictum est ius esse liberam facultatem disponendi quoad vsus & actiones lege permissas. Quare quod ex lege, aut præcepto superioris obligetur, aut cogatur proprietarius ad vsum suarum rerum in vtilitatem aliorum pro aliquo euentu speciali non tollit conceptum iuris proprietatis superius explicatum, sed magis exercet partem doctrinæ qua explicatum est.

Ad 4. Ius iurisdictionis habetur a superiore iure proprietatis ac proinde secundum se formaliter est vtile subiecto suo, & confert ad eius felicitatem. Differt tamen à iure proprietatis ex parte termini & operationum quas respicit, quia hæ directè & principaliter ordinantur ad vtilitatem aliorum, idque est essentiale iuri iurisdictionis, vti demonstratum est superius; vtilitates autem quæ ex eodem iure resultant in subiectum, cui inest, secundario tantum, & indi-

& indirectè eidem annectuntur. Contraria igitur & non tantum vt cumque diuersa ratio est quoad hoc de vtroque iure proprietatis & iurisdictionis. Differunt ergo inter se manifeste iuxta definitiones & expositiones vtriusque superius datas.

Ad 6. Ius proprietatis diuinum est longè diuersæ rationis à iure proorietatis creato. Quia non est ius diuinum purè proprietatis vt dictum est suprà & exponetur vberius quæst. 5. Notatum autem est non semel in præsenti agi de iure, quod sit purè proprietatis. Quare definitio huius iuris huc vsque exposita transferenda est in Deum seclusis imperfectionibus quæ insunt iuribus creatis. Quod præstabitur dicta quæst. 5.

QVÆSTIO IV.

Vtrum ius proprietatis & iurisdictionis connectantur inuicem essentialiter?



IDETVR neutrum cum altero essentialiter connecti. 1. quia vtrumque abs- que altero cōsistere potest. Qui enim capit feram eo ipso acquirit ius proprietatis circa illam, & nullum nihilominus acquirit ius iurisdictionise, vi cuius posset aliquid præcipere aut vetare, vt per se satis liquet. Eadem est ratio de illo cui donata esset fera ab eo venatore: is enim trāsferret in illum ius, quod præhaberet, proprietatis, nec transferre posset ius, quod non præha-

bet iurisdictionis & sic de alijs similibus. Atque omnes vniuersim homines tam collectiuè, quam distributiuè sumpti habent ius aliquod proprietatis saltem respectu honoris & sanitatis; & tamen non habent singuli quilibet homines ius iurisdictionis, & potestatem alijs ius dicendi, ac præcipiendi, vt constat specialiter in seruis.

Similiter ius iurisdictionis apparet separabile à iure proprietatis, qui enim vouet obedientiam alicui eo ipso illum constituit superiorem sibi cum vera iurisdictione respectu sui, si ille acceptet votum; & tamen nullum eo ipso confert illi ius proprietatis; quod videlicet fieri potest, vt nullum præhabeat transferibile in alium, vel nolit in alium transferre etiamsi posset. Et superiores FF. Minorum habent veram iurisdictionem, cum nihil habeant propriũ. Nulla igitur est, inter hæc iura, mutua vel non mutua connexio inseparabilitatis.

2. Neque in ratione causæ & effectus, aut conditionis sine qua non connectuntur inter se, siue mutuò, siue non mutuò. Quia in casu posito venationis, & sic de alijs similibus, ius proprietatis consurgit ex actione exteriori capiendi & animo volendi sibi feram, seque constituendi finem illius, atque adeò subsistit tale ius absque aliqua dependentia à iure aliquo iurisdictionis, eiusque vsu vel actione,

Similiter in casu posito vouentis obediẽtiam alteri consurgit iurisdictio in eo, cui vouetur, ex sola voluntate vouentis & acceptantis. Atqui nec in vouente, nec in acceptante necesse est, vt præexistat ius aliquod proprietatis. Quia fieri potuit, vt ante votum vterque renuntiauisset omnibus suis bonis, omnique iuri proprietatis; &

esto

esto vterque vel alter haberet ius aliquod proprietatis, illud nihilominus se habuisset purè concomitanter ad talem actum. Quia nec votum, nec eius acceptatio sunt actiones habentis ius proprietatis formaliter vt talis; siquidem libertas quæ renunciatur per votum, & quæ idem acceptatur ab altero non habetur ab homine iure sed naturâ. Ergo hæc duo iura sunt inuicem independentia formaliter.

Sed contrà est 1. Quia omnis habens ius aliquod proprietatis potest sola sua voluntate aliquam in alios obligationem de nouo inducere. Dictum enim est in quæst. præcedenti ius proprietatis esse potestatem liberam disponendi non impedibilem licitè ab alijs. Ergo actiones ortæ a iure proprietatis habent vim inducendi de nouo obligationem; vt à nemine apponatur illis impedimentum. Ergo hoc ius est essentialiter inseparabile a iure iurisdictionis; cuius videlicet proprium est inducere obligationem conscientiæ in alios. Omnis si quidem peccans agit contra legem aliquam obligantem in se; quæ quidem est actus iurisdictionis notissimus.

E conuersò necesse est ius iurisdictionis esse proprium & suum simpliciter eius cui inest, seu qui vi eiusdem potest præcipere aut vetare: ita vt qui illi auferret sine iusta causa tale ius, aut eundem ab eius exercitio impediret, faceret illi iniuriam propriè talem. Constat autem iniuriam propriè talem essentialiter esse offensiuam iuris proprietatis; atque ideo dari non posse non præsupposito iure proprietatis in eo qui patitur iniuriam. Vtrumlibet igitur ius est essentialiter inseparabile ab altero.

2. Neutrum ius acquiri potest nisi depē-

denter ab altero, seu nisi acquisitione dependente ab altero tanquam à causa. Quia nemo potest acquirere ius de nouo, nisi aliquo illud sibi conferente, atque adeò præhabente ius quod confert; ac per consequens dependenter iure, quod acquiritur de nouo à iure aliquo præexistenti tanquam à causa sua. Ostensum autem modò est vtrũlibet ius includere in se alterum. Vnde dependentia ab vtrolibet includit eiusdem generis dependentiam ab altero. Habent igitur hæc iura mutuam connexionem non solum inseparabilitatis, sed etiam dependentiæ & causalitatis.

R. In rationibus dubitandi vtrimque propositis continentur tres conclusiones efficaciter comprobatæ. Prima est: omne ius iurisdictionis est inseparabile ex parte subiecti à iure proprietatis: id est; habens ius aliquod iurisdictionis necessariò habet eo ipso ius aliquod proprietatis. Hoc enim omninò concludit secunda pars primæ rationis dubitandi pro parte affirmatiua. Et confirmatur quia ius iurisdictionis constituitur, vt dicetur qu. 6. per duo accidentia inhærentia habenti tale ius, cognitionem nimirum & volitionem. Accidens autem ex suo conceptu est entis ens, omnisque eius bonitas inest subiecto tãquam fini eiusdem; & siquidem fuerit capax fœlicitatis, ei essentialiter inseruit, ac per consequens conuenit tali subiecto ius proprietatis respectu ipsius iuxta superius dicta de quidditate huius iuris. Quare ius iurisdictionis entitatiuè & formaliter est sub iure proprietatis sui subiecti, ceditque eius vtilitati seu fœlicitati, licet terminatiuè & obiectiuè cedat fœlicitati aliorum & sit extra terminos proprietatis, ac proinde ex parte termini

mini sint separabilia hæc duo iura.

Ad rationem dubitandi in contrarium, quæ est posterior pars primæ rationis adductæ pro parte negatiua, dicitur quod qui acceptauit votum obedientiæ sibi præstitum, eo ipso habet iure proprietatis superioritatem suprà vouentem, quem repugnat non habere ante votum iure proprietatis eam libertatem disponendi de suis actionibus, quam amittit per votum & transfert in alios. Nec superiores Minorum sunt omninò expertes iuris proprietatis etiam purè spiritualis, sed tantum eius quod versatur circà pecunias & circa omnia externa pecunijs æstimabilia.

Secūda cōclusio est: potest acquiri de nouo ius aliquod proprietatis, quin propterea acquiratur, aut etiam præsupponatur vllum ius iurisdictionis in eodem subiecto circa eandem rem. Quod constat clarè ex prima ratione partis negantis.

Quare ad secundam partem primæ rationis pro parte affirmatiua dicitur potestatem liberam inclusam in iure proprietatis esse inimpedibilem licitè ob legem latam vel ab ipso habente tale ius, vel ab alio superiori; nec esse necessarium vt eiusmodi lex fauorabilis habenti proprietatem lata fuerit ab eodem, quia sufficit si ab alio lata fuerit. Vnde ex actionibus iuris proprietatis sæpe consurgit in alios noua obligatio tantum indirectè, non ob legem aliquam nouam, sed ob nouitatem materiæ compræhensæ sub lege præexistenti ex suppositione quod existeret talis materia.

Tertia conclusio est: omne ius proprietatis vel est identificatum cum iure iurisdictionis circa eandem rem, vel est dependens ob eodem tanquam à principio & cau-

ſit non ſolùm identicè & materialiter, ſed etiam formaliter & quatenus tale eſt. Idem dicitur è conuerſo de iure iuriſdictionis cōparato cum iure proprietatis. Patet concluſio quoad vtramque partem ex rationibus dubitandi propoſitis pro parte affirmatiua. Illæ enim rationes licet non conuincant quoad omnia totum quod intendunt, iſtam tamen diſiunctiuam omnino conuincunt, vt colligitur ex earum collatione cū ijs quæ modo dicta ſunt circà ſecundam cōcluſionem, & cum ijs quæ mox dicentur ſoluendo rationes contrarias.

Igitur ad vtramque partem ſecundæ rationis poſitæ pro parte negatiua reſpondetur venatorem non poſſe facere ſuam feram quam capit quocumque etiam animi ac intentionis adiuncto adminiculo, ſi non præexiſtat lex antecedenter facta, vt fera cedat capienti, vtque nulli deinceps liceat impedire capientem ab vſu & poſſeſſione eius. Fieri namque potuit lex vt res omnes exteriores perſeuerarent ſemper & in omni euentu communes, atque poſita iſta lege nullum poſſet acquiri ius priuatum proprietatis. Ergo omnis acquiſitio huiuſmodi iuris pendet eſſentialiter à iure iuriſdictionis tanquam à cauſa eius partiali, & quidem præcipua inter aliàs.

Iam qui vouet obedientiam alteri, nullam propterea induceret iuriſdictionem in ipſum vtcumque acceptantem, niſi præhaberet iure proprietatis vſum ſuæ libertatis & poteſtatem liberam diſponendi de ſuis actionibus. Qui enim ſic vouet, renuntiat propriæ libertati, eamq; abdicat à ſe & transfert in alium. Qui autem non præhabet aliquid vt proprium non poteſt illi renuntiare, nec in alium transferre. Ergo libera

poteſtas

potestas quæ aderat vouenti, eratque directioni & prudentiæ monasticæ ipsius subiecta & ordinata ad propriam ipsius fœlicitatem adeoque pertinens ad ius proprietatis eidem conueniens, transfertur per votum in alium, & subijcitur directioni ac prudentiæ alienæ, & ordinatur ad felicitatem non propriam habentis, sed alterius à quo prius habebatur, adeoque pertinet deinceps ad ius iurisdictionis; quippe libertas propria vouentis restringitur ab ipso per votum validum & transfertur in alium, non odio sed amore propriæ felicitatis; ideoque semper remanet illi deuincta quoad vtilitatem. Quod dicitur, libertatem, seu liberam directionem suarum actionum haberi ab vnoquoque non iure sed natura, supponit falsum. Quia ius naturale habetur iure & natura simul, vt infra exponetur.

QVÆSTIO V.

Vtrum Deo conueniat ius proprietatis essentialiter sibi subordinans immediatè omnia iura creata?




VIDETVR non conuenire 1. Quia ius proprietatis est essentialiter ordinatum ad propriam fœlicitatem habẽtis ipsum ius. Deo autem nihil conuenit relatè ad res creatas ordinatum ad fœlicitatem ipsius. Quam videlicet possidet vndequaque per-

ctam, & completam tam intensiuè quam extensiuè independenter à creaturis.

2. Fieri potuit vt Deus nihil crearet. Ergo fieri potuit vt nullum ius proprietatis Deo conueniret. Patet consequentia. Quia repugnat subsistere ius nullo existente termino iuris. Perfectio autem, quæ potest deesse Deo in aliquo euentu, in nullo euētu adesse illi potest.

3. Is cui Deus aliquid donauit, potest ius suum transferre in alium sola sua volũtate. Ergo is in quem ita translatum esset ius proprietatis, haberet illud cum dependentia immediata à sola voluntate transferentis. Ergo Deo non conuenit ius subordinans sibi immediatè omnia iura creata.

R. Ex dictis in quæstione præcedenti colligitur omne ius creatum pendere essētialiter à iure quod habet Deus in res creatas. Ostensum namque est præsertim in duabus postremis responsionibus omne ius proprietatis acquisitum de nouo pendere essentialiter ab aliquo iure iurisdictionis iã præexistente: atque è conuerso omne ius iurisdictionis acquisitum de nouo pendere essentialiter ab aliquo iure proprietatis iã præexistenti. Omne autem ius creatum est acquisitum de nouo, estque de eius essentia, vt possit incipere esse postquam non fuit. Ne igitur detur processus in infinitum dependentiæ & præexistentiæ inter vtrumque ius, necesse est venire ad ius aliquod primũ, quod nec acquiratur, nec possit acquiri de nouo, quodque proinde sit essentialiter ab æterno & à se; quale solum est ius Dei in res creatas. Ergo ab hoc iure cætera omnia iura essentialiter dependent.

Indidem rursus colligitur dependentiam

istam

iſtam omnium aliorum iurium à iure Dei non eſſe tantum mediatam & remotam in reliquis iuribus creatis præter primum, ſeu præter ius independens ab alio priori iure creato; ſed eſſe immediatam & proximam in omnibus & ſingulis iuribus creatis. Oſtē-ſum namque eſt omnia, & ſingula iura proprietatis de nouo acquiſita, id eſt creata, pendere eſſentialiter à lege immediatè fauorabili reſpectu habentis tale aliquod ius, obligante ſcilicet immediatè omnes alios in conſcientia ad non impediendas actiones proprias eiuſdem iuris. Et inſuper oſtenſum eſt omne ius iuriſdictionis haberi ante ſuum exercitium, ab eo diſtinctum, iure proprietatis; atque ideo independenter ab eadem lege obligante in conſcientia. Omnis autem lex obligans in conſcientia eſt actus iuris Dei imponentis eam obligationem vel ſe ſolo, vel per cooperationem cum ſuperiore creato. Quia lex obligans in conſcientia eſt neceſſitas conditionata carēdi beatitudine æternum, vel ad tempus, ſi illi non obediatur, nec obtineatur venia à potente inferre tantum, ac tam grande malum. Hoc autem malum ſolus Deus inferre poteſt vt patet. Atque Deus neceſſitari minimè poteſt ad illud vel inferendum, vel condonandum niſi ſua voluntate, vel ſola, vel coniuncta cum voluntate creata. Omne igitur ius creatum pendet eſſentialiter, ac immediatè à iure Dei, & eius exercitio, ſeu lege.

Confirmatur. Omnes operationes phyſicæ cauſarum ſecundarum quatenus ſunt communicatiuæ perfectionis phyſicæ præexiſtentis in ijſdem cauſis dependent eſſentialiter ac immediatè à cooperatione phyſica Dei. Ergo omnes operationes morales ſub-

substantiarum rationalium creatarũ, quibus perfectiones morales, prælationes, & iura aliorum in alios transferuntur & communicantur, dependent essentialiter, ac immediatè à cooperatione morali Dei. Vrgetur paritatis ratio à fortiori; quia actiones istiusmodi morales & iura, quæ sunt illarum effectus, præeminent perfectione & æstimatione multis effectibus pure physicis causarum secundarum; si quidem priores illi effectus sunt proprij substantiarum rationalium, & earumdem perfectiui quatenus talium: inter effectus verò purè physicos plerique sunt communes irrationalibus & inanimatis. Quoad autem perfectius est magis dependet ab optimo; quod scilicet ab eo magis participatur, in quod plus influit: atque causæ secundæ sunt minus sufficientes se solis ad id quod præstantius est; quandoquidē ad id etiam quod minus præstat sunt insufficientes ex defectu perfectionis. Profectò cum dubitare nemo possit homines esse perfectiores atque excedere magis iuribus, quam calore, colore, aut alijs eiusmodi; dubitari minus potest quod illa dependeant à Deo immediatè; quando hæc alia ab ipso immediatè dependent. Cuiusmodi argumentum, est frequens Augustino aduersos Pelagianos tribuentes Deo quòd sumus & negantes eidem quod boni sumus.

Agnouit Philosophus dependentiam istā iuris proprietàtis à iure iurisdictionis, nihilque frequentius suggerit toto præsenti Libro 5. Ethicorum, & ea de causa 1. politicorum hoc ius difiniuit *ordinationem societatis ciuilis* explicans effectum per causā Quæ tamen explicatio difficultèr cohæret cum doctrina eiusdem 1. Rhet. ad Theod. c. 13.

c 13. vbi dicit: *est quoddam natura iustum & iniustum quod omnes vaticinantur & si nulla societas aut pactum sit.* Quod ipsum distinctius tradit in præsenti cap. 7. dicens: *ciuilis iusti aliud naturale aliud legitimum. Et naturale quidem est quod vbique vim habet eandem & non quia videtur vel non videtur. Legitimũ autem, quod à principio quidem nihil refert sic, an aliter habeat; cum verò positum fuerit, refert.* Id est; aliud est ius siue iustum quod ab ordinatione ciuili dependet aliud, quod non dependet. Necesse igitur est ordinationem ciuilem non eodem vbique sensu vsurpari à Philosopho, sed alibi pro libera hominum conuentione facta per electionem spontaneam, vt in posterioribus istis locis; alibi pro conuentione; vt est cõmunis naturaliter insitæ & habitæ per electionem liberam, vt in primo loco.

Verum, vtcunque hoc habeat, semper desideratur in Philosopho vltima iurium humanorum resolutio tradita clarè atque distinctè. Sanè quod dicit postremis illis verbis, *cum vero positum fuerit, refert*, vnum ex ijs est *quæ vbique vim habent eandem, & à principio quidquam refert sic an aliter habeant & non quia videtur, vel non videtur*, quod enim postquam aliquid visum & positum est; idest ordinatione, & lege humana stabilitum est, referat quidquam, non ex eo pendet quod ita videatur, vel non videatur. Alias enim daretur processus in infinitum in legibus humanis. Deindè trãsgressio constitutionis ciuilis, & legum mutua hominum conuentione mediatè vel immediatè persistentium non solum inducit pœnas temporales, aut tantum circa bona temporalia; sed etiam priuationem beatitudinis. Qui effectus cum pendeat immedia-

iè

tè sola diuina voluntate, non pôtest induci vlla voluntate, aut ordinatione creata sola. Necessariò igitur est cooperatio moralis voluntatis & ordinationis diuinæ.

Quarè dum non assurgit consideratio in voluntatem, & ordinationem diuinam, necesse est vt lateat non solum prima omnium iurium creatorum origo, verum etiam causa adæquata immediata ac proxima, & ex partialibus præcipua vnius cuiusuis iuris creati. Verum quia ad cognitionē voluntatis, & ordinationis diuinæ naturalis, non nisi mediante voluntate, & ordinatione creata naturaliter insita homini, peruenimus per cognitionem naturalē; atq. huic causæ particulari formaliter correspōdent ea mala, quæ hominibus per homines ob iniurias infliguntur; propterea Philosophus obseruator solius ordinis naturalis hęsit in ordinatione societatis ciuilis, nec vlterius progressus est. Quod vt ad aliquam eius excusationem valeat, certè ad exactam rei, de qua loquitur, expositionem nequaquam sufficit eius doctrina diuinitatis, vt in præsenti ita & alibi frequenter non satis sollicita.

Colligitur postremo ius proprietatis & ius iurisdictionis diuinæ non distingui inter se virtualiter intrinsecè, sed vtramque esse vnicam obiectiuè atque omnibus modis eandem ac simplicem formalitatem absque vlla mutua, vel non mutua discrepantià prædicatorum, quæ de alterutro, vt est in se affirmari vel negari possunt independenter à relatione ad similia prædicata creata, & modo nostro cognoscendi in illis fundato. Probatur; quia, vt dictum est, omne ius proprietatis distinctum à iure iurisdictionis essentialiter dependet ab aliquo præexistenti iure iurisdictionis; & à con-

conuerso hoc ius dependet ab illo, si ab illo distinguatur. Atque ratio in hanc rem superius adducta æque conuincit antecessionem virtualẽ supposita distinctione virtuali, ac realem supposita reali vt patebit consideranti. Quare si alterutrum ius distingueretur in Deo virtualiter intrinsecè ab altero necesse esset vtrumuis esse prius, & posterius altero, virtualiter intrinsecè; atque adeò vtrumuis eorum esse prius & & posterius seipso eodem modo. Nempe quodlibet est prius omnibus, quæ sunt posteriora posteriori respectu sui. Eadem est ratio de posteriori respectu priorum priori se, loquendo de prioritate & posterioritate eiusdem vtrimque generis. Sequela autem est absurda, vt ex se satis patet, & alibi pluribus ostensum est.

Confirmatur mutua hæc vtriusque iuris diuini indistinctio virtualis. Quia omne ius Dei est essentialiter ordinatum indiuisim ad gloriam ipsius & vtilitatem nostram. Repugnat enim metaphysicè Deum aliquid liberè operari intendendo gloriam suam, quin eo ipso velit vtilitatem nostram: aut intendendo nostram vtilitatem quin eo ipso velit gloriam suam. Quia omnis gloria Dei ipsi libera est vtilis nobis. Proficimus enim glorificando Deum, & nostra proinde interest habere vnde ipsum glorificemus. Nihil igitur facere potest Deus gloriosum sibi, quod non sit vtile nobis, ideoque conferens ad nostram fœlicitatem. Similiter omnis nostra vtilitas est gloriosa Deo, quia nihil facere potest, nisi habendo se pro fine excellentiæ, & volendo sibi gloriam eorum omnium quæ facit. Nec enim intentio diuina quiescere potest tanquam

in

in fine excellenti & beatifico, nisi in ipso Deo.

Quare *idem dictum est*, vt ait D. Thomas quæst. 5. de pot. art. 4. ante finem, c. *quod Deus omnia propter seipsum fecit*, & *quod creaturas fecerit propter earum esse*; id est, vt, sibi sint bonæ. Quod probat conferendo illud pro. 16. *vniuersa propter seipsum operatus est Dominus*: cū illo Sap. c. 1. *creauit enim Deus vt essent omnia*. Omnis igitur potestas libera Dei circa creaturas, est ordinata indiuisim ad gloriam eius & ad nostram vtilitatem. Dictum autem est facultatem liberam ordinatam ad bonum proprium esse ius proprietatis atque ordinatam ad bonum aliorum esse ius iurisdictionis: Ergo ius proprietatis & ius iurisdictionis sunt in Deo vnica formalitas etiā virtualiter indiuisibilis ex parte obiecti.

Obseruandum est, gloriam Dei resultantem ex creaturis dici bonam Deo, & quid conferens ad eius fœlicitatem non quod aliquid boni accrescat ipsi ex creaturis quo melius in se habeat, aut quod illis indigeat vt sit fœlix, vel magis fœlix, sed solum quia creata Dei glorificatio est quid condecens eius infinitam bonitatem, ac maiestatem; & quia fœlicitatem suam voluit cum nostra ita coniungere vt non possimus absque displicentia eius impedire fœlicitatem nostram; eamque impediendo impediamus eo ipso actum diuinæ fœlicitatis proprium; hoc est complacentiam specialem Dei de nostro bono & fœlicitate. Quam complacentiam paratus est habere quantum est de se, si à nobis non impediatur, vtque non impediamus mouet nos atque sollicitat medijs efficacissimis.

Verum quia hæc ipsa complacentia specialis nihil intereſt Dei, ſed intenditur ab ipſo, ac ſi ipſius intereſſet propter vim amoris quo nos amat & transformatur in nos, propterea in expoſitione iuris proprietatis & ſuitatis illi correſpondentis ex parte rerum non adhibita eſt vtilitas, aut commodum, nec finis vtilitatis; ſed fœlicitas & finis ſecundum ſe atque beneplacitum habentis ius, vt ſic iura etiam Dei comprehenderentur, & exponeretur ratio vniuerſaliſſima iuris, à qua vtique, excluditur ius Dei dum adijcitur vtilitas, aut finis vtilitatis reſpicientis ipſum habentem ius. Conſtat igitur ex his omnibus conuenire Deo ius proprietatis ſeclusis imperfectionibus iuris proprietatis creati idque vniuerſaliſſimum, & immediatè, ac formaliter ſubordinans ſibi ex eſſentia ſua omnia iura creata. Quod erat intentum.

Ad 1. Res creatæ pertinent ad fœlicitatem Dei, licet non tanquam bona vtilia ipſi, bene tamen tanquam bona decentia ipſum, conferentia ad eius gloriam, & intenta ab eodem, perinde atque ſi ipſius intereſſet ea habere. Quod ſufficit omninò ad conceptum eſſentialem iuris proprietatis ſeclusis Imperfectionibus iurium creatorum in quibus fœlicitas, intentio, & complacentia ſunt inſeparabiles ab vtilitate. Quod diſcrimen nuper explicatum eſt ſufficienter.

Ad 2. Vnumquodque ius poteſt exerceri tam faciendo, quam non faciendo; ſi quidem ex conceptu ſuo eſt libera facultas faciendi, & non faciendi vt dictum eſt quæſt. 3. Quare Deo nihil creante daretur

termi-

terminus negatiuus iuris diuini, nempe non esse creaturarum sola Dei libera voluntate hoc est solo exercitio iuris eius impeditarum quo minus essent. Is autem terminus negatiuus tam est sufficiens ad existentiam & exercitium iuris, quam sufficiens est terminus positiuus vt liquet ex ratione data.

Ad 3. Cum dicitur posse aliquem ius suum transferre in alium sola sua voluntate, iò sola tantummodo excludit necessitatem alterius voluntatis creatæ ad subsistentiam & valorem translationis; non verò voluntatem diuinam tum legislatiuam, quà munit & reddit obligatoriam dispositionē voluntatis creatæ; tum eam, qua cooperatur voluntati creatæ eiusque executioni. Quare omnis humana translatio iuris dependet à Deo immediatè non minus moraliter & iuridicè, quam physicè.

QVÆSTIO VI.

Vtrum ius constituatur per actus intellectus & voluntatis?

VIDETVR nō constitui. 1. Quia dictum est ius esse liberam potestatem. Potestas autem non est nomen actus, sed potentiæ; ergo ius non constituitur intrinsecè per actus intellectus, & voluntatis, sed potius est principium eorum actuum.

2. Licet applicatio agentis ad passum sit

ſit neceſſaria, vt principium actiuum exerceat actiuitatem ſuam; nihilominus applicatio non pertinet ad conſtitutionem intrinſecam actiuitatis; ergo ſimiliter licet cognitio aliqua aut volitio ſint neceſſariæ ad exercitium iuris, non propterea ij actus pertinent ad conſtitutionem intrinſecam ipſius iuris, quod eſt virtus actiua moraliter.

3. Iura rerum transferuntur ab alijs ad alios homines donationibus, contractibus, & alijs modis. Actus autem intellectus & voluntatis nulla ratione ab alijs ad alios transferri poſſunt. Ergo iura ſunt omninò diſtincta ab ijs actibus.

4 Quando alicui aliquid donatur, acquiritur ius donatario per ſolum actum voluntatis, quo ipſe acceptat donationem. Quælibet enim cognitio antecedens hunc actum voluntatis dari poteſt, quin acquiratur ius; quælibet autem ſubſequens eundem actum præſupponit ius iã acquiſitum, ergo nulla cognitio pertinet ad conſtitutionem intrinſecam iuris.

5. Dormiens, amens, ebrius paruus, expers rationis, & nihil attendens actu ad res iuribus ſubiectas, aut ad iuridicos earum vſus potiuntur iuribus, nec toties illa amittunt, quoties ceſſant ab omni actu pertinenti ad iura rerum ſiue neceſſariò ceſſant, ſiue liberè. Ergo actus intellectus, & voluntatis non pertinent intrinſece ad exiſtentiam aut eſſentiam, & conſtitutionẽ iurium.

6. Contingit amitti iura retinente eo, qui illa amittit omnes actus intellectus, & voluntatis quibus prius exercebatur. Amittũtur enim ſæpe per delicta, per ſẽtẽtias iudicum, per præſcriptiones aliorum

alijſque

alijsque similibus modis nihil ea de re cogitante aut statuente eo, qui illa amittit, adeoque nulla existente variatione actuum ipsius pertinentium ad intellectum, & voluntatem. Ergo.

R. Ius dicitur multipliciter non solum ex parte rerum circa quas versatur, & ex parte personarum quarum est proprium, sed etiam secundum se, & secundum suam constitutionem intrinsecam. Aliud namque est purè extrinsecum illi personæ cuius est proprium, eamque tantum extrinsecè denominans. Aliud informans intrinsecè subiectum cuius est. Rursus ius intrinsecè informans; aliud est habituale & aliud actuale; aliud vltimò completum; aliud incompletum. Primum enim cui lex aliqua fauet quoad vsus alicuius rei & quoad vtilitatem ex ea percipiendam posita aliqua conditione, cum primum ea conditio ponitur à parte rei dicitur conuenire illi ius in eam rem, tametsi nulla ipsi affulserit notitia talis legis, aut talis conditionis iam existentis, ideoque nondum habeat potentiam in actu primo proximo liberam ad percipiendam eam vtilitatem eosq; vsus executioni mandandos. Verum tale ius est radicale tantū & in causa. Cum verò superuenerit cognitio & legis, & conditionis per legem requisitæ, tunc incipit ad esse ius intrinsecum, & formale, sed nondum est vltimo completum vsque dum addatur vlterius consensus, & acceptatio prædictæ legis iam coniunctæ cum omnibus conditionibus ex actis per ipsam. Dictum nimirum est suprà ius esse liberam facultatem munitam lege fauente ipsi & grauante alios. Cum igitur fauores & beneficia non conferantur inuitis, ideoque non sortiantur suum vltimum

esse-

effectum & complementum quo vsque illis consentiat is cui fauent; necesse est, vt cognitioni prædictarum legis & conditionum accedat consensus, & acceptatio eius, cui eadem lex fauet; nec prius completa vltimo erit vis legis ad obligandos alios, ne impediant eam personam à percipienda vtilitate, & ab vsibus rei ipsi destinatæ. Accedente autem eo consensu, & acceptatione, ac proinde coniuncta ea cognitione cum hoc actu voluntatis, tunc verò existit ius intrinsecum actuale vltimo completum atque perfectum. Transacta verò ea cognitione, aut eo actu voluntatis, nec superueniente contraria voluntate, ac retractatione ius inerit intrinsecum quidem, sed tantum habituale.

Et quidem perfectionem adæquatam & vltimò completam iuris dari non posse quo vsque existant prædicta cognitio, & volitio clarè colligitur ex definitione iuris. Quia libera facultas ad vsus rei alicuius quæ ex se sit inimpedibilis licitè ab alijs existere nequaquam potest non existente in primis cognitione obiecti circa quod exercẽda illa est, & modi quo exerceri potest. Cognitio enim actualis pertinet ad constitutionem intrinsecam potentiæ proximè liberæ, & talis determinata cognitio ad constitutionem talis determinatæ potentiæ. Deinde neque sinè actu voluntatis acceptante fauorem legis eadem potentia libera potest esse inimpedibilis licitè quoad vsus eadem lege concessos. Quia ipsa non obligat ad non impeditionem quo vsque acceptetur ab eo cuius interest, vt paulò antè conclusum est. Quia verò ius extrinsecè afficiens aliquem ordinatur ad actus intellectus, & voluntatis modo explicatos; atque

relatè

relatè ad eosdem habent totam suam æstimabilitatem, & vtilitatem species intellectualis, & habitus voluntatis ex quibus suboriri possunt ijdem actus, patet ius secundum suum cōceptum adæquatum & completum atque primario, & principaliter contentum sub ea voce constitui per eos actus intellectus & voluntatis. Ius verò seu remotum, & extrinsecum, seu intrinsecum, sed habituale tantum, vel tantum inadæquatum eatenus iura dici quatenus eosdem illos actus in se continent, atque vi sua inducere possunt.

Ad 1. Libera potestas in ratione proximè liberæ constituitur intrinsecè per cognitionem; & quæ est ex sua ratione inimpedibilis licitè constituitur intrinsecè per cognitionem veram repræsentatiuam legis reddētis illicitam impeditionem, & per acceptationem eiusdem legis quatenus valētis proximè obligare, si acceptetur. Ergo potestas libera, quæ secundum se præcisè habet rationem generis respectu iuris, & defectus iuris, determinatur ad rationem iuris tanquam per rationem differentialem, & vltimò completiuam per eam cognitionem, & volitionem acceptantem; ideoque ius constituitur intrinsece per vtramque secundum suum conceptum differentialem, & specificum.

Ad 2. Cognitio dirigens actum voluntatis non est pura applicatio, & conditio sine qua non, sed influit præterea partialiter per veram efficientiam immediatam in eundem actum; de quo alias plura dicta sūt. Deinde vt cognitio dirigens vtentem iure suo esset pura conditio sine qua non quoad physicam entitatem actus, quo is exercetur, nihilominus constituit eundem intrinsecè

fecè quatenus operantem inimpedibiliter impeditione licita vt ostensum est supra. Constituit igitur intrinsecè potentiam liberam quatenus iure prædicam etiamsi supponatur non influere physicè in actum voluntatis qui est proprius illius. Atque hæc posterior ratio valet etiam de actu voluntatis acceptante fauorem legis, quo præmunita existit potentia libera vtentis iure suo.

Ad 3. Iura dicuntur transferri ab alijs ad alios homines quatenus qui ea transferũt voluntate & operatione sua exteriori causant in ijs, ad quos ea transferunt, cognitionem & volitionem similes ijs, per quas iura sua præhabebant. Quare iura dicuntur transferri lato quodam modo, & moraliter tantum; cum re ipsa ex istat in eo, ad quem dicitur transferri, nouum ius numero distinctum ab eo quod inhæret transferenti seu quasi transferenti. Quo tollitur æquiuocatio vulgaris locutionis occultantis veritatem improprietate sua.

Ad 4. Quod ius intrinsecè constitutum sit non solùm per actum voluntatis vltimò complentem ac determinantem ratione iuris, sed etiam per cognitionem immediatè dirigentem cum actum, factum est exemplo magnorum auctorum D. Dhomæ & aliorum constituentium beatitudinem, prouidentiã, prædestinationem, leges & alia simil a non ea sola ent tate per quam vltimò & sufficienter differt res de qua quæritur ab omnibus alijs, qualis entitas est in præsenti volitio, vt concluditur benè in obiectione; sed etiam ea, vel ea sola, per quam primò & principaliter habetur perfectio propria eiusdem rei; qualis in rebus huiusmodi procul dubio est cognitio. Actiones verò exteriores quæ in iurium translatione, deli-

tione, acquisitione, & habitione interueniunt sunt solùm conditiones sine quibus non respectu actuum interiorum quibus ius intrinsecè constitutum est superius, vel sũt causæ specierum impressarum, ex quibus procedunt ijdem actus, vt constabit magis infrà præsertim dum agetur de possessione, vbi dependenter ab hac doctrina ineunda est concordia cum iuristis intentis præcipuè in actiones exteriores. Constat interim perfectionem præcipuam contentam in conceptu differentiali iuris pertinere ad cognitionem. Species autem cuiusque rei continet in se intrinsecè non solùm rationem vtcumque discretiuam sui ab alijs, sed etiam rationem primario ac principaliter perfectiuam sui. Inquam verò *in conceptu differentiali & speciei*, quia animus fuit exponere solùm constitutiua differentialia iuris; cum cætera alijs quoque rebus communia, quæ continentur in potestate libera & alijs particulis definitionis iuris non indigeant expositione; certè non sit huius loci, vt exponantur.

Ad 5. Dormiens, amens &c. habent iura vel habitualiter in se intrinsecè; Vel extrinsecè tantùm per denominationem ex dispositione causarum valentium inducere etiam vltimò determinatarum quantum est ex se ad inducendum cognitionem & volitionem quibus essentialiter constituitur ius actuale vnicuique intrinsecum, vti supra explicatũ est; atque ad hoc ius cætera eiusmodi iura ordinantur vti ibidem notatum est.

Ad 6. Esto fieri possit vt qui amittit ius ante præhabitum retineat materialiter easdem omnes cognitiones & volitiones quas præhabebat, dum iure potiretur; fieri tamẽ non potest vt retineat easdem formaliter,

quate-

quatenus valentes constituere ius. Quia ius constituitur per cognitionem veram, formaliter vt veram legis fauentis habenti ius & grauantis alios in fauorem ipsius, atq; per volitionem directam per eandem cognitionem itidem vt formaliter veram. Patet autem impossibile esse vt amisso iure, perseuerent nihilominus ea cognitio & volitio formaliter vt tales; siquidem amisso iure cessat eo ipso fauere lex amittenti, & grauare alios in fauorem ipsius.

QVÆSTIO VII.

Vtrum communes diuisiones iuris, ex parte principij, & subiecti sint bonæ?

VIDENTVR non esse bonæ. 1. Quia ius cõmuniter diuiditur ex parte principij in naturale, gentium, & positiuum. Hæc autem diuisio nõ est bona, quia ius gentium dicitur quod apud omnes gentes vniformiter viget. Quod autem apud omnes gentes vniformiter viget, necesse est vt insit à natura. Nam quod à libera hominum determinatione dependet variabile est, nec vbique & semper vniformiter contingit. Ergo ius naturale & ius gentium non sunt duæ species iuris.

2. Iuri gentium & positiuo commune est quod libera hominum electione & conuentione constitutum sit, solumque differunt, quia quod gentium dicitur, vbique & semper viget; quod verò ciuile, non nisi apud

aliquos aut aliquando. Quæ differentia est solùm penes plus & minus, solaque subsistit extensione maiori vel minori quoad tempora aut personas. Huiusmodi autem differentia penes plus & minus nō variat speciem; atque ideo ea diuisio est; purè materialis, non generis in species, sed speciei in indiuidua de quibus non habetur ratio in scientijs.

3. Diuisio iuris ex parte subiecti communiter fit in paternum, œconomicum, & herile. Hæc autem diuisio conuincitur esse itidem purè materialis atq; inutilis, quia inter patrem & filium; & similiter inter Dominum, & seruum quoad aliqua datur ius strictè, & simpliciter tale; quoad alia verò vel nullum omninò vel tale tantùm secundum quid & impropriè. Hæ igitur differentiæ exprimendæ fuissent per diuisionem, non illæ aliæ haud quaquam continentes rationes specificas adæquatè inter se diuersas.

R. Celebris in primis est tum apud iurisperitos, tum apud Theologos & Canonistas locis indicatis in quæst. 1 diuisio iuris ex parte principij in naturale, gentium & positiuum; non tamen ab omnibus eodem sensu, ac modo accipitur. Quia à iurisperitis ius naturale dicitur quod versatur circà actiones quæ sunt communes hominibus cū brutis; quales sunt filios generare & genitos nutrire, ad quæ docentur bruta per instinctum, homines per discursum necessarium & dictamen inditum independenter ab electione, & arbitrio proprio, atque dependenter ab instinctu simili instinctui brutorū existenti in æstimatiua. Inde ius gentium ijdem appellant quod circa ea versatur, quæ & sunt propria hominum & quorum hone-

stas

stas atque inhonestas non pendent ab eorundem arbitrio: ac voluntate; qualia sunt Deum colere, fidem seruare, non mentiri tantundem reddere quantum acceperis à volente compensationem.

Theologi verò ius naturale appellant promiscuè quidquid ligat homines independenter ab eorum libera inter se conuentione ac lege per ipsos lata. In quam iuris naturalis vsurpationem non raro ipsi quoque Iurisconsulti deflectunt vt aduertit Ludouicus Mollina ex cōfessione Iustiniani disp. 6. propè finem. Ius verò gentium ijdē Theologi consequenter appellant cum Canonistis ex cap. *ius gentium*, quod ex libera hominum conuentione ac lege apud plerasq; vel omnes Prouincias ac gentes viget. Huiusmodi sunt rerum diuisiones, legatorum non violandorum religio, seruitus captorum bello iusto & similia.

Rursus in tertio diuisionis membro iurisperiti collocant ius ciuile, quod à seculari potestate descendit siue vniuersaliter ac vniformiter apud omnes, siue specialiter apud aliquos, vel apud aliquam determinatam Prouinciam vigeat. At Canonistæ ac Theologi ibidem collocant ius positiuum vt Canonicum quod ab Ecclesiastica potestate descendit simul cum Ciuili comprehēdant. Vnde iidem non infrequenter diuidunt ius quadrifariam; nempe in naturale, gentium, Canonicum, & Ciuile: atque sub duplici isto posteriori membro, nec non sub iure positiuo comprehendunt quidquid subest liberæ hominum constitutioni siue vniformiter vniuersale apud omnes, aut plerosque: siue non ita vniuersale sit.

Alia diuisio iuris ex parte principij est in diuinum & humanum. Diuinum dicitur

quod sola diuina volũtate statuitur: humanum seu creatũ quod ab humana etiam seu creata voluntate dependet. Diuinũ, aliud est diuinum naturale; aliud diuinum positiuum. Diuinum naturale dicitur quod eadem diuina voluntate sancitur, quà existentia hominis decernitur, perque ipsam hominis existentiam, & quæ ad eam naturaliter consequuntur promulgatur sufficienter. Ius diuinum positiuum prouenit ex decreto libero Dei separabili ex natura rei à decreto creationis hominis, & eorum quæ ad existentiam hominis naturaliter consequuntur, ac proinde eius vel obiectum vel saltem promulgatio sunt intrinsecè supernaturales. Quod si sola promulgatio sit supernaturalis, obiectum talis iuris dicitur esse de iure diuino positiuo & naturali. Si verò obiectum etiam sit supernaturale, tunc ipsum dicitur esse de iure diuino positiuo tantum. Prioris generis sunt quæ continentur in decalogo: posterioris verò generis sunt vsus Sacramentorum & alia eiusmodi. Ius humanum est quod ab arbitrio & voluntate humana dependet; atque diuiditur in Canonicum & Ciuile, quorum notiones iam datæ sunt.

Hæc omnia cõsiderantur à Iuristis & Canonistis pro explicandis legibus & iure iurisdictionis, de quibus modò non agitur. Quare illa pertinent ad hunc locum tantum indirectè quatenus ius proprietatis dependet à iure iurisdictionis, & à legibus per eã latis tãquam à causa & principio vt dictum est supra. Vnde fit vt totidem modis diuidi possint ius proprietatis & actus pertinentes ad ipsum. Ius enim proprietatis suffultũ lege naturali dicitur suum ipsius, cui inest, iure naturæ; & qui impedierit actionẽ con-

tentam

tentam sub tali iure dicitur operari iniquũ cõtra ius naturale & sic de aliis huiusmodi.

Ius naturale & positiuum, ex quorum cognitione reliquarum diuisionum intelligentia facile deducitur, communiter exponuntur iuxta mentem philosophi, proposită quæst. 5. Positiuum namque est, quod ideò refert quia ita videtur vel non videtur: id est ideo obligat quia ita statutum est arbitrio & voluntate libera. Naturale verò est quod refert atque obligat ex natura rei, nec pendet directè & immediatè ac formaliter ab arbitrio & libera cuiusquam voluntate. Inquam verò directè & immediatè ac formaliter, quia sicut est libera Deo existentia hominum; ita etiam necesse est vt sint eidẽ libera quæcumque ad hominis existentiam consequuntur ex natura rei. Cæterũ quia supposita hominis existentia non datur noua libertas ad ea sancienda vel non sanciẽda, quæ iuris naturalis esse dicuntur: propterea hoc ius directè & immediatè ac formaliter non est liberum ex modo nostro concipiendi & iuxta ordinem rerum ab ipso connaturaliter præscriptum, licet reipsa sit eadem, & æquè immediata libertas Dei ad existentiam hominis, & ad existentiam iuris naturalis atque ad omnia & singula quæ inde naturaliter consequuntur.

Ius naturale dicitur ab omnibus immutabile & inuariabile cum Philosopho loco iudicato quæst. 5. quia quod ad naturam cuiusque necessariò consequitur non potest mutari aut variari manente eadem natura. Eiusmodi autem est ius naturale respectu naturæ humanæ. Sed considerandum est naturam humanam, licet sit semper eadem quoad suam substantiam ac essentiam, ideoque sint immutabilia iura spectantia ipsam

eius naturam secundum se; posse nihilominus mutari ac variari quoad accidentalem dispositionem, tum animi, tum corporis: & tunc consequenter contingit mutari ac variari materialiter ius naturale: ita vt eadē actio materialis quæ antea licebat ac debebatur, reddatur postea illicita propter diuersam hominis antea & postea dispositionem. Quod explicatur communiter exemplo depositi. Vt enim depositum reddatur deponenti, iuris naturalis est; & tamen si deponens arma incidat in amentiam ac furorem, aut fiat hostis patriæ, non sunt ei reddenda, tametsi illa reposcat, eadem est ratio de alijs eiusmodi iuribus fundatis non in natura hominis secundum se, sed quatenus subest tali vel tali accidenti ac statui, ideoque capacibus exceptionis. Immutabilitatem istam iuris naturalis participat magna ex parte ius gentium iuxtà Theologorum & Canonistarum vsurpationem, quia fundatur in necessitate morali hominum ad illud mutua conuentione sanciendum. Deficit verò omninò ob contrariam rationem ab eadem immutabilitate & inuariabilitate ius positiuum, prout ab ijsdem vsurpatur.

Iam ex parte subiecti diuiditur ius communiter in paternū, œconomicum & herile. Circa quam diuisionem D. Thomas & Philosophus vbi suprà ille art. 4. hic cap. 5. & cæteri omnes docent non dari ius & iustum simpliciter inter patrem & filium. Quia ius & iustum essentialiter est ad alterum. Filius autem non est simpliciter alter à patre, sed comparatur cum ipso tanquam pars eius. Quod nonnulli interpretes accipiunt de communicatione vtriusque quoad partē corporis ratione generationis. Verum hæc interpretatio, nisi promoueatur vlterius & assuma-

assumatur tanquam fundamentum rationis formalis ac immediatæ substineri nequaquã potest, idque duplici de causa. Prima est quia Philosophus & D. Thomas eadem ratione, ijsdemque verbis tradunt eandem doctrinam de Domino & seruo; & tamen seruus non est pars physica domini. Altera ratio est quia inter filium emancipatum & patrem datur iùs & iustum simpliciter; & tamen emancipatio non tollit communicationem physicam, quæ habita fuit per generationem. Similiter datur iustum simpliciter inter patrem & filium etiam nondum emancipatum, quoad bona castrensia filij, quorum tamen bonorum acquisitio non minus dependet à generatione; quæ videlicet est prima origo aptitud nis ad militiam, atque ideò & bonorum castrensium.

Dicendum igitur est ideo nec inter patrẽ & filium; nec inter Dominum & seruum dari ius & iustum simpliciter, sed tantum secundum quid & cum limitatione scilicet paternum & dominatiuum; quia filius est pars moralis respectu patris, & similiter seruus respectu Domini. Sunt autem vterq; partes morales quia subiacẽt voluntati patris & domini ad eũ modũ quo subiacẽt cuiusq; voluntati manus & pedes ipsius. Hac enim de causa inter duos ciues quorũ neuter sub altero est, agnoscunt iustum simpliciter, atq; exemplum iuris ac iusti mutui vndequaque perfecti ponunt in ijsdem Philosophus & D. Thomas locis citatis; nempe qu a neuter eorum sub altero est. Cum enim ius sit libera facultas, alteritas requisita ad rationẽ iuris ac iusti non consistit in distinctione suppositorum sed in diuersitate libertatis; quæ diuersitas non datur simpliciter in ijs quorum alter sub altero est, vt contingit in

filio & seruo respectu patris, & domini.

Obseruanda hoc in loco est diuersitas subiectionis quæ est ciuium ad Principem ab ea quæ est filij & serui ad patrem & dominum. Princeps dupliciter comparari potest cum ciuibus quibus præest. Primò tanquam cum subditis, quatenus subsunt iuri iurisdictionis; atque hoc pacto non datur inter eos ius & iustum quod est obiectum iustitiæ particularis, sed quod est obiectum obediētiæ. Secundo comparari potest Princeps cum singulis ciuibus tanquam homo cum hominibus præscindendo à iure iurisdictionis, ratione cuius vnus præest & alij subsunt; atque hoc pacto datur inter Principem & subditos ius & iustum simpliciter quod est obiectum iustitiæ particularis. Similiter ergo pater & dominus comparati quatenus tales cum filio & mancipio quatenus talibus sunt incapaces iuris ac iusti simpliciter, licet eiusdem sint capaces quoad ea, in quibus comparantur præcisè vt homines, absq; subiectione vnius ad alterum. Talia sunt quæ ad vnum quemlibet hominem pertinēt iure naturæ incapaci exceptionis.

Vndè si pater aut dominus abuteretur vxore filij aut serui; eosue immerentes infamaret, mutilaret, aut occideret, iniustè simpliciter ageret. Eadem est ratio de filio non emancipato quoad bona castrensia, & de emancipato quoad omnia sua bona; nec non de seruis quoad nonnulla in quibus leges exceperunt in fauorem libertatis eorum. Quoad hæc enim nulla est subiectio filiorum & seruorum ad patres & dominos, ideoque comparantur præcisè vt homines beneficio vel naturæ prouidentis rationalitati subditorum & dignitati fundatæ in illa inamissibiliter, aut non amissibili sine culpa;

vel Principum & Rerumpublicarum volentium promouere priuilegijs militiam arduã ex se & necessariam; aut excitare diligentiam ætatis filiorum iam satis adultæ sibique sufficientis; alijs sue iustis de causis eximentiũ filios & seruos à patria & herili potestate.

Extat porrò discrimen quoddam insigne inter Principem & subditos ex vna parte & inter patrem & filium ex alia. Princeps enim licet comparari possit cum subditis, & vt Princeps, & vt homo præcisè est: sub neutra tamen consideratione conuenit ei ius & iustum secundum quid respectu subditorum. Quoad ea enim in quibus comparatur vt Princeps, conuenit ipsi ius iurisdictionis simpliciter tale. Quoad cætera conuenit ius proprietatis tale itidem simpliciter tam actiuè quàm passiuè. Nec datur aliquod medium taliter participãs de vtroque eo extremo vt vtrumuis dici possit tantum secundùm quid. At inter patrem & filium quoad ea, in quibus comparantur vt tales formaliter datur iustum quoddam medium inter illud quod respicit obedientiã, & quod respicit iustitia particularis; quod proinde dicatur iustum non simpliciter, sed secundum quid & sub certà quadam ratione; nempe paternum. Ratio huius discriminis quod est in confesso apud omnes, non est apud omnes vsque adeò clara & manifesta. Videtur autem ea esse legitima quæ deducitur & quidem facilè ex dictis superius de quidditate & natura iuris proprietatis, & iurisdictionis.

Dictum nimirum est alterum ius ordinari ad fœlicitatem habentis ipsum; alterum ad fœlicitatem aliorum. Paternitas autem est titulus tribuens liberam facultatem ordinatam indiuisim ad fœlicitatem patris & fi-

lij. Hac enim de causa si pater in educatione filij & dispositione rerum ad eum pertinentium incumbat propriæ, aut delectationi aut vtilitati cum detrimento, aut etiam absque promotione eiusdem filij quoad mores, sanitatem, aut supellectilem, non dubitatur quin turpiter egerit aduersus obligationem paternæ prouidentiæ & dilectionis. E conuersò, si ita inuigilauerit promouendæ fœlicitati filij, vt ob eam passus sit aliqua incommoda, aut amiserit aliqua commoda propria, nec filium fecerit ex parte inseruire paternæ fœlicitati; sed eà postpositâ aut sepositâ totum filium & omnia quoquo modo ad eum pertinentia soli eidem, filio applicuerit in solidum, censetur eo ipso rationibus suis cessisse pater & progressus esse vltra limites obligationis paternæ.

Patet igitur patriam liberam potestatem circa filium esse ordinatam indiuisim ad fœlicitatem vtriusque. Quare neque ius proprietatis constituit neque ius iurisdictionis simpliciter, sed ius quoddam alterius speciei consistens in confinio & participatione indiuidua illorum duorum extremorũ. Quod proindè ius appellatur paternum non solùm ad indicandam differentiam eius materialẽ ex parte subiecti, sed etiam formalem inde resultantem quoad essentiam ipsius iuris ac iusti, vt constat apertè ex D. Thoma & Philosopho locis citatis & ex ratione modo data. At Princeps habet duo iura realiter distincta saltem æquiualenter ex parte terminorum quos respiciunt, alterum proprietatis quo agit tãquam quælibet persona priuata pro vtilitate & fœlicitate propria; alterum quo fungitur vt princeps in bonum publicum. Perspicitur igitur ex his clarè discrimen intentum.

Eadem

Eadem doctrina applicanda est propor-tione seruata iuri quod est inter dominum & seruum. Quia etiam Dominatio est ordinata indiuisim in fœlicitatem domini & serui. Cum enim seruus quatenus homo essentialiter sit gratia sui & ordinatus ad propriam fœlicitatem, nulla hominum conuentione fieri potuit, vt libertas eius subijceretur domino; sicut subijciuntur res inanimatæ & bruta, vtque nulla superesset obligatio prouidendi fœlicitati ipsius. Quare libertas serui translata in arbitrium domini per constitutionem humanam transit in ipsũ cum onere imposito per legem naturalem essentialiter indispensabilem, vt inseruiat eius fœlicitati quoad ea, quæ sunt de substãtia eiusdem fœlicitatis; quoad bonam nimirum famam & corporis integritatem ac sanitatem & quæ sunt præcisè necessaria ad hæc duo bona conseruanda. Atque hoc ita se habet in ordine naturali. In ordine verò supernaturali remanet insuper obligatio quoad vsum etiam sacramentorum & alia quæ sunt similiter necessaria ad substantiam & finem vitæ christianæ. Quoad hęc enim manet seruo ius tum naturale, tum positiuum diuinum aduersus dominum; licet ius politicum & humanis legibus inductum nullum illi suffragetur, nisi vbi priuilegio aliquo & fauore summa seruitutis ratio mitigata fuerit.

Ius itaque dominatiuum seu herile eadem ferè ratione, atque paternum descisit à iure & iusto simpliciter, & facit tertiam speciem quasi mixtam ex iure proprietatis & iurisdictionis. Dicitur autem ius paternum & dominatiuum deficere à iure & iusto simpliciter, non quod sit inferioris conditionis, & minorem inducat obligationem. Certum

namque

namque est, quod non minorem sed multo maiorem obligationem inducat cæteris paribus, quam ius quod tale simpliciter dicitur; siquidem vt constat ex dictis, transgressio obligationis fundatæ in iure paterno, & dominatiuo est malum ex sua ratione formali contrarium bono fœlicitatis duorum; cum transgressio aliarum obligationum vniuersalium consistat in sola contrarietate ad fœlicitatem vnius. Ratio igitur ob quam nomine iuris & iusti simpliciter & sine addito intelligitur ius solius vel proprietatis, vel iurisdictionis, est, quia his duobus iuribus commercia, ordo, & societas generis humani vniuersaliter continentur, & quod frequentissimum est, intelligitur absque addito sub nomine, quod est cōmune significato non ita frequenti.

Dictum verò est eandem ferè, & seruata proportione rationem esse de iure paterno & dominatiuo; quia absolutè differunt inter se specie. Ius namque paternum inductum est lege naturali in fauorem magis prolis quam patris, cuius indicium est duplex. Primum est quia filius datur patri iam præhabenti per se loquendo plura ad fœlicitatem necessaria quæ desunt filio, ac proinde postquam iam Deus magis prouiderat indigentiæ patris quam filij, si patrem non grauasset in fauorem filij. Necesse igitur fuit ex natura rei, vt patrē specialiter grauaret, ac filio indulgeret magis, cum vtrumque amet ex natura rei æqualiter, vtpote æquales in natura & bonitate intrinseca. Alterum indicium est, quia cessante indigentia filij, vt dirigatur à patre, ob ætatem iam maturam & iudicium sibi sufficiens, incipit connaturaliter emancipatio & filius desinit esse sub Patria potestate. Quod non

fieret, si subiectio filij ad patrem non esset principaliter instituta in gratiam & obsindigentiam filij. Seruitus autem inducta est per constitutionem humanam in fauorem maximè dominorum. Quod non indiget probatione, siquidem seruis sola relicta est vita cum bonis quæ per legem naturalem aut positiuam diuinam prorsus indispensabilem sunt connexa vitæ, nec eripi potuere lege humana, quin vita ipsa eriperetur. Ius itaque patris in filium participat magis de iure iurisdictionis; dominatiuum verò magis de iure proprietatis; licet neutrum alterutri simpliciter conueniat, dum pater & dominus, filius & seruus considerantur, vt tales formaliter, & quoad ea quæ ad ipsos pertinent, vt tales sunt.

Ius œconomicum quod est inter virum & vxorem, neutri tollit verum ius proprietatis simpliciter tale aduersus alterum, vt docent Philosophus & D. Thomas locis citatis & communis cæterorum consensus. Ratio est quia matrimonium est datiuum mutuæ potestatis alterutri coniugatorum aduersus alterum quoad vsum ipsius matrimonij. Quoad alia verò pertinentia ad gubernationem & dispositionem familiæ & rei familiaris, licet vxor sit socia mariti atque hic teneatur attendere ad illius voluntatem ac placitum, quatenus necesse est & sufficiēs per se ad socialem & tranquillam vitam peragendam, præsertim in ijs quæ sunt propria muliebris prouidentiæ ac dispositionis. Præfertur nihilominus maritus vxori propter maiorem dignitatem viri, maioremque aptitudinem ad regendum: cum ineuitabile sit vitandæ confusioni alterutrum præesse. Habet præterea vir ius non simpliciter tale aduersus vxorem in plerisque dispositioni-

bus,

bus rei familiaris & totius familiæ; idque propter rationem non absimilem illi quæ reddita est circa ius paternum & herile.

Longum porrò esset & vltra limites præsentis instituti de ijs omnibus sigillatim decernere, quæ cadunt sub iure vtriusque coniugis indiuisim, & quæ ad ius alterutrius seorsim pertinent. Suffecerit pro nunc obseruare in genere ex Philosopho, D. Thoma & alijs vbi supra quæst. 1. vtrique coniugi conuenire ius proprietatis simpliciter tale aduersus alterum quoad aliqua; quoad alia verò ius non simpliciter tale, sed œconomicum mixtum ex iurisdictione & proprietate, quod ferè in omnibus pertinet ad maritum: atque primum verificari quoad ea quæ ad commodum alterutrius priuatiuè pertinent; secundo quoad cætera quæ vtriusque intersunt promiscuè. Ex ijs igitur omnibus constat satis communes diuisiones iuris tum ex parte principij tum ex parte subiecti esse bonas, vtpote adæquatas & per species inuicem essentialiter dissidentes, & quæ contineant doctrinam valde vtilem ac necessariam ad perfectam intelligentiam virtutis iustitiæ quæ circa illas omnes versatur, & diuersimodè circa singulas.

Ad 1. Ius gentium iuxta vsum canonistarum & Theologorum inductum quidem est determinatione humana absolutè libera, sed ad quam impulerit necessitas moralis ita statuendi. Quæ autem operantur homines impellente præuia necessitate morali eueniunt vbique & semper vniformiter, licet absolutè deficere possit vniformitas absque miraculo vt dictum est in qq. de Gratia.


Ad 2. Patet responsio ex notatione modo adhibita ad 1. Quia quod statuitur cum necessitate morali sic statuendi differt spe-

cie ex parte obiecti & ex parte actus quo ſtatuitur, ab eo quod conſtituitur abſque neceſſitate morali. Dictum autem eſt, ius gentium conſtitutum eſſe præeunte neceſſitate morali, atque inde procedere vniuerſalem eius vniformitatem. Ciuile verò jus ſtatuitur abſque neceſſitate morali ſaltem vniuerſali atque inde reſultat eius diuerſitas in alijs atque alijs & locis & temporibus.

Ad 3. Conſtat ex dictis hæc tria iura paternum, œconomicum & herile quatenus talia sũt formaliter diſſidere ſpecie adæquatè quoad omnes terminos quos reſpiciunt cum inter ſe tum ab omni alio iure. Illæ igitur differentiæ & nullæ aliæ exprimi debuere.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum virtus iuſtitiæ recte definiatur conſtans, & perpetua voluntas, ius ſuum vnicuique tribuens?



VIDETVR non rectè definiri, quia quod eſt conſtans & perpetuum numquam deficit virtus autem iuſtitiæ deficit ſæpe tum quoad actũ tum quoad habitum; Ergo virtus iuſtitiæ non eſt quid conſtans & perpetuum.

2. Virtus iuſtitiæ nihil operatur ſaltem directè & formaliter nisi præexiſtente iure in eo circa quem operatur, vtque iuri præexiſtenti conformetur. Ergo virtus iuſtitiæ non

non tribuit ius, ſed quod debetur ratione, iuris præexiſtentis ante operationem eius.

3. Impoſſibile; eſt ineſſe perpetuam aliquatenus, & conſtantem voluntatem circa aliquid ei qui nullum vnquam actum voluntatis exercuit circa idem. Virtus autem iuſtitiæ infunditur parvulis in Baptiſmo ſimul cum cæteris virtutibus vt dictum eſt in diſputatione de virtutibus in communi & in qq. de virt. Theol. & tamen parvuli ſunt incapaces eliciendi aliquem actum. Immo & adultos contingit ſæpe iuſtificari nullo elicito actu iuſtitiæ particularis; & tamen recipiunt virtutem iuſtitiæ ſicut reliquas omnes virtutes ſupernaturales. Ergo non eſt de ratione iuſtitiæ conſtans & perpetua voluntas tribuendi.

Confirmatur à poſteriori quia puer baptizatus cū peruenit ad vſum rationis, adultus recenter baptizatus & qui per pœnitentiam expiauit peccata eo ipſo habet iuſtitiā per ſe infuſam; & nihilominus tam facile ſuccumbit cuilibet tentationi ac difficultati aduerſus actum iuſtitiæ; atque is qui nullū talem habitum recepit. Certè non eam experitur conſtantiam, quam experitur circa quamlibet operationem, qui propoſitum de illa efficax, hoc eſt conſtantem & perpetuam voluntatem prius concepit. Ergo non eſt de ratione habitus iuſtitiæ in communi quod in ſe contineat conſtantem eiuſmodi & perpetuam voluntatem.

R. Iuſtitia in ſacris litteris, & conſilijs frequenter accipitur pro habitu incompoſſibili cum peccato lethali. Deinde apud ſacros & prophanos Scriptores non minus familiariter ponitur pro collectione omniū virtutum. Vnde iuſtus dicitur perinde

atque

atque sanctus, & qui caret omni peccato lethali, quique in nullius deficit perfectione virtutis. Neutro ex his modo vsurpatur in præsenti iustitiæ nomen, sed pro peculiari quadam virtute cuius obiectum est ius proprietatis hucusque explicatum, & in ordine ad quod definitur ab Vlpiano l. iustitia: *constans & perpetua &c.*

Quæ definitio ab omnibus recipitur, sed fere ab omnibus ita explicatur, vt potius emendari videatur. *Constans & perpetua* ponitur loco generis. Omni namque virtuti commune est, vt conferat facilitatem operandi in propria materia victricem difficultatum pugnantium aduersus eius actus, quod constantiæ nomine designatur; vtque contineat in se propositum vniuersale nullo vnquam tempore, nullaque in re deferendi rectitudinem sibi propriam, quod perpetui nomine significatur. *Voluntas* non ponitur pro potentia sed pro actu voluntatis, qui sæpe adhibetur pro habitu præsertim à Iuristis, atque in præsenti sic proculdubio accipitur. Quia nullus actus ratione sui præcisè habet constantiam, & perpetuitatem, sed ratione habitus quem inducit propositum actuale firmiter retinendi in omni materia & opportunitate rectitudinē cui adhæret.

Ius suum quod pertinet ad rationem differentialem, non ponitur pro iure actiuo & potestatiuo. Quod scilicet neque per iustitiam tribui, nec auferri per iniustitiam potest vt infra patebit. Ponitur ergo passiuè pro eo, quod cadit sub iure actiuo ac potestatiuo, & per ipsum tanquam per formā, suum cuiusq, denominatur. *Vnicuique* non solum singulas personas, sed etiam quamlibet multitudinem & rempublicam integrā

com-

complectitur, quando gerit munus, ac vices personæ priuatæ, seu perindè cum alijs cōparatur, atque si esset persona priuata. Particula *tribuens* accipienda est positiuè, & negatiuè. Ad eandem namque virtutem pertinet dare nondum habenti, & non auferre iam habenti, quod suum ipsius est.

Ex his apparet definitionem istam optimè redactam esse in formam debitam à D. Thoma dicente quæst. 58. art. 1. *iustitia est habitus secundum quem aliquis constanti & perpetua voluntate ius suum vnicuiq. tribuit.* Patet etiam eandem definitionem coincidere reipsa cum illa alia Philosophi cap. 1. dicti l. 5. Eth. *iustitia est habitus secundum quem aliquis dicitur operatiuus secundum electionem iusti.* Nempe habitus includit in se constantiam, & perpetuitatem circà suum obiectum. Vndè hæc duo maioris solum claritatis gratia adijciuntur habitui à D. Thoma, vtque antiquæ definitioni maneret decus quantum posset. Nam secundum conceptum præcisum sufficit dicere: *Iustitia est habitus ius suum vnicuique tribuendi*; seu *tribuendi vnicuique quod suum est*, atque sic efferri solent à D. Thoma definitiones aliarum virtutum absque vlteriori expressione constantiæ, & perpetuitatis, licet ambæ sint omnibus virtutibus communes vt dictum est; neque quoad eas quidquam habet speciale iustitia. Particula *iusti* adhibita à Philosopho est magis idonea, quam *ius suum*, quod adhibetur ab Vlpiano vt liquet ex data, circà eam vlpiani particulam, adnotatione. Quia iustum pa͡siuè, ius verò actiuè plerumque & aptius vsurpantur.

Quod addit Philosophus, secundum electionem, est itidem commune omni virtuti morali. Quælibet enim est electiua sui obie-

cti, vt medij conducētis ad vltimum finem. Accipiendum autem id est in sensu formali, vt sit electio iusti quatenus iusti formaliter, & quia iustum est. Si quis enim operetur iustum, idque per liberam electionem eius, quod iustum est; non tamen quia iustum est formaliter, non elicit actum proprium virtutis iustitiæ. Cuius rei ratio reddita est, dum ageretur tum de virtutibus in communi, tum de bonitate & malitia actuum humanorum.

Ex hoc principio deducitur obiectum formale iustitiæ non esse, quod iustum est, seu quod debetur alteri debito iustitiæ, & quod per eandem iustitiam vnicuique tribuitur; sed ius actiuum, ratione cuius debetur, quod tribuitur, & quod præsupponitur in eo, cui per iustitiam tribuitur aliquid. Quia quod tribuitur per iustitiam nihil differt per se præcisè ab eo, quod tribuitur per liberalitatem, v. g. Eædem namque pecuniæ possunt tribui ex liberalitate, & ex iustitia, & sic de alijs. Ergo si id quod tribuitur per iustitiam, haberet respectu ipsius rationem obiecti formalis, obiectum formale iustitiæ nihilo differret ab obiecto formali liberalitatis; atque ideò nihilo differret iustitia à liberalitate, quādoquidem distinctio virtutum fit per sola obiecta formalia ipsarum. Ergo aliquid distinctum ab eo, quod tribuitur per iustitiam, habet rationem obiecti formalis respectu ipsius. Hoc autem non potest esse aliud quam ius actiuum per quod scilicet solum constituitur in ratione iusti, ac debiti, quod tribuitur.

Notandum est definitionem Vlpiani congruere multo magis iustitiæ acquisitæ quam infusæ. Et quidem certum est Vlpianum solum de iustitia acquisita, & naturali exponenda

nenda directè, & formaliter cogitasse. Nihilominus quia etiam Theologi solliciti vel maximè de iustitia supernaturali et infusa omnes ad vnum amplectuntur cum D. Thoma definitionem Vlpiani, neque vllam prætereà aliam definitionem, aut quærunt, aut exhibent, qua specialiter comprehendant iustitiam infusam, aut qua seorsim exponant quidditatem ejus, necesse est accomodare aliquo modo iustitiæ etiam infusæ constantiam & perpetuitatem attributas ab Vlpiano rationi communi iustitiæ, ne vsque adeo cõmunis & vnanimis approbatio eius definitionis penitus contemnatur.

Constanti itaque & perpetuæ voluntati; idest proposito efficaci & vniuersali circa aliquam materiam duo principaliter conueniunt. Alterum est vis inclinandi voluntatem, atque alliciendi ad actus conformes proposito, eosdemque reddendi magis sperabiles, quam forent illo non præconcepto. Alterum est incompossibilitas cum actibus contrarijs in eadem materia. Habitui infuso conuenit hoc secundum, licet non conueniat primum. Quia habitus infusus expellitur per quemuis actum vitij oppositi grauiter peccaminosum; atque propositum efficax, & vniuersale de vitando eiusmodi actũ iniustitiæ est de ratione hominis simpliciter iusti. Peccata namque venialia iniustitiæ non faciunt iniustum, nisi tantum secundũ quid. Habitui naturali iustitiæ conuenit è conuerso inclinatio & allicientia ad actus ipsius; & non conuenit incompossibilitas cũ actibus vitij contrarij etiam grauiter peccaminosis.

Ergo licet diuersimodè diuersisque titulis, æqualiter nihilominus, certè non valdè inæqualiter conuenit habitui infuso atque

natu-

naturali, participatio voluntatis actualis cõstantis & perpetuæ de reddendo cuique, quod suum est. Commune præterea vtique est vt in genere causæ efficientis contineat eandem voluntatem constantem, & perpetuam, & quidem cum excessu perfectionis ex parte habitus infusi. Atque hæc duo omninò sufficiunt; vt sub communi illa definitione comprehendantur vtriusque generis habitus. Verum quia inclinatio & alliciencia propria habitus acquisiti cadit sub experientiam manifestam, estque propterea notissima omnibus: incompossibilitas verò cum actu contrario propria habitus infusi non cadit sub experientiam vsque adeò perceptibilem, estque multò occultior, propterea apparet definitionem Vlpiani soli conuenire iustitiæ acquisitæ; cum sit reipsa communis etiam infusæ vt patet ex dictis. Ex quibus demum colligitur eandem definitionem esse absolutè bonam, & adæquatam.

Ad 1. Non conuenit virtuti constantia; & perpetuitas physica reddens impossibilem physicè interitum ipsius; sed sola intentionalis reddens difficilem eundem interitum tam ipsius habitus secundum se, quam etiam actus data opportunitate operandi, vti explicatum est.

Ad 2. Dictum iam est ius in definitione sumi passiuè, quo cessat difficultas obiectionis.

Ad 3. Verum est non posse naturaliter inesse habitualem constantiam, & perpetuitatem quin præextiterit actualis: inesse tamen supernaturaliter potest, quin eadem præierit. Quia Deus supernaturaliter supplere potest causalitate sua causalitatem nostræ voluntatis, eique indere habitualem dispo-

dispositionem æquiualētem modo superius exposito dispositioni habitæ per actus proprios. Quia Deus est causa cōtentiua nostræ voluntatis & omnium actuum bonorum qui ex illa prodire possunt. Indidem & ex superiori explicatione patet satis ad confirmationem; verum definitio Philosophi, ex actius & maiori cum præcisione exprimens quidditatem iustitiæ secundum se, conuenit æqualiter iustitiæ acquisitæ & infusæ accepta vt iacet, ideoque est obseruanda magis licet sit minus vulgaris, vti contingit in profundiori quauis rerum expositione.

QVÆSTIO IX.

Vtrum sit proprium iustitiæ respicere medium rei, & constituere æqualitatem rerum?

VIDEDVR neutrum esse proprium ac speciale iustitiæ. 1. Quia omnibus virtutibus moralibus commune, ac essentiale est quod respiciant medium rationis vt dictum est in disputatione de virtutibus. Medietas autem rationis dari non potest nisi quatenus ratio inuenit medietatem in rebus. Quid enim est medium rationis, nisi medium diiudicatum, ac constitutum per rationem in rebus? id est medium rei cognitum per rationem. Vnde medium rei nihil conferre potest ad habitum & actum virtutis, nisi quatenus cognitum vt tale, & propositum voluntati per rationem; ac proinde nisi

qua

quatenus simul est medium rationis. Ergo medium rei & rationis respectu virtutis in idem prorsus recidunt. Quapropter nulla virtus ab alijs virtutibus differre potest per alterutrum ex his medijs; siquidem vtrumq. est commune omni virtuti specificatæ per vtrumlibet ex illis.

2. Medium quod adscribitur virtuti morali à Philosopho & D. Thoma alijsque communiter est constitutum inter duo extrema vitiosa. Obiectum autem proprium iustitiæ non est constitutum inter duo extrema vitiosa. Quia dare plusquam debeas quod est alterum ex extremis, quibus interiacet tale obiectum, non est vitiosum per se, vt patet. Ergo obiectum iustitiæ non est medium neque rei neq. rationis.

3. Neque, æqualitas inter personas secundum se, neque inter res, aut iura earum intendi ac constitui potest per iustitiam. Quoad personas res est clara; quia personæ secundum se sunt æquales vel inæquales ex sua natura independenter ab actu iustitiæ; nèque iustitia quoad hoc quidquam præstare valet. Iam quoad res & iura si pertineret ad iustitiam constituere æqualitatem in illis, possent pauper, vilis & æger operando iustè, & satisfaciendo obligationi iustitiæ insidiari diuitijs, honori, & sanitati eorum, qui his bonis abundant, quovsque eos redigerent ad perfectam secum æqualitatem. Et è conuerso nemo posset præeminere cuiquam alteri vlla in re, aut iure rerum. Quibus nihil iniquius & absonantius esse potest. Ergo ratio iustitiæ potius consistit in retinenda æqualitate æqualium, & inæqualium inæqualitate, ac per consequens non magis spectat ad ipsam æquale, quam in æquale.

D R.D.

R. D. Thoma quæst. 58. art. 10 cum Philosopho 2 Eth. cap. 6. docet iustitiam respicere medium rei, & per hoc eam differre à cæteris virtutibus moralibus, quæ respiciunt medium rationis, atque hoc ita inualuit apud auctores, vt habeatur veluti primum principium. Eodem recidit, quod ijdē affirment per iustitiam constitui æqualitatem: medium nimirum rei esse æqualitatem inter extrema quorum est medium. Vnde Philosophus in præsenti l. 5. sub initium ac deinceps iustum & æquale; iustitiam & æqualitatem pro eodem prorsus vsurpat, & ex mente D. Thomæ ea iustari dicuntur, vt relatū est supra in 1. quæst. quæ ad æqualitatem rediguntur. Quare soli iustitiæ tribuitur quod æqualitatem formaliter constituat. Cæteræ namque virtutes, ac præsertim caritas, tametsi æqualitatem aliquando constituant inter eum cui insunt, & alias personas non tamen id faciunt respiciendo formaliter æqualitatem, sed identicè tantum, ac materialiter atque hoc similiter inualuit apud omnes vt indubitatum.

Dicendum itaque est communem istam sententiam & explicationem iustitiæ per illa prædicata esse procul dubio verissimam in eo sensu in quo à Philosopho & D. Thoma tradita est, quod ad iustitiā attinet, exequibilis per ipsam formaliter. Prima est æqualitas proportionis inter iura cuiusque & res pertinentes ad ipsum; vt scilicet sicut se habent iura vnius ad iura alterius, ita omnino se habeant res vnius ad res alterius terminantes eadem iura. Nempe huiusmodi æqualitate non seruata impossibile est, vt vnicuique tribuatur quod suum est. Is enim cuius res magis excedentur à rebus alterius quam iura eiusdem à iuribus eiusdem, impossi-

possibile est vt habeat omne quod suum est. Habebit enim necessario minus. E conuersò si res excedant plusquam iura, necessariò habebit magis quam quod suum est. Quatenus enim excedit habebit rem non suam, vt est manifestum; siquidem res fit sua cuiusque ratione iuris circa eandem. Eadèm est ratio vt patet si iura sint paria & res impares. Ergo æqualitas proportionis inter iura & res cuiusque est procul dubio de ratione iustitiæ.

Secunda æqualitas est inter datum, & acceptum, per contractum aut quasi contractum, siue voluntarium siue inuoluntarium. Si enim duo ita inter se comparentur, vt singuli habeant octo atque alter eorum dans tãtum duo accipiat quattuor, ex æqualibus fiunt inæquales aduersus iustitiæ leges quibus satisfieri non poterit quo vsque is qui accepit quattuor; duo insuper alia reddat; & sic iterum reddantur æquales ex inæqualibus. Hoc enim non ita præstito impossibile erit vt vnicuique tribuatur quod suum est, quod tamen ad iustitiam pertinet, vt constat ex eius definitione. Quia verò quoad hoc eadẽ omninò ratio, est siue supponatur æqualitas materialis rerum & iuriũ ante contractum, aut quasi contractum, siue supponatur inæqualitas contraria, patet sẽper ad iustitiam spectare vt constituat æqualitatem inter datum & acceptum.

Tertia æqualitas est formalis per conformitatem ad leges, & conuentiones hominum, omnibus, & singulis hominibus omninò æquales. Quam in rem notandum est, lege & conuentione omninò æquali formaliter respectu duorum, posse suboriri inæqualitatem materialem inter eosdem, ita vt lex, & conuentio faueat æqualiter vtrique,

& vterque æqualiter in eam consentiat iuxta rectam rationem, & amorem sui illã directum; & nihilominus per diuisionem rerum, ac iurium conformem tali legi, & cõuentioni euadant valdè inæquales inter se, quo ad iura, & res vnicuique contingẽtes. Conspicitur hoc clarè in contractu sortis, qui licet sit æqualis respectu vtriusque contrahentis, vt potè, exponens vtrumque periculo, & spei æqualibus; euẽtus tamen necessariò est inæqualis fauens vni, & aduersus alteri, adeoque alterum alteri constituens materialiter inæqualem. Simile quid contingit in omni vniuersaliter inæqualitate quoad iura humana, & quoad terminos eorum. Omnis enim acquisitio iuris dependet à conuentione hominum quà implicitè, vel explicitè consentiunt omnibus modis, qui de facto existunt, acquirendi ius, eamque conuentionem lex adeo lata confirmet vti insinuatum est quæst. 5. & exponetur amplius infra agendo de rerum diuisione.

Itaque qui obtinent res inæquales cum iuribus similiter inæqualibus sunt inæquales inter se tantum materialiter, æquales verò formaliter, quatenus ea inæqualitas originem ducit ex lege & conuentione æquali respectu omnium. Quare iustitia pauperis tribuens diuiti ius suum, & diuitis tribuens pauperi suum constituit quidẽ materialem inter illos inæqualitatem; retinet tamen formalem inter eosdem æqualitatem, quatenus ea inæqualitas est conformis primææ legi & conuentioni ambobus æqualiter fauenti, atque ab ea originem ducit. E contra si pauper rapiat diuiti medietatem bonorum, hoc verè cõstituit quidem æqualitatem materialem, sed corrum-

pit æqualitatem formalem per difformitatē cum primæua lege, & conuentione æqualē simpliciter & secundum se respectu vtriusq. sed inducente hic, & nunc inæqualitatem materialem iurium, & rerum inter illos propter eandem illam æqualitem coniunctam cum disparibus alijs circumstantijs, & conditionibus conferentibus ad acquisitionem iurium, & rerum ex præscripto eiusdem legis & conuentionis.

Tertia ista æqualitas conueniens obiecto iustitiæ per denominationem à primæua diuisionum lege omnibus hominibus æquali est propria iustitiæ naturalis, quam solam Philosophus considerauit; necnon & iustitiæ supernaturalis diffidentis à naturali, quo ad bona naturalia, præcisè ex motiuo, vti diffidet, ea, quæ datur de facto. Hæc enim eandem diuisionem, & diuisionum legem obseruat, quam obseruat iustitia naturalis existente inter ipsas diuersitate ex ordine ad finem quem respiciunt & non ex quantitate rerum. Cæterum supernaturaliter potuit ab initio constitui lex diuisionum nō fauens æqualiter omnibus, nec constituens omnes in spe & periculo per se æquali acquirendorum iurium & rerum. Nihil enim Deum impedire potuit quo minus ita statueret si voluisset. Atque in hoc euentu iustitia nō debuisset obseruare æqualitatem istam tertio loco explicatam, sed solum duas alias quæ præmissæ antea fuere, quæque sūt de conceptu quidditatiuo iustitiæ, vt sic & in communi, & quæ proinde sunt æqualitates intentæ à Philosopho & D. Thoma, alijsque communiter.

Quod ad medium attinet obseruandum à iustitia, certum imprimis est commune esse iustitiæ cum cæteris virtutibus morali-

bus, vt debeat respicere medium propositū à ratione prudenti, vtque sufficiat ad actum proprium ipsius, si amplectatur obiectum propositum vt medium inter excessum & defectum, tametsi reipsa non sit medium, quod proponitur; sed alterum ex extremis per se vitiosis. Certum similiter est medium quod respiciunt reliquæ virtutes morales distinctæ à iustitia, consistere inter aliqua extrema realia, & eatenus medium ipsarum dici posse medium rei. Falsum nihilominus est nullam propterea superesse rationem specialem, ob quam mediū, quod spectat ad iustitiam dicatur medium rei; & quod spectat ad alias virtutes medium rationis: non verò è conuerso.

Dicendum igitur primo, est dari medium quoddam reale situm inter duo extrema vitiosa; atque hoc medium positum esse, vt docet Philosophus loco paulo ante citato, & in præsenti cap. 4. inter damnum & lucrum, siue inter plus & minus relatè ad ius exercentis iustitiam & eius circa quem exercetur. Lucrum dicitur à Philosopho quod cuique contingit vltra id, ad quod habet ius; damnum verò quod cuique deest ex ijs, ad quæ habet ius. Quare plus habere quam debeas, est lucrum; & minus habere quam debeas, damnum. Hæc duo extrema sunt vitiosa vt patet. Qui enim plus habet quam debeat habere, facit contra legem, ratione cuius debet non tantum habere; ac per consequens facit contra eandem legem, qui est causa vt alter habeat minus quam debet habere, quia neutri tribuitur præcisè quod suum est, sed alteri plus, alteri minus. Inter hunc igitur excessum ex vna parte & defectum ex alia, qui sunt extrema vitiosa, constituit medium iustitia auferendo ab exce-

excedenti medietatem excessus, eademque medietate in alterum translata; & similiter auferendo medietatem defectus seu inferioritatis, quam alter patiebatur. Si enim duo ità inter se comparentur, vt vterque habeat ius ad sex, atque alter vltra sex ad se pertinentia vsurpet duo, eo ipso is habet octo. & alter nonnisi quatuor; ac proinde, excessus ex vna parte & defectus, seu inferioritas ex alia est penes quattuor. Diuisis autem vtrinque ijs quatuor in duas medietates, atque alterutra medietate in alterum translata, quod fit per virtutem iustitiæ, rediguntur ambo ad æqualitatem, & constituitur medium inter lucrum, & damnum; inter plus & minus. Patet igitur virtutem iustitiæ consistere in medio inter lucrum & damnum, plus & minus, quæ sunt extrema vitiosa.

Dicendum rursus est, virtutem iustitiæ rectè per hoc distingui à cæteris virtutibus, quod ipsa respiciat medium rei reliquæ verò medium rationis. Quia iustitia præcipuè ac præcisè attendit ad medietatem rei, nec satisfit obligationi eius, donec ea medietas executioni mandetur, quantumcumque medietas rationis ponatur à parte rei. Reliquæ verò virtutes præcipuè, ac præcisè attendunt ad medietatem rationis, eaque positâ nulla vlterius superest obligatio ipsarum propria. Qui enim bona fide soluit decem credens, se nihil plus debere non propterea extinguit debitum, si reipsâ debebat viginti; sed cognito errore tenetur reddere alia decem non secus, ac si mala fide soluisset initio. At qui in materia alterius virtutis moralis passus est ignorantiã inuincibilem, & operatus est conformiter ad dictamen fundatum in illa, nihil resarcire te-

netur cognita postea veritate. Si enim vno die plus comedit quam deberet simpliciter, non propterea sequenti die tenetur minus comedere vt compenset excessum materialem diei antecedentis, sed, perinde omninò, atque si die antecedēti nullus excessus materialis extitisset, dummodo in sequentem diem non resultauerit inde diuersitas. Et sic in cæteris similiter virtutibus, & earum actibus contingit, ita vt obligatio præsens pendeat ex præsenti dispositione subiecti & obiecti, & non ex eo præcisè, quod antecessit siue ex parte rei, siue ex parte operis, seu bona, seu mala fide peracti.

Deinde mensura rectæ rationis non consistit in indiuisibili in materia aliarum virtutum, & variatur pro varia conditione subiectorum, & circumstantiarum; atque adeò medium per illas intentum pendet ab arbitrio prudenti singulorum conferente materiam, circa quam agendum est cum persona operante, idque quoties agendum est. At mensura rationis in materia iustitiæ cōsistit in indiuisibili; & eius medium est idem respectu omnium, & hæret rei inuariabiliter; eaque propter merito dicitur medium rei, cum ob oppositam rationem medium cæterarum virtutum dicatur medium rationis.

Medium istud rei quod attribuitur iustitiæ coincidit: cum triplici illa æqualitate, quam dictum est per iustitiam constitui; solumque differunt per diuersos comparationum modos, ac terminos, relatè ad quos res eadem consideratur. Rursus idem medium rei, & quodlibet æquale ex illis tribus coincidit cum eo, quod suum cuiusque est, seu cum iusto passiuè sumpto, solumque differūt ratione vt dicit Philosophus eodē illo cap. 4.

Quare

Quare ad exercitium iustitiæ perinde est vtrumlibet ex his formaliter cognoscere. Coincidit præterea plus de bono, cum minus de malo. Quia ipsum minus de malo est quoddam bonum Vndè ad iustitiam spectat constituere medium inter minus & plus de malo, eodem prorsus modo quo dictum est de medio inter plus & minus de bono.

Licet autem obiectum iustitiæ consistat in medio inter duo extrema vitiosa, vt liquet ex omnibus quæ hucusque dicta sunt; ac proinde iustitia ipsa consistat in medio obiectiuè & causatiuè. Quod est illi commune cum cæteris virtutibus moralibus. Nihilominus habitus iustitiæ non est medius inter duos habitus vitiosos, atque adeò formaliter non consistit in medio iustitia. Quo differt à reliquis virtutibus moralibus, non solùm obiectiuè & causaliter consistentibus inter duo extrema vitiosa, sed etiam formaliter inter duo vitia. Ratio huius differentiæ est. Quia extrema vitiosa, quæ vitat iustitia, sunt mutuò inseparabilia. Vnde prouenit non posse in ordine ad illa dari, nisi vnicum habitum vitiosum. Quo namque habitu aliquis est causa, vt ipse plus habeat, quam debet habere; eodem est causa, vt alius habeat minus, quam debet habere. E conuersò quo habitu est causa vt alius minus habeat; eodem est causa vt ipse plus habeat formaliter vel saltem æquiualenter, quam debet habere. Licet enim possit aliquis esse causa, vt alius minus habeat destruendo præcisè, vel distrahendo eius bona; quia tamen bona alterius, seu destructa, seu distracta inseruiunt destruentis, seu distrahentis delectationi perindè ac si essent propria eius bona, atque delectatio est fructus cæterorum bonorum, propterea

æquiualenter, & in fructu ea bona sibi vsurpat, & perinde reputatur, atque si ea retineret. In alijs virtutibus non ita res habet; quia extrema vitiosa illis opposita sunt inuicem separabilia immo & incompossibilia, magisque diffidentia inter se, quam à medio virtutis. Certè quoad separabilitatem res est clara, quia nemo simultaneè plus erogat & minus, quam par est; idemque cernitur in cæteris eiusmodi. Constat igitur ex his omnibus ad virtutem iustitiæ essentialiter pertinere medietatē rei, & æqualitatem rerum, atque per hoc ipsam differre à cæteris omnibus virtutibus.

Ad 1. medium proprium iustitiæ dicitur medium rei non per exclusionem rationis proponentis illud voluntati; sed per exclusionem rationis constituentis illud diuersimodè respectu singulorum facta comparatione speciali rerum singularum cum singulis personis hic & nunc; & quia mensura totius obligationis, quæ est propria iustitiæ, non pendet à solo dictamine rationis existente cum exercetur operatio virtutis, vt contingit in cæteris virtutibus, & notatum est supra.

Ad 2. Illud argumentum laborat falsa suppositione. Supponit nimirum extrema, quibus interiacet medium iustitiæ ex sententia Philosophi & aliorum, esse dare plus vel minus quam debeas, & non reperiri alia extrema vitiosa quibus interijci possit. Quod iam constitit esse falsum. Dictum enim est medium iustitiæ consistere inter plus vnius personæ & minus alterius, quam cuique debeatur, quorum alterum ab altero est inseparabile. Cum plus & minus contraria cæteris virtutibus considerentur respectu vnius tantum eiusdemque personæ, vel si

aliquando

aliquando respectu plurium, vniformiter tamen & per modum vnius; eaque sint inuicē separabilia, imò & incompossibilia.

Ad 3. Liquet ex dictis suprà æqualitatem absurdè vsurpari in obiectione, & omninò præter mentem Philosophi, D. Thomæ & aliorum communiter, qui videlicet loquuntur de æqualitate formali, ac proportionali iuxta leges, & iura; non de illa materiali personarum, & rerum secundum se, qua vtitur obiectio.

QVÆSTIO X.

Vtrum Iustitia versetur circa solas operationes, an etiam circa passiones?

VIDETVR circa vtrasque æqualiter versari, neque quoad hoc vllum esse discrimen inter iustitiam & cæteras virtutes morales, quia ex Philosopho 2 Eth. cap. 3. omnis virtus moralis versatur circa voluntates & dolores seu tristitias, quæ certè sunt passiones. Ergo omni virtuti morali commune est, vt versetur circa passiones, tanquam circa propriam materiam. Rursus ex eodem ibidem capite 6. virtus vt sic & in communi definitur: *quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit*. Ergo commune non minus est omni virtuti, vt versetur circa operationes; quas scilicet bonas reddere minimè potest, quin versetur circa easdem. Ergo neutro ex capite potest esse

vlla differẽtia inter iustitiã, & alias virtutes.

2. Neque iustitia potest exequi operationes suas non superatis passionibus, quibus illæ redduntur difficiles; neque fortitudo, & temperantia possunt superare passiones, nisi vt exequantur operationes pertinentes ad vnamquamque illarum, vtque eliciant actus prosecutiuos honestatis, cui aduersãtur passiones. Ergo commune est omni virtuti morali, vt circa operationes, & passiones indiuisim versetur.

3. D. Thomas quæst. 58. art. 8. & 9. eadem ratione qua docet iustitiam non circa passiones, sed circa operationes versari, docet idipsum de omnibus partibus iustitiæ tam potestatiuis, & integralibus, quam subiectiuis. Patet autem eas iustitiæ partes versari circa passiones. Liberalitas enim ex. gr. quæ est pars potestatiua iustitiæ, moderatur nimium amorem pecuniæ, qui est passio concupiscibilis, & sic de cæteris similiter.

4. Quælibet virtus ex proprio motiuo potest superare quamlibet sui operis difficultatem, vndecunque illa proueniat. Continet enim in se propositum vniuersale semper & pro qualibet circumstantia adhærendi suo motiuo; atque de iustitia dictum est signanter disput. 8. contineri in ipsa huiusmodi propositum tribuendi vnicuique quod suum est. Tale autem propositum opponitur omni contrariæ difficultati, vt per se satis patet, & in exemplo posito liberalitatis nemo dubitat, quin possit per eam immediatè superari nimius pecuniæ amor illi resistens. Et cuius pretij esset virtus, quæ quantum est de se, cuius etiam minimæ motioni cuiusuis passionis inclinantis in contrarium necessario cederet, nisi per aliam virtutem ipsi subueniretur?

5. Licet

5. Licet vt aliquod opus sit materialiter iustum solum requiratur esse reipsa commensuratum iuri alterius ex quocumque demum motiuo ac intentione fiat; tamen vt sit formaliter iustum necesse est fieri ex motiuo proprio ac speciali iustitiæ. Quia hoc est de ratione virtutis tam in communi, quã in particulari vti superius dictum est & alibi demonstratum. Hinc autem colligitur opus formaliter iustum non posse fieri absque victoria alicuius passionis. Quia motiuo iustitiæ opponitur circa redditionem pecuniæ auaritia, idemque proportionaliter contingit in quauis alia materia tam ipsius iustitiæ quam omnium aliarum virtutum, quæ sunt partes ipsius. Corruptio enim corporis & passiones in illa fundatæ reddũt nos pigros, atque difficiles ad omne opus formaliter bonum. Similiter autem contingit in actibus fortitudinis & temperantiæ. Fieri si quidem potest, vt actio materialiter tantum fortis, aut temperata fiat absque victoria passionis, quia ignoratur periculum mortis actioni reipsa coniunctum, aut quia ceditur alicui alij passioni; idemque dicitur de voluntate turpi, cuius vitatio connexa actioni, quæ exercetur, aut ignoratur aut oritur ab alia passione. Ergo victoria passionis cõtrariæ etiam in alijs virtutibus requiritur solùm ad ipsarum actiones formaliter tales. Ergo iustitia versatur circa passiones eodẽ prorsus modo, quo versantur circa easdem reliquæ virtutes morales, adeoque directè etiam & per se.

R. Philosophus capit. 2. & 4. & D. Thomas quæst 58. art 8. & 9. docent materiam iustitiæ esse solas operationes exteriores ordinatas ad alterum; fortitudinis verò & temperantiæ esse solas passiones; solumque

indirectè iustitiam circa passiones, & reliquas virtutes circa operationes exteriores ad alterum versari. Quæ sententia ab omnibus vnanimi consensu recipitur, dempto Buridano, cuius fundamentis nuper propositis, vt occurratur duo sunt præferenda, alterum spectans ad quæstionem de voce, alterum spectans ad quæstionem de re. Ad quæstionem de voce spectat effectus virtutum, qui sunt ad alterum, nomine operationum communiter censeri; qui verò non sunt ad alterum actiones simpliciter, non operationes appellari. Vnde fit iustitiam & omnes eius partes; quia sunt ad alterum, versari circà operationes, & nō circà actiones; cæteras verò virtutes circà actiones, & non circa operationes iuxta communem loquendi modum.

Ad rem autem spectat virtutes omnes ad hoc dari, vt superent aliquam difficultatem, ac arduitatem actionis seu operationis honestæ. Nempe ad actus nullo ex capite difficiles ac arduos nulla est necessaria, nullaque datur virtus. Superflueret enim & quod virtuti repugnat, esset inutilis habēti. Iustitia autem & eius partes hoc differunt à fortitudine & temperantia, earumque partibus; quod actus istarum redduntur difficiles solùm ex renitentia passionum: Actus verò iustitiæ sunt difficiles ex suo obiecto præcisè independenter etiam à renitentia passionum. Quare reliquæ virtutes ità versantur circa passiones, vt illis semotis dandæ non forent, nec essent vlla ex parte necessariæ; iustitia verò illis etiam semotis esset necessaria, & daretur.

Discrimen istud obseruauit optime, & demonstrauit D. Thomas 1.2. quæst. 56. art. 6. & quæst. 60. art. 2. & 3. vbi notat aliud esse

bonum

bonum vnicuique proportionatum secundũ speciem & indiuiduum; aliud excedens proportionem potentiæ, vel secundum speciem, vel secundum indiuiduum. Bonum respectũ cuiusque proportionatum secundũ speciem & indiuiduum, est bonum propriũ cuiusque secundum se considerati, seu quod habet rationem boni respectu cuiusque secundum se. Bonum excedens proportionẽ cuiusque secundum indiuiduum tantum est bonum proximi; quod scilicet non differt à bono proprio secundum speciem, sed secundum indiuidum tantum. Bonum excedens proportionem cuiusque etiam secundum speciem est bonum diuinum; distans scilicet infinitè à bono proprio cuiusque secundum se. Si compareretur voluntas cum bono sibi proportionato, id est proprio volentis secundum se, non indiget ad prosecutionem eius vllo habitu, aut virtute sibi superaddita per se loquendo. Quia ad bonum proprium & proportionatum cuiusque potentiæ abundè sufficit inclinatio eius innata, si non adsit aliquod aliundè impedimentum, aut difficultas. At verò ad prosecutionẽ boni minimè proportionati, quale est bonum diuinum, & omne bonum alienũ, quatenus alienum, tametsi nullum aliundè adsit impedimentum aut difficultas, indiget voluntas habitu, licet nõ vt simpliciter prosequi illud possit; benè tamen vt facilè possit ac promptè. Quia bonum alienum non vsquè adeo allicit; nempe bonum est amabile ex sua ratione, vnicuique autem proprium vt docet Philosophus, & testatur experientia affectus erga bonum proprium valdè solliciti, languentes verò naturaliter erga alienum.

Deinde,

Deinde, vt de bono diuino nihil pro nunc dicatur, de cuius arduitate alia insuper ratio est, nec ad punctum præsens pertinet immediatè, & paulo post obiter de eo dicetur; circa bonum proximi, præsertim quod per iustitiam exhibendum est, adest peculiaris ratio difficultatis, quæ ex eo prouenit: quod vnusquisque naturali inclinatione appetit præminere alijs præsertim quoad libertatem & amplitudinem terminorum, intra quos ipsa continetur. Hos terminos ampliat iniustitia plusquam par est, & iustitia impedit quominus ita amplientur, vt superius dictum est. Inest ergo peculiaris difficultas obiecto iustitiæ, propter quam, ad illius prosecutionem promptam ac facilem necessaria sit specialis virtus; idque independenter à passione contraria. Quia appetitus partis sensitiuę seu passio dirigitur cognitione materiali, quæ non est collatiua vnius extremi cum alio, ideoque iudicare non potest de præeminentia vnius supra alium. Quare nimius appetitus præeminentiæ est vitium partis rationalis, vt rationalis est, Angelis quoque communis naturaliter; nec prouenit formaliter à passione, sed tantum materialiter, quatenus per passionem propendemus ad ea bona secundum se considerata, quorum consecutione vnus alteri præeminet quoad amplitudinem terminorũ libertatis. Quapropter nemo potest esse formaliter iniustus ex motiuo proprio actus iniusti præcisè propter passionem, sed propter nimium affectum formaliter rationalem, ita contrarium dictamini rectæ rationis, vt tamen sequatur ductum cognitionis formaliter rationalis, & habentis locum etiam in substantia purè spirituali. Patet igitur ex

ijs adesse rationem specialem, ob quam reliquis virtutibus moralibus potius, quam iustitiæ adscribantur passiones tanquam materia propria, circa quam versentur.

Verùm vt hoc ipsum innotescat clarius, eximanturque manifestius passiones à materia propria, & peculiari iustitiæ, notandum est vlterius, nullam virtutem moralem habere æquales vires resistendi omnibus difficultatibus, & passionibus impellentibus ad actum vitij contrarij; sed vnam quamlibet quibusdam principaliter, & maiori cum vi; alijs verò minus principaliter, minusque constanter resistere. Alias enim omnes indiscriminatim passiones æqualiter essét materia cuiuslibet virtutis. Quia nulla est virtus, cui non aduersetur quælibet passio pro aliqua circumstantia & rerum dispositione. Castitati enim ex. g. contradicit auaritia, quando occurrit voluptas lucrosa promittente pecunias sollicitatore; similiterque, contradicit timor eodem minanti necem, si sibi non consentiatur; & si minetur infamiam, contradicet superbia. Contradicit verò semper luxuria. Idem de cæteris omnibus, tum virtutibus, tum passionibus eodem modo comparatis deprehendi facilè poterit.

Sequela autem, quod omnes indiscriminatim passiones æqualiter sint materia cuiusuis virtutis moralis, est absurda tum, propter vnanimem omnium auctorum consensum destinantem singulas seorsim virtutes moderandis singulis contrariarum passionum binarijs: tum quia data qualibet virtute superfluerent reliquæ eodem prorsus modo & ratione atque superfluit, data vna virtute fortitudinis, alia rursus fortitu-

dinis

dinis virtus intra idem genus & in eodem subiecto ad moderandos timores.

Dicendum igitur est vnamquamque virtutem moralem primo & principaliter, maiorique cum vi resistere difficultati quæ est inseparabilis per se à motiuo eiusdem virtutis, & quod proinde opponitur formaliter ac directè motiuo vitioso, ex quo oritur difficultas contraria. Hoc modo comparantur inuicem fortitudo, & timores, quos incutiunt obiecta terribilia; nec non temperantia, & voluptates tactus; quibus proinde passionibus maiori longè vi resistunt singulæ singulis proportionatæ, quam è conuersò. Ratio est quia quoties exercetur actus alicuius virtutis, toties concipitur propositum formale & explicitum de facienda resistentia passioni & superanda difficultate directè, & formaliter sibi contradicenti, & inseparabili per se à motiuo eiusdem virtutis. De resistentia verò facienda alijs passionibus deque alijs difficultatibus superandis solum concipitur per se propositum implicitum, & in genere, seu vagum. Manifestum autem est propositum formale, & explicitum de aliqua re in particulari longè præualere viribus & efficacitate supra propositum implicitum, & in genere, seu vagū, dum cætera sunt paria.

Iam difficultas huiusmodi specialiter vincenda per virtutem iustitiæ oritur ex appetitu prælationis aut minoris inferioritatis respectu alterius, quoad terminos propriæ libertatis. Hic enim appetitus occurrit semper, & repugnat iustitiæ in quacunque materia versetur. Semper enim iustitia ius suū vnicuique tribuit, ac proinde continet libertatem agentis iustè intra proprios terminos

nos nō augendo illos neque secundum se, per additionem bonorum, neque comparatiuè per diminutionem alienam. Passiones autem contradicentes iustitiæ sunt diuersæ pro diuersitate iurium, quæ reddit vnicuiq;. Nam cum reddit pecunias, resistit auaritia; cum honorem, superbia; cum sanitatem & integritatem corporis sæpe ira, sæpe timor; & sic iuxta alias varietates materiæ, & circunstantiarum variantur passiones resistentes. Quapropter nullius passiones determinatè superandæ propositum formale, & explicitum includitur vniuersaliter in omnī actu iustitiæ; sicut includitur propositum seruandæ æqualitatis & resistendi inclinationi innatæ ad præeminentiam. Patet igitur cæteras virtutes versari formaliter & explicitè circa passiones, & præcisè ratione ipsarum esse necessarias, & non propter actiones, quibus incumbunt, secundum se consideratas: iustitiam verò è conuerso versarī formaliter & explicitè circa operationes, esseque necessariā ratione difficultatis, quæ inest ipsis secundum se, & non ratione alicuius passionis determinatè, sed neque indeterminatè præcisè ratione passionis. Quod erat ostendendum pro defensione opinionis communis, & veræ.

Ad 1. Philosophus in posteriori illo testimonio vsurpat opus in latiori significatione, prout complectitur omne genus actionū immanentium & transeuntium; ordinatarum & non ordinatarum ad alium. Quod non tollit quominus eadem vox vsurpetur familiariter in significatione strictiori pro sola actione ordinata ad alterum, vt vsurpatur à D. Thoma in præsenti, & à Philosopho alibi sæpe. Ad priorem locum respondet D. Thomas quæst. 58. art. 8. ad 1. iuxta doctri-

nam

nam Philosophi, tum illo cap. 3. tum maximè 7. Eth. cap. 11. non omnem virtutem moralem versari circa voluptates & tristitias sicut circa materiam propriam; quandoquidem fortitudo versatur circa timores & audacias, quas patet non coincidere cum voluptatibus, & tristitijs, seu doloribus, quibus moderandis præest temperantia.

Voluptas igitur, & iustitia sunt communes omni virtuti morali non sicut materia eius actioni subiecta, sed sicut finis ad eandem actionem consequens. Nam qui habet habitum alicuius virtutis post operationem illi conformem afficitur magna & speciali quadam voluptate; tristitià verò post operationem defectuosam contrariam. Et hoc modo iustitia etiam versatur circa voluptates & tristitias. Nec enim est iustus, qui non gaudet operationibus iustis, vt habetur 1. Eth. cap. 8. & consequenter neque is qui non tristatur de operationibus iniustis. Cōstat hanc interpretationem esse legitimam ex eodem illo loco cuius pars assumitur in obiectione, omissâ ratione Philosophi, quæ continet in se solutionem datam. Subiungit enim sic: *præterea si virtutes sunt circa actiones, atque affectus; omnem verò affectum & actionem voluptas sequitur aut dolor; virtus ob id ipsum circà voluptates doloresque versatur*: consequentes vtique & habentes rationem finis; non verò materiæ peruenientis rationem & moderandæ per eandem, siquidem sermo est de voluptate & dolore, qui sequitur affectum, & actionem.

Ad 2. Concesso antecedenti distinguitur consequens: ergo commune est omni virtuti morali vt circà operationes & passiones indiuisim versetur respiciendo vtrasque formaliter & æquè directè, ac principaliter

absque

absque vllo quo ad hoc discrimine inter virtutes; Negatur consequentia. Cum discrimine ita vt aliæ virtutes respiciant passiones formaliter & directè, actiones verò secundum se identicè & minus principaliter: aliæ autem è conuerso; conceditur consequentia. Huiusmodi distinctionem omnes admittant necesse est pro distinctione diuersarum passionum circa quas, sicut circa materiam propriam versantur diuersæ virtutes; cum ostensum sit quamlibet virtutem cuilibet passioni aliqualiter resistere.

Itaque D. Thomas & cæteri communiter Theologi non affirmant iustitiam & eius partes subiectiuas, ac potestatiuas respicere operationes tanquam materiam adæquatam respectu sui, vt excludant omninò passiones; neque fortitudinem & temperantiam ita respicere passiones, vt excludant omnino operationes seu actiones; sed illi attribuunt operationes, ijs verò passiones tanquam materiam præcipuam, & per se ob rationem datam. Frequentissimum porro est, vt quod est in vnoquoq; præcipuum, & per se, dicatur de ipso simpliciter, vtque ex eo desumatur absolutè denominatio, perindè atque si id in ea re vnicè reperiretur. Certè differentia vocum qua vsus est D. Thomas est admodum accommodata ad significandū discrimen reale quod expositum est inter iustitiam, & alias virtutes.

Ad 3. Notandum est, ex D. Thoma q. 13. de malo art. 1. auaritiam, vt est inordinatio affectus, opponi liberalitati, & sub ea ratione habere vitium contrarium prodigalitatē; at verò vt est extra in re; idest vt significat appetitum inordinatum partis rationalis independentem a motu appetitus sensitiui, & fundatum in natura rei exterioris cōparatā

cum

cum natura rationali defectuosa, quatenus prona ad præeminentiam quo ad bona exteriora; hoc inquam modo sumptam auaritiam opponi iustitiæ, & sub hac ratione non habere vllum vitium contrarium. Cuius ratio exposita est in quæst. præcedenti.

Dicendum igitur est liberalitatem, quæ est pars iustitiæ tantum potestatiua, vtpote partim conueniens cum iustitia, partim dissidens ab eadem non opponi formaliter & directè auaritiæ, vt est inordinatio affectus & passio partis sensitiuæ, quatenus conuenit cum iustitia, sed quatenus differt ab eadem. Quod omnino conuincit discursus superius factus circa difficultatem formaliter, & explicitè superandam per iustitiam. Idem proportionaliter conuenit cæteris partibus potestatiuis iustitiæ. Quare dum dicitur partes subiectiuas, & potestatiuas, aut etiam integrales iustitiæ versari circa operationes, & non circa passiones; accipiendum id est de partibus quidem subiectiuis absolutè & absque limitatione; de cæteris verò cum hac limitatione formaliter quatenus conueniunt cum iustitia, seu ratione eius prædicati, quod est ipsis commune cum iustitia.

Ad 4. & 5. Patet ex dictis quamlibet virtutem posse ex vi sui motiui superare omnes & quaslibet difficultates operis pertinentis ad ipsam; non tamen æqualiter eodemque modo, sed aliquas cum speciali & maiori vi atque directè & vniuersaliter; alias verò non ita: atque difficultatem eo modo specialiter superandam à virtute iustitiæ esse independentem formaliter ab omni passione, neque formaliter prouenire à corruptione corporis, sed esse per se separabilem ab ea. Quod non ita contingit in virtutibus reliquis, de quibus loquitur obiectio cum confu-

confusione eius quod se habet per se, & est principale ac vniuersale cum eo, quod nequaquam tale est.

QVÆSTIO IX.

Vtrum iustitia particula is differat specie à iustitia legali?

VIDETVR non differre. 1. Quia vnum, & multa non diuersificant speciem virtutis. Quod tanquam primum principiũ admittitur ab omnibus; & confirmatur, quia eadem virtute redditur ius suum, quod multis indiuisim debetur, & quod debetur vni seorsim; atque eadem siue liberalitate siue misericordia subuenitur multis & paucis; vni & pluribus. Communitas autem, cuius bonum respicit iustitia legalis, differt à singulis contentis in communitate, quorũ bonum respicit iustitia particularis; sicut vnum & multa; ac per consequens bonum communitatis differt à bono singulorum, tanquam bonum multorum à bono vnius. Ergo neutrum bonum differt ab altero specie. Ergo neque virtus circa alterum differt specie à virtute circa alterum.

2. Vnaqueque persona particularis includitur in Republica tanquam pars illius, & bonum totius est bonum vniuscuiusque partis; atque è conuerso. Ergo virtus ordinans ad bonum commune, seu ad bonum Reipublicæ sufficienter ordinat ad bonum partis, seu particularis cuiusque personæ. Ergo posita iustitia legali erga Rempublicam, superfluit

perfluit iustitia alia particularis erga singulos. Repugnat autem virtuti esse superfluam.

3. Si admitteretur iustitia particularis distincta à legali, admittendæ consequenter essent multæ iustitiæ legales, specie distinctæ iuxta multiplicitatem communitatũ. Alia namque constituenda esset pro tuendo bono familiæ; alia pro bono tribus; alia pro bono Ciuitatis; alia pro Regni; & sic de alijs vsque dum deueniatur ad vnam iustitiã legalem prouidentem bono totius generis humani; quod nimirum est quædam vna Respublica sub vno Principe Deo cõstituta. Hæc autem tanta iustitiarum legalium specifica distinctio & multitudo est contra cõmunem hominum sensum doctis absonans & indoctis. Neque tamen videtur sequelam negari posse, quia tanta est distantia vnius familiæ à tribu, & huius à Ciuitate, & sic de cæteris; atque est vnius hominis à familia. Ergo si virtus respiciens bonum vnius hominis differt specie à virtute respiciente bonum commune familiæ, virtus respiciens bonum familiæ differt etiam specie à virtute respiciente bonum tribus, vel Ciuitatis aut Regni.

R. Iustitia legalis dupliciter vsurpatur; primum pro habitu eliciente actus conformes legi. Atque hoc sensu iustitia legalis non est vna aliqua species virtutis, sed collectio omnium virtutũ: quia leges disponunt de omnibus vniuersim & singulis quæ pertinent ad honestatem. Vnde nulla est virtus, quæ non eliciat actus conformes legi. Iustitia igitur particularis differt inadæquatè à iustitia legali eo modo vsurpata. Differt enim vt pars à toto. Secunda iustitiæ legalis vsurpatio, eaque frequentior, & quæ

absolute

absolutè subintelligitur, dum aliud non exprimitur, est pro habitu intendente immediatè bonum commune; atque in hoc sensu procedit quæstio proposita.

Dicendum est, cum Philosopho in præsenti cap.1.& 2. & lib.atque cap.2. necnon lib.'& cap.3. Polit. & cum D.Thoma quæst. ista 58.art.6. & 7. alijsque communiter iustitiam legalem, quæ & generalis dicitur, distingui specie à iustitia particulari hucusq; explicata. Probatur 1.à posteriori. Quia vt dicit Philosophus cap.illo 3.polit.contingit aliquem esse bonum virum eatenus saltem, vt nemini iniuriam inferat, certè sit difficilis ad illam inferendam, & nihilominus non esse bonum ciuem. sed negligentem boni communis, & promouentem facile bonum priuatum neglecta communitate. Bonum autem ciuem facit iustitia legalis; & iustitia particularis facit bonum virum in ordine ad vitandas iniurias singulorum. Ergo iustitia legalis & particularis sunt virtutes inuicem separabiles. & distinctæ specie.

Deindè iustitia particularis constituit æqualitatem, vt dictum est inter eum à quo exercetur, & eum, circà quem exercetur: quæ æqualitas vtrique est æqualiter bona, vt patet & neutri fauet cum iactura alterius. At iustitia legalis fauet bono communi etiã cum iactura exercentis illam vsque adeò, vt vitam quoque ipsam parata sit impendere bono communi; certè non æque fauet illi, qui eam exercet, & ei, circa quem exercet. Quia bonum commune æqualiter pertinet ad singulos quosque ciues seorsim sumptos. Vndè necesse est, vt non tantundem intersit vniuscuiusque seorsim sumpti, quantum reliquorum omnium simultaneè sumptorum. Ergo qui intendit bonum commune, minus

sibi prouidet, quam cæteris omnibus, circa quos simul sumptos benefica eius intentio versatur. Patet igitur quam maximam esse istarum inter se virtutum diuersitatem.

Confirmatur à priori. Quia iustitia particularis habet pro motiuo, vt dictum est supra, liberam facultatem alterius, munitam lege aduersus eum qui exercet talem iustitiam, respicitque eam legem quatenus fauentem alteri, & grauantem, in fauorem eius, ipsum particulariter iustum. Huiusmodi autem motiuum nequaquam habet iustitia generalis. Nec enim tuetur liberam facultatem aliorum aduersus generaliter iustum, sed communem ipsi cum cæteris. Quia non potest ampliari, aut intra suos limites defendi & conseruari libera facultas communitatis, quin amplietur, defendatur & conseruetur singulorum quoque ciuium facultas libera saltem æquiualenter; cum quod commune est essentialiter pertineat ad singulos communitatis.

Istam rationem promouet subtiliter & efficaciter D. Thomas art. illo 7. Quia iustitia legalis distinguitur à virtutibus vnumquemque ordinantibus quoad ea particularia bona quæ spectant directè & formaliter ad ipsum secundum se; nimirum à fortitudine & temperantia, earumque partibus subiectiuis & potestatiuis. Ergo etiam distinguitur à virtute ordinante vnumquemque quoad ea bona, quæ spectant ad alterum in particulari, quatenus alter est; idest à iustitia particulari. Patet consequentia. Quia bonum commune, cum pertineat æqualiter ad singulos communitatis, non potest magis includere in se bonum vnusquisque ex communitate secundum se considerati, quam prout distincti à cæteris. Ergo virtus in-

tentiua boni communis non magis diſtinguitur à virtutibus intendentibus bonum cuiuſque particularis ſecundum ſe, quam bonum eiuſdem quatenus eſt alter, ab eo, qui intendit ipſius bonum. Diſtinctio autem iuſtitiæ legalis à fortitudine & temperantia eſt manifeſtiſſima omnibus; ac proinde eſt certa etiam diſtinctio eiuſdem à Iuſtitia particulari & ab omnibus eius partibus, Vnde iuſtitia legalis eſt media inter virtutes ad ſe & virtutes ad alterum, & participat æqualiter de perfectione peculiari vtrarumque, & ab vtriſque æqualiter & pari ratione diſſidet ſpecie.

Demũ iuſtitia particularis æqualiter afficit omnes, & ab omnibus ac ſingulis cuiuſcunque gradus & conditionis exercetur eodem modo. Iuſtitia autem legalis, vt docet ex Philoſopho D. Thomas art. 6. citato in Principe eſt principaliter & quaſi architectonicè, in ſubditis verò ſecundario & quaſi adminiſtratiuè. Quæ quidem ratio probat diſtinctionem, quæ intenditur, iuſtitiæ legalis à particulari. Quia nequit eadem ſpecie virtus diuerſo, & non diuerſo, ſed eodem modo afficere perſonas diuerſas ſecundum munus & ſtatum, eaſque inclinare ad actus ſpecie diuerſos, & non diuerſos ſpecie. Non tamen probat iuſtitiam legalẽ Principis diſſidere ſpecie à iuſtitia legali ſubditorum Quia eadem virtus poteſt edere actus ſpecie diſtinctos propter ſpecificam diuerſitatem diſpoſitionis & circumſtantiarum ex parte ſubiecti aut obiecti; atque ita contingit in præſenti, quia Principi & ſubditis proponitur motiuum boni communis idem quoad ſubſtantiam, illi vt præcipiat, his vt exequantur in ordine ad ipſum bonum commune; Licet ſæpe vtantur di-

uersis motiuis ex parte intellectus ad inueniendam rectitudinem electionum pertinentium ad vtroslibet ex illis, eaque de causa, differant specie prudentia politica Principis & subditorum.

Quapropter quod docet Philosophus 2. phys. text. 34. & 35. artes architectonicas & administratiuas, vt equestrem & frænefactiuam; nauigatoriam & nauifactiuam, specie differre, verum est in ijs quæ eam differentiam sortiũtur per se ex vi motiui principalis, vt in exemplis positis; non verò in ijs quæ habent illam accidentaliter ex diuersa dispositione, aut statu subiecti vt in casu præsenti. Subditus enim bene affectus ad bonum commune; si fiat Princeps, ex eodem affectu operatur diuersimodè atque diuersa diuersitate saltem logica. Non sic autem faber nauium, si fiat nauclerus; sed diuersa arte vtitur ex diuersa consideratione, diuersoque motiuo per se loquendo. Vt vt autem habeat hoc obiter notatum, certum est propter rationes adductas iustitiam particularem diffidere specie à iustitia legali.

Ad 1. Falsum est singulos communitatis comparari cum ipsa communitate, tanquam vnum cum multis nõ vnitis inter se, & cum ipso vno, vinculo societatis ciuilis. Comparatur enim tanquam pars cum toto, interueniente participatione bonorum, & malorum obuenientium illi, & ordinatione ad vnum communem finem, leges, Magistratũ & similia. Patet autem huiusmodi partem & totum differre specie ab vno, & multis non ita colligatis inter se; necnon à paruo & magno diffidentibus inter se sola quantitate. Quare exempla de multis & paucis seminantibus eandem virtutem liberalita-

tis,

tis, misericordiæ & similium, sunt abs re; dū non sumitur multitudo ciuiliter vnita, & quatenus includens, per huiusmodi vnionē, ipsum etiam qui eas virtutes exercet. Quo pacto instituitur comparatio in præsenti.

Ad 2. Bonum communitatis est bonum singulorum ciuium, & bonum vniuscuiusq; ciuis, est itidem bonum communitatis; sed cum hoc discrimine, quod aliqua bona spectant ad singulos ciues, directè & immediatè, & ad communitatem non nisi mediatè & indirectè; quædam verò alia è conuerso, ita vt in quibusdam omnes & singuli ciues, eosdem proportionaliter vsus & actiones habeant, in alijs verò nequaquam. Patet autem diuersimodè affici homines ad ea quæ cuiusque intersunt directè & immediatè, suntque ipsius vsibus & liberæ facultati specialiter deputata; & ad ea quæ vnumquemque respiciunt tantum indirectè, & mediatè, subsuntque suis, & aliorum vsibus ac liberæ dispositioni indiuisim. Sunt igitur apta hæc vtriusque generis bona ad terminandas diuersas virtutes, nec potest vna sola dare directè, & explicitò facilitatem ad seruandam in vtrisslibet rectitudinem.

Ad 3. Admittitur in primis cum Philosopho cap. 6. & cum D. Thoma art. illo 7. ad 2. 3. Iustitiam incumbentem bono familiæ distingui specie à iustitia intendente bonum ciuitatis. Quia familia componitur ex personis non habentibus eam iurium & bonorum, atque libertatis inuicem independentis distinctionem mutuam quam habent ciues comparati inter se & cum ciuitate. Quod liquet ex dictis quæst.6. versus finem.

Negatur deinde admittendam esse iustitiā legalem specialem erga totum genus humanum, aut erga eas ipsius partes cum quibus

non aliam habeat quis coniunctionem socialem, quamque est communis toti generi humano. Cum enim genus humanum nullam habeat specialem coniunctionem socialem cum vnoquoque homine, præter eā, quæ cum vno capite Deo coniungitur, atque ideò solùm in ordine ad vltimum finem, ea sola virtute charitatis, qua quisque prosequitur bonum diuinum, prosequitur etiam bonum commune totius generis humani, nec est necessaria alia virtus, ad prosecutionem istius boni communis. Hoc nimirū est inter Deum & alios Principes discrimē; quod bonum aliorum Principum est separabile saltem quoad aliqua ab vtilitatibus subditorum: Deus verò non est capax propriæ alicuius vtilitatis, omnemque proinde vtilitatem quæ ex ipso, exque rebus omnibus creatis prouenire potest, vult nobis. Vnde qui Deum amat, eiusque se conformat volūtati, eo ipso vult generi humano totum bonum toti ipsi commune; & vice versa qui vult bonum, quod est toti humano generi commune, & ad quod, vt ad finem communem omnes eius partes ordinantur, eo ipso vult Deum, qui solus est finis omnibus rebus creatis communis.

Demum Iustitiæ legales intendentes bonum commune aliarum minorum communitatum sunt diuersæ specie iuxta diuersitatem specificam ipsarum communitatū. Quia vt docet Philosophus lib. 3. Polit. cap. 3. & 4. Respublicæ (eadem est ratio de alijs communitatibus) diffident inter se specie ea diuersitate specifica finium, ad quos proximè ac immediatè ordinantur; atque hunc finem intendit intendens bonum commune cuiusque communitatis proprium. Vnde iustitia legalis militis erga exercitum diffidet specie

à iustitia

à iustitia legali mercatoris, erga societatem mercatoriam. Quia ille victoriam; hic diuitiarum incrementum intendunt. Idem dicitur proportionaliter de alijs communitatibus dissidentibus inter se specie, maximè verò de ijs, quæ sunt inuicem subordinatæ, ideoque habent fines inuicem subordinatos; quo pacto comparatur Tribus cum Ciuitate, & Ciuitas cum Regno. Neque verò huiusmodi specifica multiplicatio iustitiarum legalium est absurda, aut communi hominum sensu repugnans, licet non sit communiter ab auctoribus animaduersa; quia consonat Philosopho, & efficaci rationi vt patuit.

QVÆSTIO XII.

Vtrum iustitia particularis differat specie à cæteris virtutibus?

VIDETVR non differre. 1. Quia religio tribuit Deo ius suum, nempe honorem, & cultum ipsi debitum. Neque hunc honorem, & cultum exhibere Deo potest, quin cæteris etiam omnibus substantijs rationalibus iura sua tribuat. Quia cum Deus velit ac præcipiat, vt cæteris omnibus iura sua tribuantur; ad honorẽ vtique, & cultũ eius spectat, vt id ita fiat. Neque enim omitti potest, quod Deus præcipit, absque contemptu legis diuinæ, idest ipsius Dei indistincti à sua lege. Ergo virtus tribuens vnicuique ius suum, idest iustitia particularis est indistincta à virtute religionis.

2. Ad virtutem obedientiæ ſpectat cõformitas noſtræ voluntatis cum voluntate Dei. Quæ conformitas debetur Deo iure ſuo,& præſtari minimè poteſt, quin cæteris omnibus præſtentur iura ſua; quæ videlicet omnia præcipit Deus vt præſtentur. Ergo eodem modo virtus iuſtitiæ eſt indiſtincta à virtute obedientiæ. Confirmatur vtrumque argumentum, quia cætera, quæ continentur in definitione iuſtitiæ particularis præter iuris ſui vnicuique attributionem, expreſſam in vtroque argumento, dictum eſt ſuprà omnibus prorſus virtutibus eſſe communia. Nihil igitur ſupereſt, per quod iuſtitia particularis differat ſpecie à Religione & obedientia.

R. Manifeſta in primis eſt diſtinctio ſpecifica iuſtitiæ particularis à virtutibus Theologicis. Quia iuſtitia tribuit vnicuiq; ius ſuum reſpiciendo tãquam obiectum formale ius poteſtatiuum alterius, formaliter vt tale, & conſiſtit in medio inter duo extrema vitioſa, quorum neutrum conuenit virtutibus Theologicis vt conſtat ex dictis in primis quæſt. circà ipſas. De cæteris virtutibus moralibus patet eadem diſtinctio tum ex ratione modo data; quia nulla illarum habet pro motiuo formali ius poteſtatiuum alterius ſuperius attributum iuſtitiæ, & ſola ipſa conſiſtit in medio rei vt dictum eſt quæſt. 9. tum quia reliquæ virtutes morales verſantur circa paſſiones tanquam circa materiam propriam ipſarum; iuſtitia verò circa operationes, vt liquet ex q. 10. tum quia obligatio incumbens cæteris virtutibus differt ſpecie ab obligatione vrgẽte iuſtitiam, vt conſtat ex qu. 3. Nequeunt autem virtutes eiuſdem ſpeciei quidquam habere diuerſum ſpecie.

Et

Et hæc quidem ostendunt clarè diuersitatem specificam iustitiæ à fortitudine, & temperantia, alijsque virtutibus, quæ dicuntur ad se. Circa virtutes alias ad alterum, quæ dicuntur partes potestatiuæ iustitiæ, dicendum est cum D. Thoma quæst. 80. & alijs communiter, aliquas ex illis differre à virtute iustitiæ per defectum æqualitatis; alias per defectum debiti fundati in iure alterius. Per defectum huiusmodi debiti deficiunt ab adæquato conceptu essentiali iustitiæ, veracitas gratitudo, vindicatio cuiusque propriæ auctoritati permissa, liberalitas, affabilitas, amicitia, & aliæ eiusmodi. Ex quibus aliquæ vix vllā respiciūt rationē debiti; ex parte obiecti, aliæ vero respiciūt rationē debiti fundatā in sola, vt cōmuniter dicitur; honestate virtutis; hoc est nō fundatam in iure alterius, seu in amplitudine iuridica libertatis alienæ, sed in sola comparatione operis cum operante factà per rectam rationem. Per defectum verò æqualitatis deficiunt à ratione, & conceptu quidditatiuo adæquato iustitiæ, religio, pietas, & obseruantia, maximè verò religio. Quia Deo nunquam potest exhiberi honor, & cultus æqualis infinitæ eius Maiestati. Dictum autem est quæst. 9. æqualitatem esse de ratione iustitiæ. Differt ergò manifestè religio à iustitia. Indidem etiam differt obedientia: quæ est species obseruantiæ, & non attendit æqualitatem rei cum re, sed conformitatem voluntatis inferioris cum voluntate superioris, ac præcellentis.

Verum manifestior est, & quodammodo prior, magisque conspicua differentia, quæ petitur ex motiuo formali harum virtutum. Virtutes enim non distinguntur formaliter per distinctionem operationum,

E 5 & ef

& effectuum quos præstant, aut peculiariũ conditionum, quæ ijsdem operationibus, & effectibus conueniunt, sed per diuersitatem specificam motiuorum formalium, vt iam iterum dictum est, & aduertit D. Thomas vbicumque aliquam virtutem secernit ab alijs. Motiua autem formalia istarum virtutum differunt inter se specie. Quia motiuũ iustitiæ, est ius proprietatis, seu libera facultas alterius ordinata in bonum ipsius. Motiuum verò religionis est honestas honoris & cultus debiti excellentiæ, ac præeminentiæ Dei, vt primi principij. Similiter motiuum obedientiæ est præceptum, aut consilium superioris. Quæ tria sunt valde diuersa. Licet enim possit in controuersiam vocari, an Deus ratione suæ excellentiæ, ac præeminentiæ habeat ius proprietatis strictè tale ad honorem & cultum sui, possitque proinde iustitia hominis erga Deum imperare efficaciter, aut saltem in efficaciter, actus religionis: similiterque possit controuerti an Deus ratione suæ superioritatis & dominij habeat ius strictum proprietatis ad obedientiam nostram; possintque proindè actus obedientiæ per eandem iustitiam similiter imperari, de quibus dicetur infrà: dubitari tamen minimè potest quin præeminentia super omnia creata, & ratio primi principij distinguatur formaliter à iure proprietatis, & libera facultate respectu honoris & cultus; idemque dicitur proportionaliter de motiuo obedientiæ. Patet igitur manifestè religionem & obedientiam, & à fortiori reliquas virtutes distingui specie à iustitia particulari.

Ad 5. distinguitur assumptum: Religio tribuit Deo ius suum nempe honorem, & cultum ipsi debitum mouente formaliter

excel-

excellentia et præeminentia Dei, vt primi principij, conceditur assumptum: mouente formaliter iure actiuo diuino proprietatis negatur assumptum, & indè consequentia. Eodem modo distinguendum est, quod in 2. dicitur de obedientia erga Deum.

Quod deinde adiungitur vtrobique de impossibilitate exhibendi Deo honorem & cultum, aut obedientiam ipsi debitam, quin cæteris omnibus, & singulis tribuantur omnia sua iura, quatenus nulli vllum suum ius negari potest quin simul negentur Deo honor & obedientia, quæ ipsi debentur; Hoc inquam nihil probat. Quia potest nihilominus è conuerso tribui proximo ius suum per virtutem iustitiæ, quin propterea exerceatur formaliter vllus actus religionis aut obedientiæ erga Deum. Nempe duæ istæ virtutes sunt motiui vniuersalioris, quam iustitia, ideòque non conuertuntur saltem mutuò actus & exercitia huius & illarum, idque sufficit ad distinctionem, & necessitatem diuersarum virtutum. Hac enim de causa necessariæ sunt aliæ virtutes, vltra charitatem, ad opera non solum consilij, sed etiam præcepti obligantis sub mortali; tametsi huiusmodi operum omissio sit incompossibilis cum actu charitatis.

Deinde incompossibilitas actus eliciti ab aliqua virtute cum omissione actuum, qui versantur circa alias materias, solum probat per actum talis virtutis posse imperari, vel efficaciter & determinatè ac proximè, vel saltem inefficaciter, & indeterminatè, aut dispositiuè illos alios actus; non autem necessarias præterea non esse alias virtutes ad eosdem actus specialiter destinatas, & superantes formaliter, ac explicitè eas difficultates, quæ vnicuique generi

ctuum specialiter insunt, vt innotescit ex doctrina tradita quæst. 10.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum virtus iustitiæ sit clarior & perfectior quam reliquæ virtutes morales?

VIDETVR non esse clarior & perfectior. 1. ex genere suo. Quia virtutes, quæ versantur circa bonum propriũ moderãdo passiones sunt potiores virtutibus moralibus ordinatis ad alterum, & quæ versantur circa operationem, ac bonum aliorum, vt contendit Buridanus. Nempe intẽtio boni proprij est magis conformis inclinationi naturæ, vt experientia constat, nec non ordini charitatis, vt dictum est quæst. 43. de virt. Theol. Dictum autem est supra intentionẽ boni alieni esse proprium iustitiæ & partiũ omnium ipsius, atque reliquas virtutes morales versari circa passiones, & intendere bonum cuiusque proprium. Ergo fortitudo & temperantia, cum omnibus suis partibus subiectiuis & potestatiuis sunt perfectiores, quam iustitia cum suis.

2. Inter virtutes, quæ sunt ad alterum præeminent procul dubio religio, & obedientia mandatorum Dei; Quia, vt arguit, D. Thomas quæst. 81. art. 5. quæ sunt ad finem sortiuntur bonitatem ex ordine ad finem, ideoque quo sunt propinquiora fini sunt meliora. Omnes autem virtutes mora-

les versantur circa media, ideoque sunt ad finem, atque huic sunt propinquiores religio & obedientia mandatorum Dei, quam reliquæ virtutes ad alterum. Quia versantur circa ea, quæ directè, & immediatè Deum specialiter respiciunt. Ergo religio & obedientia superant perfectione iustitiam simul cum cæteris virtutibus moralibus.

3. Inter virtutes, quæ versantur circa proximum excedunt liberalitas, & magnificentia. Quia quod continet totam perfectionem alicuius in se, & aliquid prætereà perfectionis specialis superaddit, est perfectius illo. Hoc autem modo se habent, liberalitas, & magnificentia respectu iustitiæ. Ergo ambæ sunt perfectiores iustitia. Patet maior, quia quodlibet finitum fit maius qualibet additione. Probatur minor, de liberalitate, quia voluntas aliquid alicui super erogandi liberaliter includit essentialiter in se voluntatem non negandi, ad tribuendi, quod suum eiusdem est; & adiungit præterea voluntatem addendi de proprio. Idem patet à fortiori de magnificentia, quia hæc comparatur cum liberalitate, sicut liberalitas cum iustitia; siquidem liberalitas paruos, magnificentia magnos sumptus facit.

4. Inter easdem virtutes, misericordia est potior. Quia D. Thomas quæst. 30. art. 3. & 4. ponit misericordiam inter virtutes morales, quæ versantur circa proximum; eandemque dicit potissimam inter omnes virtutes, quæ ordinantur ad proximum. Præterea iustitia etiam legalis ordinatur ad proximū, quæ tamen indubitanter præfertur iustitiæ particulari.

5. Ita natura comparatum est vt quæ sunt magis necessaria & minus rara sint vi-

liora.

liora. Sic aqua magis indigemus, magisque abundamus quàm vino; terrà quàm gemmis, & sic de cœteris eiusmodi. Atque inter sensus humanos tactus est maximè necessarius, adestque animalibus, & omnibus, & semper, est verò minus perfectus, quàm alij sensus. Certè est imperfectior visu, vt colligitur ex Philosopho initio metaphysicæ; & tamen visus est minus necessarius ad vitam, deestque multis animalibus, tum per se, tum per accidens. Ergo etiam inter virtutes ea est minus perfecta, quæ est magis necessaria, & reperitur in pluribus. Eiusmodi autem est iustitia comparata cum liberalitate, magnificentia, & pluribus alijs. Quoad necessitatem quidem, quia iustitiâ omnes indigent & semper. Sic enim quisque indiget rebus suis, quas, absque iustitia aliorum ergà se, habere non potest. Similiterque indiget pace, & tranquillitate, atque mutuis officijs beneuolis proximorũ, quæ tamen habere non potest absque sua erga alios iustitia. Quoad frequentiam verò; quia iustitia potest ab omnibus erga omnes semper & vbique exerceri absque liberalitate, tum sua cuiusque erga alios, tum aliorum erga se. At liberalitas haberi non potest absq. iustitia tum sua erga alios, vt liquet ex ratione præcedenti; tũ aliorũ erga se; qua seclusa non habebitur quid liberaliter erogetur. Præterea si comparetur liberalitas cum multiplicitate exercitij iustitiæ, non potest nisi à paucis & erga paucos, atque rarentur exerceri. Quia multis nõ suppetit vndè sint liberales: multis erogari non potest, nisi per prodigalitatem; & liberalitas sæpe exercita exhaurit citò materiam suam. Idem à fortiori concluditur de magnificentia. Ergo iustitia

est

est minus perfecta minusque pretiosa quam aliæ virtutes.

6. Ea virtus est præstantior cuius opus est difficilius. Difficilius autem est terribilia, & ipsam quoque vitam contemnere, quod spectat ad fortitudinem; quam ius suu vnicuique tribuere, quod spectat ad iustitiam, Ergo fortitudo est virtus præstãtior, quàm iustitia.

7. Quod ad claritatem attinet & celebritatem magis plauditur liberali, et forti quam iusto; & qui fuere fortissimi maiorem nominis celebritatem obtinuere semper, quam qui iustissimi. Ergo fortitudo, & liberalitas sunt virtutes clariores, ac celebriores, quam iustitia.

R. Philosophus in hoc libro 5. sub finẽ capitis primi *præclarissima virtutum*, ait, *videtur esse iustitia*; *& neque Hesperus, neque Lucifer ita est admirabilis*. Suffragatur D. Thomas quæst. 58. art 12. aiens: *manifestũ est quod ipsa* (loquitur de iustitia) *est præclarior inter omnes virtutes morales*. Probat Philosophus tum ex vulgari prouerbio; *Iustitia in sese virtutes continet omnes*: tum quia prædictus iustitiæ, non solum sibi, sed alijs est bonus, potestque vti virtute, non solum in ordine ad se, sed etiam in ordine ad alios quorum alterum tantum præstant aliæ virtutes: tum quia vti virtute in ordine ad alios est difficillimum; atque maxima videtur esse virtus, ad quam spectat, maximã superare difficultatem. Verum vterque loquitur de iustitia legali, eaque comparata cum solis virtutibus moralibus, quæ versantur, circa proximos directè, & immediatè; atque in huiusmodi comparatione nemo est, qui dubitat de præeminentia iustitiæ, quam conuincit aperte ratio D. Tho-

mas

næ; nempe bonum commune intentum à iustitia legali præeminere bono particularis circa quod versantur aliæ virtutes: sicut finis præeminet medijs.

Iam quod ad iustitiam particularem attinet, docet similiter D. Thomas ibidem præcellere inter alias virtutes morales. Primo ex parte subiecti, quia iustitia residet in voluntate; aliæ verò virtutes in appetitu sensitiuo; quandoquidem iustitia est moderatrix appetitus rationalis, reliquæ verò virtutes appetitus sensitiui seu passionum, vt dictum est quæst. 10. Deinde ex parte obiecti, quia aliæ virtutes laudantur solum quatenus sunt bonum ipsius virtuosi; iustitia autem quatenus est bona, & benefactiua, etiam respectu aliorum, atque diffusiua sui in alios. Quod est excellentius ac diuinius. D. Thomæ adhærent communiter cæteri adiuncta ex Caietano notatione sententiam eius accipiendam esse de comparatione cum solis virtutibus moralibus, quæ vel nõ sunt ad alterum, vel directè & immediatè ordinantur ad proximum, vt ad finem cui.

Dicendum autem primo est iustitiam particularem esse magis conspicuam magisque plausibilem ex sua natura quam cæteras virtutes morales; siue perfectiores sint siue minus perfectæ in se intrinsecè; de quo postea; Dempta tamen iustitia legali de cuius, quoad hoc etiam excessu dubitari non potest. Huc maximè confert Aristotelica illa cum Hespero, & Lucifero comparatio pertinens ex parte ad iustitiam etiam particularem, vt liquet ex tribus illis rationibus Philosophi initio propositis. Eodem manuducit D. Thomas quatenus quæst. 81. art. 6. pro significando excessu religionis ait eam præminere inter alias virtutes mora-

les

les & de obedientia concludit quæst. 104. art. 3. esse potiorem inter virtutes morales: & de misericordia quæst, 13. art. 4. eam esse potissimam inter omnes virtutes quæ ordinantur ad proximum: quęst. verò 58. art. 12 dicit iustitiam esse præclariorem. Præclaritas enim conspicuitatem & plausibilitatem significat potius quam intrinsecam perfectionem, ad quam referuntur voces prælatiuæ aliarum virtutum. Idem claré exprimit Tullius de officijs vbi agit de iustitia. Ait enim *in Iustitia virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominātur*. Quæ ipsa nominatio est clarum argumentum summæ celebritatis in hac virtute, vt pote impertiente nomen, quod soli omnium simul virtutum cumulo debetur re ipsa.

Probatur ratione. Quia vt superius dictum est aliæ virtutes morales consistunt in medio inter duo vitia, quorum alterum excedit, alterum deficit à ratione medij. Vnde fit, vt medium ipsum appareat defectuosum, cum comparatur ad extremum excedens; appareat verò excedens, cum comparatur ad extremum deficiens. Quapropter vterlibet vitiosus confundit facilè virtuosum cum altero vitioso atque vituperat; vtrilibet proindè difficile est agnoscere virtuosum, vt talem, eique plaudere. Audiatur Philosophus 2. eth. cap. 8. *fortis cum ad timidum comparatur, audax; cum ad audacem, timidus esse videtur. Pari modo temperans &c. Liberalis etiam, prodigus &c.* Et mox concludit: *quapropter, & extremorum vterque medium ipsum à se compellit ad alterum; atque fortem, audax quidem timidum, timidus autem audacem appellat; & in cæteris simili modo*. At iustitia est quidem media

dia inter duo extrema vitiosa, non tamen inter duo vitia, vt ostensum est quæst. 5. atq. ideò ex comparatione, & oppositione cum vtrolibet extremo vitioso, agnosci facile, atque laudari potest, cum neutrum ex illis extremis opponatur alteri, sed sola virtus vtrique. Confundi verò cum neutro extremo vitioso potest magis, quam possit confundi audax cum timido, aut prodigus cum illiberali quandoquidem iustitia perindè opponitur toti vitio sibi contrario, nec non ipsi totum viitum, sicut opponitur vnum extremum vitium alteri extremo vitio. Patet igitur iustum esse discernibiliorem, quam præditos alijs virtutibus moralibus, ac proindè magis conspicuum, magisque plausibilem esse.

Accedit alias virtutes non consistere in indiuisibili ex parte obiecti, Contingit enim alium esse magis, alium minus liberalem ac fortem; & facilem ad maiores vel minores donationes; ad maiorum, aut minorum periculorum contemptum, & sic de alijs; Atque ideo vnum magis accedere, ad alterutrum ex extremis vitiosis, quam alium. Vnde rursus confunditur facile virtuosus cum vitioso, cui fuerit magis affinis, non solum ab alterutro extremè vitioso, sed etiam à virtuoso, qui est propinquior ad extremum vitiosum oppositum. At iustitia consistit in indiuisibili ex parte obiecti, & ideò omnibus facilè patet, maximèquè conspicua est.

Accedit rursùs plausum & æstimationem aliarum virtutum esse deuinctas certis quibusdam opportunitatibus, non vsque adeo fre-

frequenter occurrentibus. Fortis enim æstimatur tempore belli, & contemnitur tempore pacis; Similiterque liberalis, & misericors, cum premit, aut depulsa iam est indigentia, & sic de alijs. At iustitia in bello & in pace omnibus semper & vbique est opportuna ac necessaria & æquè æstimabilis. Est ergo vniuersalior eius plausus.

Accedit demum actus earum virtutū, quæ non sunt ad alterum sæpe latere. Quia hærent in ipso virtuoso, ideoque parum obseruantur, & sæpe nec obseruabiles sunt. At iustitia testes habet ineuitabiles suarum operationum, & omissionum eos omnes, quorum præcauet; aut reficit nocumentum. Quod ad discrimen maioris conspicuitatis valet plurimum. Tametsi verò hoc discrimen sit commune iustitiæ cum cæteris virtutibus ordinatis ad proximum; superest tamen aliud caput, vnde istis etiam præferatur, vt sit præclarior. Cum enim iustitia solùm tribuat vnicuique quod suum est saltem per se, ac directè, nullam ex proximo, cui id tribuit, gratiarum actionem, aliamue retributionem meretur, aut expectare potest præcise ex natura sui operis. At reliquæ virtutes, cum tribuant proximo, quod nundum erat ipsius, mouent accipientem ad gratitudinem ac remunerationem. Quare exercitium cæterarum virtutum magis, quā exercitium iustitiæ obnoxium est sinistræ opinioni de intentione operantis turpis lucri gratia, aut ex alio motiuo minus honesto. Claritudo autem, & plausus proprius virtutis, pendet ex opinione de recta intentione operantis, & propria virtutis, cuius actus exercetur.

Nec obstat ad actus iustitię allicere timorem pœnæ & vindictæ imminentis iniusto sicut

sicut spes lucri allicit ad actus aliarum virtutum. Non inquam hoc obstat, tum quia iustitia sæpissimè exercet suos actus absque vllo timore ex omissione, vel quia non dum vrget præceptum, vel alijs de causis, infrà attingẽdis: tum quia pœna & vindicta quæritur ex vna parte, & æqua, ac plerumque multo etiam maiori sollicitudine vitatur ab altera, scilicet ab iniusto. Quod non contingit in retributione inducibili per actus aliarum virtutum, Quia ad eam propendet vtraque pars. Quare timor mali temporalis ex iniustitia non est æqualis, spei lucri ex virtute ad alterum, non obligata, per ius alterius. Subsistit ergo ratio expensa in fauorem iustitiæ. Porro quæ dicta sunt de claritate iustitiæ particularis comparata cũ virtutibus cæteris præter iustitiam legalem, vim habent eandem, si non, & maiorem respectu iustitiæ legalis comparatæ cum cæteris virtutibus, tendentibus ad bonum communitatis, vt patebit consideranti.

Dicendum rursùs est virtutes ad alterum, idest iustitiam & eius partes, subiectiuas & potestatiuas, ac integrales superare perfectione reliquas virtutes morales ex genere suo. Istam conclusionen euincunt auctoritas Philosophi & D. Thomæ fauentium illi locis initio indicatis, necnon rationes vtriusque ibidem productæ.

Dicendum est tertio, neque iustitiam legalem, neque iustitiam particularem præeminere perfectione omnibus omninò virtutibus ordinatis ad alterum absque vlla prorsus exceptione; licet præemineat iuxta mentem & sensum Philosophi & D. Thomæ. Prior pars conuincitur clarè quoad virtutes religionis & obedientiæ argumento proposito in secunda ratione dubitandi, quod

est D. Thomæ in loco paulo ante citato circa religionem. Circa misericordiam similiter præferendam iustitiæ producetur in responsione ad 4. fundamentum eiusdem Diui Thomæ conuincens itidem efficaciter. Hæ igitur tres virtutes eximendæ sunt ex generali prælatione iustitiæ super alias virtutes morales.

Quoad alteram partem de mente Philosophi & D. Thomæ neuter, dum præfert iustitiam alijs virtutibus, loquitur de iustitia comparata cum omnibus cuiuscunqne conditionis virtutibus moralibus etiam ad alterum, sed cum ijs tantum, quibus societas humana continetur, & ad proximos ordinantur. Circa quam rem nulla imprimis dubitatio esse potest de Philosopho; qui videlicet comparationem instituit, cum ijs solum virtutibus, de quibus ipse agit in ijsdem illis libris ethicorum. Non autem agit de religione & obedientia erga Deum, sed de ijs tantum quæ modo notatæ sunt, neque inter eas comprehendit misericordiam nisi formaliter compassiuam vt dicetur ad 4. Iam D. Thomas vbique obseruat sensum Aristotelicum, dum aliud specialiter non exprimit, sed vsurpat locutionem vniuersalem.

Præterea si in generali ea prælatione iustitiæ non subintellexisset exceptionem religionis & obedientiæ erga Deum, necnon misericordiæ, non pure compassiuæ; manifestissimè sibi cōtradixisset semel atque iterum; & quidem in vna eademque parte Theologiæ, eaque ab ipso omnium diligentissimè ac perfectissimè elaborata, quandoquidem in eadem 2. 2. expræssè præfert iustitiæ eas tres virtutes locis paulo ante memoratis. Certum igitur est quod de mente

Philo-

Philosophi & D. Thomæ assertum fuit; & conclusio, quæ dicta est vtrique conformis, est omninò vera.

Ad 1. Virtutes ad alterum ita prospiciũt bono alterius vt ipsæ ipsarumque actus valde etiam perficiant suum subiectum, sintque magnum eiusdem bonum. Intentio autem naturæ & ordo charitatis præferunt bonum cuiusque proprium coniunctum cum bono alterius illi bono quod est limitatum ad suũ subiectum, nec est diffusiuum sui. Eiusmodi namque est bonitas omnis, virtusque diuina.

Ad 2. Conceditur totum. Est enim demonstratiua ea ratio D. Thomæ. Sed iam præmonitum est in prælatione generali iustitiæ non comprehendi religionem & obedientiam mandatorum Dei à Philosopho, D. Thoma & alijs communiter, & à nobis exemptæ fuerunt expresse.

Ad 3. Liberalitas versatur primò & per se, vt docet D. Thomas quæst. 117. art. 6. circa passiones moderando propriam affectionem circa possessionem & vsum pecuniarum. Ex consequenti verò, inducta facilitate quoad istam moderationem, coadiuuat postea cæteras omnes virtutes circa proximum ad actus ipsarum, ex proprio & peculiari vniuscuiusque illarum motiuo, eliciendos tanquam remouens prohibens. Perfectio autem cuiusque virtutis pensatur penes id, quod conuenit illi primò & per se, & præcisè ratione sui motiui. Quare eadem de causa postponitur liberalitas iustitiæ, qua postpositæ sunt eidem supra vniuersaliter virtutes, quæ versantur circa passiones.

Iam continentia iustitiæ in liberalitate non verificatur formaliter quoad perfectionem quæ conuenit iustitiæ ex suo motiuo.

Quia

Quia hoc non continetur in motiuo liberalitatis, vt patuit verificatur ergo de sola cōtinentia in genere causæ dispositiuæ tantū, quatenus liberalitas ita disponit animum ad iustitiam vt iniustus non possit esse liberalis circa eandem personam, & circa idem genus rei; liberalis verò possit esse facilius iustus. Simili modo ac ratione negatur continentia iustitiæ & liberalitatis in magnificentia.

Ad 4. Misericordia vsurpatur dupliciter. Primum pro affectu compassiuo erga proximum subueniente eidem ex compassione; Atque hoc modo, est inferior virtute iustitiæ ob eandem rationem qua ipsa præfertur alijs virtutibus circa passiones. Secundo vsurpatur misericordia pro virtute (cuius motiuum est dignitas naturæ rationalis patientis indignæ & impediente quantum potest, quominus ea patiatur. Quod motiuum & opus patet esse longè nobilius motiuo & opere iustitiæ. Quia dignitas hnmanæ naturæ quæ pertinent ad eius substātiam præponderat incomparabiliter iuri hominis, quod est accidens ipsi inhærens. Vnde apparet opus operi similiter præeminere, saltem formaliter. Notat porrò Caietanus in hunc a t. 12. quæst. 58. priori & non posteriori) modo misericordiam communiter accipi; Ideoque non subintelligi quoad posteriorem significationem, dum non fit peculiaris & expressa mentio ipsius.

Ad 5. Conceditur in eodem rerum genere præeminere perfectione quæ sunt minus necessaria ijs quæ magis necessaria sunt. Sed negatur iustitiam esse magis necessariā quam liberalitatem sumptam in eo sensu, secundum quem dictum est, ipsi præeminere, iustitiam. Constat siquidem ex doctrina tradita

tradita circa tertium, iustitiam exerceri non posse ab illiberali secundum eam liberalitatis significationem, ac proindè est ea species liberalitatis magis necessaria quam iustitia, quandoquidem necessaria est ad ipsam iustitiam, cum hæc ad illam non sit similiter necessaria. Eadem est ratio de cæteris virtutibus, quæ sunt ad se, & versantur circà passiones. Magis enim necessarium vnicuique est esse bene ordinatum in se, & ad se quam respectu aliorum; neque hæc secunda bona ordinatio haberi potest ab inordinato respectu sui. Discursus igitur obiectionis valet potius ad confirmandam doctrinam superius traditam; atque obiectio vtitur alia liberalitatis significatione, quæ non est ad rem vt liquet ex data eius expositione.

Ad 6. D. Thomas quæst. 27. fine quæst. 123. art. 12. ad 2. atque in præsenti art. 12. respondet optimè virtutes non æstimari ex magnitudine difficultatis secundum se, sed ex magnitudine causæ & motiui, ob quod ea superatur: atque in virtutibus ad alterum motiuum est præstantius per se, & præcisè ex ratione formali cuiusque virtutis, quam in fortitudine & alijs quæ sunt circa passiones. Deinde tota collectio actuum iustitiæ est difficillima propter peculiarem eorum frequentiam suprà notatam. Nam vt docet cum experientia D. Thomas eadem q. 123. art. 6. difficiliùs est diu manere immobilem, quam subito motu moueri ad aliquod arduum. Perinde autem est sæpe quod est difficile, & raro quod difficilius.

Ad 7. Liberali & forti plauditur plerũque plausu gratificante, & obsequente propter acceptum beneficium à liberali aut forti, vel propter potestatem acquisitam forti;

vel æstimatione solius physicæ bonæ constitutionis: non verò laude magnificante & morali. Cuius signum est, quia sæpe similiter plauditur manifeste prodigo, nec non audaci, ac per temeritatem victori, ad eum fære modum, quo plauditur agro vberi, & equo vincenti in cursu, aut prælio. Plausus autem iustè operantis plerumque sequitur opinionem honestatis, & est laus magnifactiua, cum commendatione veræ virtutis ob rationes supra datas; atque hoc sensu attributus est iustitiæ plausus præcipuus & conspicuitas maior.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum iniustitia sit vitium speciale?

VIDETVR nō esse. 1. Quia homicidium, detractio, adulterium, furtum, personarum acceptio, vsura, & similia sunt actiones oppositæ iuri alieno proprietatis, atque adeò illis omnibus conuenit ratio iniustitiæ proprietalis; & tamen videtur illa omnia sub vno vitio speciali contineri minimè posse, tum quia diffident valde inter se; tū quia contingit facilem ad furandum esse difficilem ad homicidia, & sic de alijs.

2. Philosophus in præsenti cap. 8. dicit, operantes contra iura aliorum ex passione facere quidem iniuriam, non tamen esse iniustôs. Essent autem iniusti si vnicus ac specialis esset habitus iniustitiæ. Quia is acquireretur quibusuis actibus iniustis, &

constitueret iniustos simpliciter seu vniuersaliter & in omni genere.

3. D. Thomas in præsenti quæst. 59. a. 2. ad 3. constituit hoc discrimen inter intemperantiam & iniustitiam, quod si quis faciat aliquid vltrà mediocritatem in materia intemperantiæ, per accidens & præter intentionem ratione ignorantiæ inuincibilis; non propterea facit intemperatum, aut formaliter, aut etiam materialiter: facit verò iniustum materialiter qui simili prorsus modo transgreditur medium iustitiæ. Cui discrimini nullus esset locus, si daretur habitus specialis iniustitiæ, sicut datur habitus specialis intemperantiæ.

R. Sicut iustum ita etiam iniustum sumitur quandoque latè & generaliter, quandoque strictè & particulariter. Iniustum latè & generaliter est omne oppositum legi, & dictamini rationis. Vnde omnes peccatores iniusti, & omne peccatum iniustitia, atque iniquitas dicitur tum à Philosopho initio huius libri, tum maximè in sacris litteris frequenter. Iniustitia hoc modo sumpta non est particulare vitium, sed ratio generica omni vitio communis. Iniustum strictè & particulariter est quod opponitur iuri alieno proprietatis tanquam læsiuum eius, & transgrediens limites ab eo præfixos. Vnde iniustitia particularis est actio vel omissio contraria obligationi fundatæ in eodem alterius iure.

Iniustitia ista particularis est vitium speciale ex consensu omnium cum D. Thoma art illo 2. proximè citato. Quia vbi est materia specialis opposita speciali materiæ, specialis virtutis, eo ipso datur vitium speciale oppositum tali virtuti speciali: Datur autem specialis virtus intendens indemnitatem

tatem

tatem iuris alieni, tanquam materiam spe-cialem, vt liquet ex dictis à quæst. 8. Ergo datur vitium speciale intendens læsionem iuris alieni proprietatis; idest datur habitus specialis vitiosus inclinans indiscriminatim quantum est ex se ad omne opus iniustum.

Verum obseruare oportet aliud esse peccare contra iustitiam: aliud peccare ex habitu iniustitiæ. Fieri nimirum potest, vt quis peccet furando contra iustitiam, quin talis actus procedat ex habitu iniustitiæ. Potest enim quis furari ex solo motiuo gloriæ vanæ, concupiscentiæ, iræ, timoris, aut similibus. Et tunc peccabit quidem contra iustitiam, quatenus nocebit iuri alterius; non tamen peccabit ex habitu iniustitiæ, quatenus non mouebitur motiuo eius proprio, & particulari. Cuius indicium est, quod post eiusmodi actus sæpè repetitos non propterea dabitur in furante facilitas, & inclinatio ad furandum quando iam amplius non aderunt motiua gloriæ vanæ, concupiscentiæ &c. propter defectum cognitionis actualiter illa repræsentantis; vel quia tametsi actualiter adsint in cognitione, non pollent nihilominus vi sufficienti ad reddendum facilè furtum propter virtutes contrarias humilitatis, temperantiæ, mãsuetudinis &c. postea acquisitas & aufferentes facilitatem ad prosecutionem eorum motiuorum, atque adeo ad furandum ex ijsdem motiuis. At si quis sæpe furetur ex motiuo inæqualitatis inter damnum & lucrum; hoc est propter ampliandos terminos propriæ libertatis & restringendos alienos, atque ex amore præeminẽtiæ, quoad hoc, supra alios, acquiret eo ipso habitum iniustitiæ, eritque facilis ad furandum, tametsi desint cætera omnia motiua modo commemorata, aliaque similia

opposita formaliter & directè motiuis aliarũ virtutum.

Patet igitur iniustitiam particularem oppositam formaliter & directè particulari iustitiæ esse vitium speciale distinctum specie ab omnibus aliis vitijs. Potest verò rectè definiri habitus intentiuus inæqualitatis inter damnum & lucrum: siue ampliatiuus propriæ libertatis & restrictiuus alienę vltrà & citra terminos legitimos vtriusque, siue prosecutiuos præeminentiæ supra alios quo ad terminos liberæ facultatis. Vel dicatur: iniustitia particularis est constans & perpetua voluntas ius suum vnicuique negandi; idque eo proportionaliter sensu quo dictũ est oppositum quæst. 8. circa habitum iustitiæ particularis. Est enim de vtroque habitu eadem proportionalis ratio; vtpotè inuicem contrario.

Ad 1. Si actiones illæ fiant ex motiuo iã explicato inæqualitatis, & præeminentiæ, omnes pertinebunt ad specialem habitum vitiosum iniustitiæ, vt ad principium proprium ipsarum: sin minus pertinebunt ad diuersos alios habitus iuxta diuersitatem motiuorum. Verum hic secundus modus operandi est qui vt plurimum vsu venit, propter prædominium inclinationis passionum existens de facto in hominibus supra inclinationem prauam appetitus purè rationalis. Pro cuius rei intelligentia recolenda est doctrina quæst. 10. Quod autem euenit, vt plurimum apprehenditur facilè vt vnicum. Vnde prouenit, vt difficilè appareat non considerantibus intimè naturas rerum; ea omnia peccata posse aliquo modo pertinere ad vnicum habitum.

Ad 2. Sensus Philosophi est nocentibus ex passione esse imputabile damnum illatum
aliis

alijs contra ipsorum iura, eorumque operationibus conuenire totam malitiam iniustitiæ; sed non propterea eos acquirere habitum specialem iniustitiæ, vt cuius sint faciles ad similes operationes iniustas cessantibus etiam passionibus & motiuis aliorum vitiorum. Qui sensus est proculdubio legitimus, idemque est clarissimus ex dictis. Itaque omni operanti quod iniustum est, inest eadem priuatio bonitatis iustitiæ sub quouis motiuo, & imputatur æqualiter peccatū iniustitiæ; non tamen inest eadem bonitas physica actus, & habitus inde orti, nec eadem facilitas & inclinatio ad operationes iniustas pro omni euentu, nec est idem specie peccatum quoad entitatem materialem ipsius; atque hæc est intentio Philosophi.

Ad 3. In ea comparatione D. Thomæ datur paritas quoad duo; & disparitas quoad alia duo. Paritas est primum quod neque malitia intemperantiæ neq, malitia iniustitiæ est imputabilis ad culpam operanti in eo casu. Quia cognitio & aduertentia actualis malitiæ obiectiuæ, est radix & causa imputationis in omni materia. Datur deindè paritas quoad hoc vt neutra operatio procedat ab habitu vel intemperantiæ vel iniustitiæ, vt liquet ex dictis à fortiori.

Disparitas est 1. quod medium temperantiæ est medium rationis, medium verò iustitiæ est medium rei vt dictum est quæst. 9. Ideoque magis dici potest dari iniustum, quam intemperatum in casu ignorantiæ ac inaduertentiæ. Altera disparitas est quia, intemperatum, vtpote pertinens præcisè ad operantem ex natura sua, regulatur solū per cognitionem operantis: iniustum verò regulatur etiam per rationem alterius, vtpotè pertinens etiam ad alterum præter

operantem. Quare ex hoc præterea capite adest sufficiens fundamentum discriminis constituti à D. Thoma, & diuersæ vtrobique locutionis ab eo vsurpatæ; atque hoc fundamentum sufficienter indicauit ibidem Sanctus Doctor, nec aliud intendit Caietanus in expositione eius loci, licet non exponat adeò clarè. Vtcunque res habeat, nihil interest ad mores.

QVÆSTIO XV.

Vtrum sciens, & volens possit iniuriam pati?

VIDETVR posse pati 1. Quia in contractu vsurario & simoniaco dans pretium pro mutuo vltrà sortem, & dans qualecumque pretium pro re sacra patiuntur iniuriam ab accipiente tale pretium. Cuius manifestum indicium est, quod accipiens tenetur ad restitutionem; excessus quidem in casu mutui, totius autem pretij in casu simoniæ. Idque verum est tametsi pretium datum fuerit à sciente, maximeque volente absque vlla prorsus coactione ex parte acceptantis pretium. Quod scilicet oblatum datumque ab altero fuerit præcisè, vt se liberaret ab onere gratitudinis, nec discederet grauatus ob beneficium sibi collatum gratuito; & quando nulla vrgebat necessitas illud quærendi, ac accipiendi, sed sola voluptas, & appetitus purè spontaneus concupiscentiæ.

2. Marito spontè ac libenter consentienti in adulterium vxoris, infert nihilominus iniu-

iniuriam adultera, eiusque actio contrahit rationem formalem & malitiam specialem adulterij, adeoque & iniustitiæ. Eadem est ratio de volente occidi absque iusta causa, seu nulla existente causa præter voluntatẽ, qua desiderat occidi; necnon de volente ac petente infamationem sui, præsertim si ratione officij sit persona publica. In ijs etenim & similibus casibus datur vera ratio iniustitiæ nihil obstante scientia & voluntate patientis. Quod auctores communiter supponunt vt certum. Nec magis dubitatur Sacerdotem pati iniuriam, si iudicetur à iudice Laico, tametsi velit ab eo iudicari & cedere iuri suo quoad forum Ecclesiasticũ. Idem apparet ex irregularitate percutientis Sacerdotem volentem percuti punitiua iniuriæ illi nihilominus illatæ. Potest igitur iniuriam pati sciens & volens.

R. Vnanimis & certa omnium sententia est cum D. Thoma dicta quæst. 59. art. 3. sciẽtem & volentem non posse pati iniuriam. Ratio efficax D. Thomæ est, quia vnusquisque se habet potius vt agens quam vt patiens, in eo quod sibi contingit ex propria voluntate. Nam quod sibi cõtingit ex propria voluntate, habet ex seipso; quod autẽ patitur habet ex alio. Repugnat igitur vt iniuriam quis patiatur volens. Nempe quatenus illam pateretur, iniuria esset à principio extrinseco; esset autem ab intrinseco, quatenus eandem vellet; id est esset ex seipso, quæ sunt contradictoria. Qua de causa dixit Philosophus 8. phys. tex. 40. non posse idẽ secundũ idem esse agẽs & patiens.

Confirmatur quia nemo potest facere iniuriam per se & formaliter nisi volens. Ergo neque pati eandem formaliter potest volens. Patet consequentia, quia sicut ne-

quit quisquam constitui moraliter agens, nisi per voluntatem; ita non potest constitui moraliter patiens nisi contra voluntatem. Confirmatur rursus, quia nulla iniuria fieri formaliter potest, nisi peccando contra legem fauentem atque beneficam respectu eius, cui infertur iniuria vt supra dictum est quæst. 3. & sæpe deinceps. Cum autem fauor & beneficium non conferantur inuito, ideòque nulla lex possit esse fauorabilis & benefica respectu nolentis fauorem & beneficium; atque volitio actionis iniuriosæ foret nolitio fauoris & beneficij contrarij, patet iniuriam non posse esse volitam ab eo qui eam patitur, sed eo ipso deesse actioni rationem iniuriosæ. Confirmatur denique quia ius constituitur intrinsecè per volitionem eius cui ipsum inest vt dictum est q. 6. Ergo eo ipso quod quis velit actionem materialiter contrariam iuri suo, cedit eidem iuri, nec subsistit amplius tale ius. Est autē de ratione actionis iniuriosæ vt componatur cum iure alterius in contrarium; neque peccari iniuriosè potest aduersus ius, quod iam euanuit.

Ponitur ob oculos clarius vis istarum cōfirmationum aduertendo ius non grauare subiectum cui inest, sed cæteros in fauorem ipsius, vt constat ex definitione iuris superius data. Si autem posset quis pati iniuriam volens, posset planè ius aliquod esse grauosum respectu habentis ipsum. Quia ratione iuris ipsi conueniret, vt cæteri non solū possent, sed etiam deberent contradicere voluntati eius circa rem suam; certe non tenerentur nec possent illi conformari, Quia non possunt inferre iniuriam, sed tenentur ab ea abstinere. Quid autem est grauamen, si tale non est quod impedit impletionem

propriæ

propriæ voluntatis, atque cæteros constringit ad contradicendum eidem? Quid quod inde fieret ius posse esse restrictiuum propriæ simul & alienæ libertatis impediendo illationem iniuriæ ab altero, & consensum proprium in iniuria; id est in peccatum alterius? quod est contra quidditatem iuris, & contra omnem superiorem doctrinam circa illud.

Declaratur & vrgetur vlterius exemplo. Quia emptor, qui sciens & volens dat pro merce pretium maius quam debeat, nullam vt est in confesso apud omnes, patitur iniuriam à venditore accipiente totum, quod sibi datur, tametsi faciat materialiter iniustum vt patet. Id quod nulla alia de causa subsistere potest, nisi quia actio materialiter iniusta amittit rationem formalem iniuriæ ob scientiam & voluntatem patientis seu quasi patientis. Ergo repugnat actionem aliquam esse formaliter iniuriosam respectu volentis ipsam.

Accedit rem hanc Canonica & Ciuili sanctione reddi indubitabilem quia Reg. 27. de reg. iur. in 6. statuitur, quod *scienti & consentienti non fit iniuria*; & l. 187. ff. eodem titulo deciditur *neminem fraudare eos, qui sciunt, & consentiunt* repugnat autem, vt iniuriam inferat alicui, qui eum non fraudat suo iure.

Ad 1. & 2. dicitur nullū eorum qui vtrobique adducuntur in exemplum, velle simpliciter & absolutè, sed tantum secundum quid voluntate formaliter pertinente ad rationem iuris. Quod tamen, vt percipiatur clarè, & solidè stabiliatur obiterque diruantur nonullæ aliorum responsiones minus idoneæ, aut nimis duræ, opus est doctrina quæst. sequentis.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum ius posſit formaliter aut tolli per iniuriam, aut lædi abſque iniuria?

VIDETVR vtrumque fieri poſſe. 1. Quia habenti ius ad rem poteſt impediri, ac negari ius in re per actionē iniuſtam vt infra dicetur & eſt certum apud omnes. Ergo poteſt aufferri, ſeu negari ius aliquod per iniuriam.

2. Ius eſt reflexiuum, aut quaſi reflexiuum ſupra ſeipſum. Eodem namque iure, quo quis habet rem quamlibet aliam vt ſuam, habet etiam neceſſariò ipſum ius, vt ſuum. Alias neceſſe eſſet dari proceſſum iurium in infinitum, vt aliquod ius fieret ſuum alicuius. Sicut ergo actio auferens res alias diſtinctas realiter a iure, quæ ſunt terminus iuris poteſt eſſe iniuſta per oppoſitionem cum iure circa illas; ita etiam poteſt eſſe iniuſta actio auferens ius per oppoſitionem cum eodem iure, quod aufertur; ideſt cum iure iuris indiſtincti realiter ab ipſo.

3. Habens aliquod ius abſolutum, & illimitatum quoad tempus, eo ipſo habet ius ad conſeruationem perpetuam ſui iuris. Ergo fit illi iniuria, ſi impediatur conſeruatio talis iuris. Impediri autem non poteſt conſeruatio iuris, niſi per ablationem ipſius. Ergo ablatio iuris poteſt eſſe iniurioſa.

Con-

Confirmatur quia vnusquisque habet ius ad conseruationem sui: alias non esset iniusta occisio hominis. Cum autem quis occiditur deficiunt omnia eius iura, ideoque ablatio vitæ est ablatio omnium iurium conuenientium illi qui occiditur. Vnde si quis non haberet ius ad conseruationem suorum iuriū, eadem de causa, neque respectu conseruationis sui vllum ius haberet, nempe hoc ius cum iniuria sibi contraria componi non potest, & ablatio vitæ est ablatio omnium iurium. Sequela autem est absurdissima, vtpote auferens rationem iniustitiæ homicidio secundum omnes suas species; cum tamen nulla maior hominis ad hominem iniustitia esse possit quam homicidium.

R. de Conceptu formali iuris est, tum vt auferri formaliter per iniuriam non possit, tum vt lædi non possit formaliter, nisi per iniuriam. Probatur & explicatur prima pars huius principij primum à paritate. Quia nullum ius potest tribui formaliter per iustitiam, ita vt nōdum habenti ius aliquod tribuatur ab habenti, idque ab isto fiat virtute iustitiæ. Ergo nullum ius tolli, negatiuè potest formaliter per iniuriam, ita vt habens ius aliquod incipiat non habere illud, idque fiat per iniuriam auferentis. Patet antecedens; quia cui aliquid confertur non præexistente iure, vt id sibi conferretur eo ipso confertur gratiose si quidem confertur quod non est suum ipsius accipientis. Patet consequētia; quia non minus est de ratione iniuriæ, vt cōtradicat iuri alterius, quā sit de ratione iustitiæ, vt conformetur iuri alterius. Æque autem repugnat contradictio, respectu extremi iam non amplius existentis; atque

conformitas respectu nondum existentis.

Probatur deinde à posteriori. Quia iudex spolians reum bonis suis ob delictum dignum tali pœna, nullam illi infert iniuriam; infert verò latro, tametsi illa auferat eidem delinquenti cognita eius dignitate, vt spolietur bonis suis. Huius autem discriminis nulla alia ratio esse potest, nisi quia iudex simul cum bonis aufert ius ad bona; latro verò auferre ius non potest, sed tantum bona. Quod si vel hic haberet potestatem auferēdi simul cum bonis ius ad bona, vel ille non haberet, secus omninò res accideret, & iudex inferret iniuriam, latro non inferret. Patet igitur auferentem ius, eo ipso, nullam iniuriam inferre; ac proinde ius per iniuriam auferri formaliter minimè posse.

Probatur denique à priori. Quia iniustitia habitualis est habitus intentiuus inæqualitatis, vt dictum est quæst. 14 ac per consequens iniustitia actualis, est actualis intentio inæqualitatis. Constat autem ex dictis quæst. 9 istam inæqualitatem versari non inter bona vnius, & iura alterius secundum se, neque inter iura vnius, & iura alterius secundum se; neque inter vtraque simul, absolutè considerata; sed versari inter bona vnius & bona alterius cum proportione ad iura vtriusque: Ita vt defectus proportionis inter hæc extrema essentialiter constituat inæqualitatem, quæ est materia iniuriæ. Manifestum verò est defectum istiusmodi æqualitatis dari non posse deficiente iure. Sicut nihil potest habere proportionem æqualitatis respectu extremi iā nō existentis, ita nec inæqualitatis proportionē habere potest respectu eiusdē. Népe

extre-

extremo quod iam non datur à parte rei, ficut nihil æquale, ita nec inæquale quidquã esse potest.

Confirmatur. Nam qui patitur iniuriam, ideò illam patitur, quia ei negatur, quod eidem debetur, sed ablato iure iam nec ipsum, nec eius terminus debetur. Ergo cui auffertur ius formaliter, non patitur iniuriam. Vis huius rationis ex eo clarius apparet; quia si posset ius formaliter auferri per iniuriam; fieri vtique posset, vt quod alicui debebatur, inciperet esse indebitum respectu eiusdem præcisè ratione iniustæ ablationis. Quod est manifestè absurdum quia ablatio iniusta aufferentem constituit debitorem rei ablatæ, & rem ipsam ablatam constituit debitam restitui. Patet autem sequela: quia deficiente formaliter aliquo iure, deficit eo ipso ratio debiti in termino iuris, si quidem ablata forma denominante nequit subsistere eius denominatio; atque ratio debiti est denominatio prouenìens à iure. Ergo si formalis ablatio iuris posset esse iniusta aliquid prius debitũ redderetur indebitũ ratione iniustæ ablationis.

Altera pars principij initio propositi, nempe nullum ius, formaliter lædi posse, nisi per iniuriam videtur esse satis ex se manifesta. Quia ius proprietatis, de quo agitur, est libera facultas munita lege fauente subiecto eius, & grauante alios in fauorem ipsius, vt dictum est in definitione iuris. Quare fieri non potest, vt lædatur ius aliquod, quin restringatur libera aliqua facultas & fiat contra legem fauentem eidem liberæ facultati; atque constituatur inter lædentem, & læsum inæqualitas contraria tali legi. In hoc autem consistit formalis ratio iniuriæ vt patet. Ergo repugnat

gnat actionem aliquam vel omissionem esse læsiuam iuris formaliter, eandemque non esse iniustitiam. Ea porrò actio, seu omissio dicitur læsiua iuris formaliter; quæ est contraria, actioni, vel omissioni, ad quam ius dat liberam facultatem.

Quare ad iudicandum an aliqua actio, vel omissio quæ ex vi alicuius iuris præexistentis secundum se futura erat iniuriosa, desinat esse talis, ex aliqua suppositione superueniente de nouo; videndũ est, an noua ea suppositio auferat ius præexistens ad eã actionẽ vel omissionẽ, an nõ auferat? Si enim auferat ius, auferet etiam actioni vel omissioni rationem iniuriosæ; sin minus: no auferet, quidquid illud, & cuiuscumque conditionis fuerit. Siquidẽ eo non obstante actio seu omissio erit læsiua iuris, non minus, quã si ea suppositio facta nõ fuisset.

Ex his concluditur sententiam Philosophi D. Thomæ aliorumque communem & certam defensam in quæst. proximè præcedenti quod volenti non fiet iniuria, intelligendam esse de voluntate qua quis validè renunciet iuri suo, illudque efficaciter abdicet à se non solum affectiuè, sed etiam effectiue. Hanc esse mentem D. Thomæ patet ex illo art. 9. ad 1. *Homo enim ait per suam voluntatem possidet res, & ita non est præter proportionem vel propositum, si aliquid ei abstrahatur, sed secundum propriã voluntatem, vel à se ipso, vel ab alio.* Loquitur ergo de voluntate qua vnus quisque res possidet, & qua proindè retractata per contrariam voluntatem non amplius eas possidet, sed desinunt esse suæ, ipsius.

Eam porro sententiam, tametsi absolutè, & absque expressione vllius limitationis proferatur, esse capacem huius sensus,

ac

ac restrictionis ex eo facilè perspicitur; Quia dū agitur de iuribus volūtas disponens inualidè circa aliquid, perinde æstimatur ac si non esset; Ideòq. cōmuniter dicitur voluntas nulla; & quia moraliter nulla est re ipsa, dum agitur de voluntate quoad morales effectus, vt contingit dum agitur de iuribus, & iniurijs, non comprehenditur sub nomine voluntatis; Vnde patet nullam vim inferri per datam expositionem Philosopho & D. Thomæ atque regulis vtriusque iuris; quatenus negantibus iniuriam respectu scientis & volentis. Quia loquuntur expresse de voluntate inducente diuersitatem moralem, in actionem materialiter iniustā. Quæ diuersitas induci nullatenus potest nisi inducta diuersitate in iure; cui videlicet, si non obstante ea voluntate adhuc perseueraret, non minus esset contraria etiam formaliter, ac moraliter eadem actio, quam si nulla talis voluntas, nullusque in eam consensus physicè adesset patienti.

Quia verò voluntas actualiter, & explicitè consentiens in actionem materialiter iniustam aliquando illi aufert, aliquando non aufert rationem formaliter iniuriosæ; pro isto discrimine clarius dignoscendo considerandum est quædam iura pendere in esse & conseruari ab actuali voluntate habentis illam: vel certè quoad primum esse ab actuali voluntate, eaque explicita ac determinatā circa talem rem; & quoad conseruari a deffectu similis voluntatis actualis contrariæ: alia verò iura esse talia vt eorū conseruatio non pendeat à deffectu voluntatis actualis contrariæ, neque ad primum eorum esse requiratur voluntas explicita, & determinata respectu talis rei. Prioris ge-

neris sunt iura pecuniarum. Quas videlicet nemo facit suas, nec reddit illicitam vsurpationem earum, nisi habeat voluntatem specialiter liberam respectu ipsarum, qua velit eas esse suas; & superueniente voluntate contraria desinunt esse suæ. Posterioris generis est fama. Cuius videlicet ius habetur voluntate generali, qua vult sibi bene esse, siue esse felix ac beatus, & non amittitur voluntate actuali contraria.

Ratio huius discriminis inter diuersa iura pendet ex eo, quod quædam bona sunt talis naturæ, vt cum ipsis, & sine ipsis possit quis esse felix; imò possit promouere felicitatem per voluntariam iacturam eorum, seque disponere per ipsam ad alia maiora bona. Huiusmodi sunt pecuniæ, & abundantia bonorum temporalium, quibus in pauperes erogatis, aut aliter honestè renuntiatis crescit dispositio ad ditandum animum maioribus alijs bonis; ipsaque voluntate, se ad illa disponendi, incipit iam ditescere melius, & promouere felicitatem suã. Alia verò sunt bona, quorum iactura voluntaria non promouet fœlicitatem, sed minuit & reddit indispositum, aut minus dispositum ad consecutionem eius. Huiusmodi sunt fama bona, vera rerum cognitio & alia huius generis. Infamia enim voluntaria reddit hominem minus sollicitum de honestate vitæ, & minus vtilem honestati aliorum cõfouendæ: & error quantum est de se disponit animum proximè vel remotè ad prosecutionem, vel fugam rerum contrariarum merito, ac dignitati ipsarum. Patet autem in voluntate generali, qua quis vult felicitatem, vtque bene sibi sit, non posse contineri voluntatem eorum bonorum, sine quibus felicitas, & ipsum bene esse optimè

cõsistit;

consistit; ac proindè ad acquisitionem eorum, seu ad ea facienda sua necessariã esse voluntatem explicitam ac determinatam respectu ipsorum: Contineri verò in eadem generali voluntate, voluntatem eorum bonorum, quæ ita conferunt ad felicitatem, vt eorum iactura voluntaria minuat illam potius, & ad eandem malè disponat. Qui enim vult aliquid explicitè, eo ipso vult virtualiter & implicitè quæ sunt ad illud necessaria determinatè, non verò quæ necessaria non sunt.

Quia verò nemo est, qui nolit, aut possit omninò nolle felicitatem, sed necessariò omnes illam volunt, atque hæc voluntas prævalet supra omnes alias volitiones, fit planè, nemini deesse posse voluntatem efficacem, quæ sufficiat ad constituendum ius respectu eorum bonorum, cum quibus fœlicitas habet illud genus connexionis, quæ modò exposita est. Vnde etiam si quis habeat, per errorem intellectus, aut deordinationem affectus, voluntatem particularem, qua efficaciter nolit eadem bona, illisque, & eorum iuribus renunciet efficaciter affectiuè, atque ipsorum iacturæ similiter consentiat; non propterea desinet habere ius ad illa. Prævalet nimirum voluntas vniuersalis felicitatis & eorum bonorum, cum quibus connectitur fœlicitas, huic alteri voluntati particulari contrariæ: tum quia voluntas felicitatis est ordinatiua cæterorum omnium ad ipsam felicitatem, cum maiori adhæsione ad hoc motiuum, quam possit haberi ad aliquod aliud: tum quia ea voluntas continetur in qualibet alia voluntate, vt dictum est dum ageretur de vltimo fine, & de terminis humanæ libertatis. Quapropter quæuis volitio circa

motiuum

motiuum particulare, quæ contradicit intẽtioni vniuersali fœlicitatis, sibi etiam ipsi contradicit virtualiter, & implicitè; concordans partim cum eadem intentione fœlicitatis, partim ab eà discordans. Præterea lex, qualem dictum est supra pertinere ad constitutionem iuris proprietatis, fauet intentioni fœlicitatis, non autem voluntati particulari contrariæ. Nempe Deus non vult eis nos iuribus spoliari, quibus egemus ad fœlicitatem per se, & determinatè; tametsi dederit potestatem, vt culpa nostra amittere possimus bona ad illam conferentia merendo ablationem eorum, sicut & ipsum fœlicitatem amittere possumus, tametsi à nemine aufferibilis ea sit absque culpa nostra, & merito vt auferatur.

Ex quibus apparet patientem iniuriam semper esse vel ita nolentem, vt nullatenus sit volens; vel certè ita vt magis sit nolens quam volens; ideoque, vel esse purè patientem; vel certè patientem magis, quam agentem. Apparet rursus legem repugnantem abdicationi aliquorum iurium, tametsi contradicat alicui voluntati subiecti, cui ea insunt; esse nihilominus fauorabilem respectu ipsius: tum quià concordat appetitui non solum recto materialiter, & formaliter; sed etiam præualenti, & efficaciori: tum quia beneficium & fauor potest conferri irrationabiliter inuito. Ex quo vlterius efficitur posse subsistere ius, tametsi detur in eius subiecto aliqua nolitio illi contraria, dummodo detur simul volitio alia præualens, per quam idem ius constituatur atque subsistat. Indidem similiter efficitur legem repugnantem abdicationi aliquorum iurium, posse nihilominus esse ampliatiuam simpliciter libertatis subiecti eorum; quia potest

nihi-

nihilominus indulgere quoad plura, & maiora bona; solumque restringere quoad aliquid nocens, & odio habitum efficacissimè per aliam voluntatem ab eodem subiecto iuris. Qua in re Deus prouidet vniuersaliter omnibus ista sua lege, ad eum fere modum quo prouidet magistratûs dans curatorem prodigo ac dilapidatori bonorum, vt voluntas eius absque istius consensu sit nulla. Quo defenduntur illi potius quam restringantur simpliciter, & absolutè termini libertatis quoad plures vsus per tempus longius circa bona sua.

Non est difficile doctrinam istam deducere ad casus propositos in rationibus dubitandi quæstionis proximè præcedentis. Dicendum namque est primo conditionaliter: si voluntas dandi aliquid pro aliquo siue temporali, siue spirituali; atque consensus innocumentum ab altero inferendũ, sufficiant ad renuntiandum ius, vtque ipsũ omninò pereat danti sic & consentienti; nullam fieri iniuriam neque ab accipiente pretium, neque ab inferente nocumentum, ac per consequens nullum deinde superesse onus, seu restitutionis, seu compensationis: secus verò si ius nihilominus integrum perseueret. Quæ quidem assertio vsquè adeò manifesta est ex dictis huc vsque quoad vtramque suam partem, vt nulla vlterius indigeat, aut expositione, aut confirmatione.

Dicendum rursus est absolutè & in genere acceptionem bonorum & illationem nocumenti exercitas circa volentem dare, aut pati, eo ipso carere specie quadam iniustitiæ quam contraherent non existente ea voluntate & consensu, etiam quando eadem voluntas & consensus sunt insuffi-

cientes

cientes ad extinguendũ ius volentis & con-sentientis quoad rem datam & nocumentũ illatum. Quia ipso deest specialis iniustitia violentæ damnificationis. Nempe vnusquisque habet ius quoddam speciale, ne patiatur violentiam circa sua bona. Qua de causa rapina, differt specie à furto simplici eiusdem rei, illique superaddit rationē specialem iniustitiæ, vt docent D. Thomas q. 66. art. 4. & alij communiter, ob specialem violentiam, quam ingerit raptor cum contēptu Domini præsentis, & actualiter renitentis; cum deberet illum reuereri, tametsi alias inferiorem, ob præeminentiam quam q. 2. & 3. dictum est, inseparabilem esse à iure circa rem quæ ipsum terminat, & circa eius vsus. Quia igitur scienti ac volenti actualiter & explicitè nunquam infertur ea specialis violentia, quæ inferretur nolenti & nullatenus simul volenti, propterea neque fieri vnquam potest ea specialis iniuria, quæ fieret nullatenus volenti, tametsi aliquando fiat absolutè aliqua iniuria iuxta nuper dicta.

Simili ratione verificatur vulgare illud: Beneficium non confertur inuito. Verificatur inquam aliquatenus, etiam respectu irrationabiliter inuiti. Nec enim huic confertur beneficium illud speciale voluptatis, seu complacentiæ præsentis, & animi bene dispositi ad gratitudinem, quod conferretur, si eadem actio exerceretur erga volentem & cupientem, & eo magis quo magis vellet ac cuperet. Qui enim accipit beneficium vtcunque inuitus actualiter & in particulari, loco duplicis eius beneficij accipit duplex contrarium nocumentum, alterum displicentiæ ac tristitiæ præsentis, alterum indispositionis ad gratitudinem cō-

iuncta

iunctæ cum debito gratificandi. Igitur è conuerso qui patitur damnum volens, atque consentiens, tametsi nulliter absolute velit, atque consentiat liberatur à dupl ci nocumento, altero violentiæ & displicentiæ ac tristitiæ præsentis seu incipientis ab illo ipso instanti actionis damnificatiuæ; altero dispositionis præsentaneæ ad iram & vindictam; & per consequens damnificator non committit iniustitiam quoad hæc duo commissurus eandem, si idem damnum inferret nolenti actualiter & explicitè, seu nullatenus volenti.

Dicendum denique est breuiter in particulari. Accipiens auctarium pro mutuo est absolute iniustus, si mutuatarius illud soluat, vel ignorans præsentem illam mutuī commoditatem esse inuendibilem, & incōpensabilem æquali pretio; vel soluat sciens quidem hoc, sed coactus ab iniqua mutuantis auaritia coniuncta cum propria præsentī necessitate. Quia in neutro casu adest voluntas donandi auctarium; Emptio verò ex natura rei est nulla vtpote vendens quod est inuendibile; ideoque non perit soluentī ius eiusdem auctarij, vtpote nullatenus donati, nec propriè soluti. Vnde consequens est iuxta dicta superius, vt committat peccatum iniustitiæ, qui illud accipit. At si idem auctariū detur absque eiusmodi ignorantia, & coactione etiam palliata, eo ipso donatur, & nulla est iniuria. Eadem est quoad hoc ratio de dante aliquid pro re, seu purè seu non purè spirituali. Si enim det similiter ignorans vel coactus acceptio est iniustitia. Si verò det præcise ob gratitudinem, & liberaliter, idque realiter ac sincerè nulla est iniustitia. Quia voluntas dandi, ac cedendi iuri suo est valida iuxta

dicta

dicta superius de natura pecuniarum. Neque de hoc casu loquuntur auctores, dum vniuersaliter dicunt iniustos contractus vsurarios & simoniacos, vt notat inter alios Layman agens de simonia.

Similiter excessus coniugatorum sunt iniusti non solùm respectu prolis legitimæ aut Reipublicæ. quo nonnulli recurrunt, & ad præsens minimè spectat; sed etiam comparatione mutua, idque propriè ac strictè, tametsi inuicem conniueant, siue mutuò siue non mutuò. Quia vtrunque premit obligatio mutua fouendi in altero amorem erga se coniugalem, pacem & tranquillitatem permanentem ad finem vsque vitæ. Contrariam verò imposterum dispositionem animi vterlibet imprimit alteri, dum peccat, propter acres zelotipiæ motus, & amaram displicentiam consortis alio distracti, & affectus vt nimium diuisi. Neque verò potest conniuentia præsens & permissio spontanea peccati impedire, quominus ea dispositio facilè postea pariat separationem animorum, odia, rixas, diffidentiam; quibus vitãdis tenentur iure matrimonij inextinguibili per voluntatem posteà superuenientem.

Præterea coniugati fiunt ex vi matrimonij vna caro, vt habetur in Euangelio. Quare fieri non potest. vt alteruter eorum peccet cum tertio contra castitatem violando obligationem quã habet respectu sui ipsius secundum se, quin simul & indiuisim peccet contra iustitiam, violando obligationem quam habet respectu alterius consortis, vt potè indiuisi à se in tali materia. Qua de causa non magis potest consensus alterius auferre posteriorem istam malitiam quam possit priorem. Quia non est amplius in

alte-

alterutrius poteſtate, vt inducat mutuam, iuridicam diuiſionē carnis; ſed debet vterque ſe cuſtodire non minus alteri, quam ſe ſecundum ſe immaculatum, & hoc modo prouidere ne alter maculetur, infametur: atque vileſcat; idque ſiue ipſe velit, ſiue nolit.

Ob eandem identitatem moralem vnuſquiſque coniugatus conſtituitur cuſtos alterius, ſicut debet eſſe cuſtos ſui ipſius in ordine ad obſeruantiam caſtitatis coniugalis, acceptaturque ab altero ad hoc officium. Quare qui illi præſtando redd. derit ſe inhabilem, eo ipſo peccabit contra ius quæſitum alteri; ſicut quiuis obligatus ad cuſtodiendum quiduis aliud. Manifeſtum autem eſt coniugatum violatione thori reddi valde inhabilem ad præſtandum hoc officium. Idque multo magis, quando peccatur ex conſenſu conſortis. Quia conſilia, querimoniæ, minæ, aliæque coniugales mutuò ſe cuſtodiendi artes languent admodum, nec flocci penduntur ob memoriam exempli in contrarium relati; & adhibentur difficilus, ac tepidius ob conſcientiam opigneratam vicifſitudini exigendæ quaſi iure ſuo ab eo qui prius conſenſit ac indulſit.

Ab iſtis porro obligationibus neuter coniugatus liberari poteſt voluntate alterius, quia nituntur conſenſu matrimoniali vltrò citroque præſtito; cuius rigor eſt deinceps irreuocabilis ab ipſis affectiuè; ideoque ſunt inamiſſibilia iura fundata in illo, ſecundum ſe præcisè. Igitur ob conſenſum, ſeu permiſſionem ſpontaneam conſortis non aufertur propria adulterij iniuſtitia; ſed ſola illa, quæ conſiſteret in violenta corporis alienatione, & ſpeciali vi contriſtandi ob læſionem actualiter renitentis, ſeu non coniuentis

niuentis actualiter; atque quod ratio iniustitiæ absolutè perseueret, ideò est quia ius matrimoniale perseuerat nihilominus vt patet ex ratione data.

Iam quod attinet ad personam Ecclesiasticam cedentem iuri fori, aut non percussionis, manifestum est neutrum ius amitti posse per voluntatem patientis. Cum enim istud ius cōcedatur nō tam in fauorem personæ priuatæ, quam in fauorem ordinis Ecclesiastici & Clericalis, non potest amitti sola voluntate personæ priuatæ, quia subsistit vi alterius voluntatis irreuocabilis per ipsam, & illa sua ipsius voluntate, dependenter a qua Ecclesiasticus aut Clericus factus est, quæ voluntates non reuocantur, aut annulantur per volūtatem postea superuenientem cedendi foro, & volendi percussionem. Idem dicitur suo modo de volente infamationem sui, & iacturam aliorū bonorum, quorum conseruatio est necessaria determinatè ad fælicitatem consequendam; quia ius ad talia bona subsistit vi volūtatis, qua vnusquisque vult felicitatem præualente omnibus alijs voluntatibus, vt superius dictum est. In omnibus igitur huiusmodi casibus & materijs ideò datur ratio iniuriæ quia perseuerant priora iura. Vnde demum deducitur omnem iniuriam præsupponere essentialiter ius, ideoque iniuriam esse quia iuri contradicit, ac proinde ius neque auferri per iniuriam formaliter posse, neque lædi absque iniuria.

Ad 1. Conceditur antecedens, & distinguitur consequens auferri materialiter potest, Conceditur consequentia: formaliter, negatur consequentia, quia ius in re respectu habentis ius ad rem comparatur veluti res quælibet distincta ab omni iure, quatenus

stus ius ad rem est ius ad ius in re; atque hoc est terminus purus, & iustum passiuum comparatione illius. Quare impediens iniuste ius in re non facit actionem contrariā ipsi iuri in re, sed contrariam iuri ad rem: ita vt per oppositionem ad solum illud posterius ius, ea actio sit iniuriosa. Illud autem ius comparatur formaliter cum vnaquaque iniuria per ordinem & oppositionē ad quod habet actio rationem iniuriosæ; terminus verò eiusdem iuris comparatur materialiter quia est materia in qua versatur iniuria. Cum igitur notanter dictum sit nullum ius formaliter auferri per iniuriā posse; ideſt nullum ius auferri posse per actionem, cui conueniat ratio iniustitiæ, seu iniuriæ per oppositionem ad idem ius, patet nihil hac obiectione concludi contra conclusionem. Eadem porro ratio est de impeditione iuris proximi, aut intrinseci præsupposita existentia iuris remoti, aut extrinseci, deque alijs similibus iurium iuribus; qualia sunt ius ad matrimonium post sponsalia, & ius ad rem promissam post promissionem acceptatam.

Ad 2. Imo inde concluditur oppositum; quia sicut res quæ est sua alicuius pro aliquo instanti, absque vlla eiusdem iniuria est penes alium pro alio instanti, pro quo nullum iam competit illi ius respectu eiusdem rei; ita etiam ipsum ius est penes alium absque vlla prioris domini iniuria pro eo instanti, pro quo eidem priori domino nullū iam competit ius neque respectu ipsius iuris neque respectu termini realiter distincti illi correspondentis. Hoc autem necessario contingit pro instanti pro quo aufertur ius directum; quia eo ipso aufertur etiam ius

reflexum, vtpotè indistinctum realiter à directo.

Ad 3. Nemini conuenit ius propriè, & strictè tale respectu conseruationis suorum iurium formaliter; Sed conseruatio ista est vel metaphysicè necessaria, vel defectibilis sola eius voluntate & actione, qui sine iniuria auferre ius, & impedire eius conseruationem potest. Si enim ius aliquod à Deo immediatè conferatur, eiusque sola voluntate conseruetur ab ipso solo, auferri potest, atque adeo nõnisi iustè auferri potest. Quod si Deus promissione, aut reuelatione perpetuæ conseruationis idem ius stabiliat, iam conseruatio erit metaphysicè necessaria. Si autem ius homini ab homine conferatur, vel confertur ad nutum conferentis sine alia causa, vel in perpetuum, atque omninò absolutè, dum non aderit causa specialis iusta in contrarium. Si sit ad tempus & ad nutum, patet absque vlla iniuria auferri posse à conferenti, quando placuerit. Si in perpetuum & absolutè, nulla vi auferri ab eodem poterit. Quia post acceptationem voluntas contraria conferentis erit nulla. Multo verò minus poterit auferri ab alijs non existente causa iusta in contrarium, à quorum videlicet voluntate minus pendet tale ius. Quando autem aderit iusta causa auferendi ius, patet iustè ablatum illud iri ab eo, ad quem pertinet causæ cognitio; ab alijs verò nullatenus auferri poterit, tametsi maximè velint. Ergo conseruatio iuris formaliter non cadit sub iure, sed vel est necessaria vel non munita lege, atque negabilis sine iniuria. Vnde habens ius absolutum ac illimitatũ, habet eius perpetuitatem non iure, sed quod maius, & alterius

generis est, impossibilitate physica ablationis.

Ad homicidium quod attinet, alius est dicendi locus. Sufficit pro nunc supponere vt certum, hominem non esse dominum suæ vitæ; sed totum eius ius immediatum ad solum Deum pertinere. Vnde qui peccat occidendo hominem, non est iniustus erga ipsum sed erga Deum. Iura verò spectantia ad hominem non ab eo eripiuntur formaliter & immediatè, qui eripit illi vitam, sed tantum indirectè, quatenus iura bonorũ temporalium conferuntur homini tantum pro tempore vitæ mortalis; ac proinde intereunte homine vndecunque id proueniat, siue naturaliter, siue violenter, illa desinũt esse, vel transferuntur non per directam oblationem eorum; sicut quando iustè spoliatur illis reus per iudicis sententiam; sed indirectè per positionem termini, & conditionis ab auctore iurium designatæ, nunquam igitur ius aufertur directè & formaliter per iniuriam.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum omne peccatum iniustitiæ sit mortale?

VIDETVR esse. Quia in re venerea non datur paruitas materiæ, sed omne peccatum circa illam est lethale. Ergo neque in iniurijs datur paruitas materiæ, sed omne peccatum iniustitiæ est lethale. Probatur consequentia; quia neutra mate-

ria consistit in indiuisibili, & vtraque est finita. Quæ autem vniformiter sunt eiusmodi, possunt vniformiter auferendo diminui ita vt finiantur, & immediatè antequam finiantur, sint prope finem, & parum distantia à nihilo; Quod autem parum distat à nihilo in quouis æqualiter genere, est quid paruum; vsque adeò, vt videatur esse legitima definitio parui & magni; quod parum vel nihil distat a nihilo. Deinde, quale est auferre pomum vel obolum, tale videtur esse tangere extremos digitos, & sic de alijs similibus.

Rursus vitium oppositum iustitiæ & maius ac deterius quam vitium oppositum castitati. Quia iustitia est maior & præstantior virtus, quam castitas, vt constat ex q. 83. Ergo si aliquid exiguum contra iustitiam est veniale, multo magis veniale est, quod est exiguum contra castitatem. Denique, si consecutionem vitæ æternæ redderet moraliter impossibilem, quod omnia peccata contra iustitiam etiam in quantitate vtcunque parua essent lethalia, ideoque oportuit non omnia esse prohibita sub lethali; Idem sequeretur ex eo quod omnia peccata contra castitatem essent lethalia; quandoquidem nec occasiones horum peccatorum sunt pauciores, sed multo plures, nec motiua alliciunt minus sed multo magis, ac proinde ob eandem rationem oportuit, vt nec omnia ista peccata essent prohibita sub lethali.

R. Peccatum iniustitiæ esse mortale ex genere suo; posse tamen esse veniale, tum ex solo defectu deliberationis; tum ex sola paruitate materiæ; tum ex vtraque simul, communis & certa scientia est, cum Diuo Thoma artic. 4. quæst. 59. Probatur

prima pars Quia quod opponitur charitati est mortale ex genere suo. Charitas enim est vita animæ, & quod opponitur vitæ est inductiuum mortis, ideoque mortale. Iniustitia autem opponitur charitati. Quia charitas intendit bonum proximi, iniustitia verò nocumentum eiusdem, quod consistit in priuatione boni. Probatur altera pars quoad deffectum deliberationis quia vt dicit Philosophus cap. 5. huius 5. fine: *ea quæ non solum ignorantes, sed ob ignorantiam etiam faciunt, venalia sunt.* Nempe actus hmani nõ tam æstimantur ex effectu, & qualitate obiecti parui vel magni secundum se, quam ex præcognitione perfecta vel imperfecta, dũmodo sit inculpabiliter imperfecta.

Probatur denique de paruitate materiæ. Quia *qui parum à medio recedit, non carpitur*, vt dicit Philosophus 2. Ethic. sub finem. Certè talis recessus condonatur facilè, ac proinde est venialis, *Exigua namque iactura ex. g. vnius pomi, probabile est, quod non displiceat patienti*, vt dicit D. Thomas ad 2. Sanè displicentia per se loquendo est parua, & facilè imperfectam pacem, & beneuolentiam reditura. Quod si talis non esset, redderetur moraliter impossibilis per se conseruatio charitatis cum Deo & proximis, atque indè consecutio vitæ æternæ. Quæ sequela est absurda; infertur verò legitimè ex nimia frequẽtia occasionum leuiter nocendi, & facilitate inferendi leue nocumentum. Postrema pars de exiguitate materiæ & deliberationis simul est manifesta à fortiori. Quanta porrò debeat esse deliberatio sufficiens ad mortale, est quid vniuersalius, & pertinens ad quæstiones de actibus humanis. Determinatio quantitatis est res valde difficilis, vt visum est Philosopho,

næc determinata ab eodem loco proximè indicato; exponetur verò infra, dum agetur de restitutione. Interim certum est materiam iniustitiæ tam paruam esse posse, vt non sufficiat ad lethale, sicut patet ex exemplo posito à D. Thoma.

Ad rationem dubitandi in contrarium concedendum omnino est antecedens, neque est negabile absque magno animarum periculo, morumque corruptione vt habetur ex D. Thoma quęst. 15. de veritate art. 4. c. sub initium. Ratio disparitatis multis visa est difficilis, nonnullis impossibilis qui propterea negant antecedens; quia falsitas consequentis est omnibus manifesta ac obuia. Ratio legitima discriminis pendet ex legitima cognitione delectationis, & rei venereæ, in cuius significatione æquiuocationē passi sunt pauci illi, qui negarunt antecedens.

Sciendum igitur est non omnem delectationem secundum tactum aut etiam visum, vel auditum qualitercunque perceptam esse veneream ac libidinosam, sed eam solùm quæ consequitur ad actum consummatum luxuriæ, vel ad alios, qui sunt præuij, aut comitantes respectu actus consummati; exercentur verò cum eiusdem imaginatione, & cogitatione actuali: ita vt delectatio, cui animus adhæret, quando est libidinosa, non sit ea sola, quam causare possent ex se præcisè tactus illi præuij, aut concomitantes secundum se, sed prout coniuncti cum tali imaginatione & cogitatione delectationis perceptibilis ex actu consummato. Vnde tactus corporis constituitur in ratione, ac specie determinata venerei seu libidinosi, non ex vi quam habet excitandi imaginationem & cogitationem atque indè cōplacentiam impulsiuam ad actum consummatum

matum; sed ex coniunctione cum eadem imaginatione & cogitatione, & cum adhæsione affectus voluntarij ad delectationem, quam causant eadem imaginatio & cogitatio ex obiecto repræsentato. Quapropter consensus in actiones qualescunque causantes delectationem veneream, eo ipso est consensus in delectationē, quæ est propria actus consummati, licet non propterea necessariò interfit consensus in ipsum actum exteriorem consummatum; cum sufficiens sit cōsensus in delectationē propriam talis actus præcisè, vt imaginatam, & vt repræsentatam per cognitionem.

Iam verò in huiusmodi actionibus, & delectationibus, quatenus hac modo sunt venereæ ac libidinosæ, non dari paruitatem excusantem à peccato lethali ex eo liquet: Quia consensus in ipsas, quatenus tales sunt, includit consensum in delectationem propriam actus consummati luxuriæ, qui est peccatum mortale; Consensus autem in delectationem prouenientem ab aliquo actu lethaliter peccaminoso; Licet concipiatur absque consensu in eundem actum, est peccaminosus lethaliter, vt docet D. Thomas 1. 2. quæst. 74. art. 4. Quia consensus in delectationem prouenientem ab aliquo actu, etiam præcisè vt imaginatam; & repræsentatam in cognitione non potest esse absque inclinatione, & adhæsione affectus ad ipsum actum, qui est causa delectationis: atque consentiens deliberatè inclinationi, & adhæsioni sui affectus ad actum lethaliter peccaminosum eo ipso peccat lethaliter. Non enim est quid paruum, ac leue malum habere animum deliberatè inclinatum & adhærentem malo graui. Quare actiones licet secundum se leues & continentes ex se

præcisè malitiam vel nullam vel parui momenti, quatenus venereæ ac libidinosæ sunt sunt graues, nec sunt capaces malitiæ venialis, nisi ex indeliberatione.

Expositio ista & significatio actionis libidinosæ & consequentia inde deducta habentur apud D. Thomam in hac 2.2. q.154. art.4 c.fine: *& ideo*, ait *cum oscula & amplexus huiusmodi* (scilicet libidinosi de quibus loquitur) *propter delectationē huiusmodi* (scilicet propriam actus consummati, de qua immediatè fuerat sermo) *fiunt, consequēs est quod sint peccata mortalia; & sic solum dicuntur libidinosa. Vnde huiusmodi secundum quod libidinosa, sunt peccata mortalia.* Solum igitur expedit in hac materia non æquiuocare actiones libidinosas cum ijs quæ sunt occasiones libidinis, & prouocant ad libidinem; nondum tamen sunt libidinosæ. Hoc enim recte obseruato nulla est de reliquo difficultas.

Nonnulli admittentes eandem, quæ modo data est, expositionem, ac restrictionem actionis libidinosæ consistentis in tactu, visu vel auditu, nempe est eadem de his omnibus ratio, vt deducerent eandem, quæ huc vsque deducta est, consequentiam, dixerunt quamlibet eiusmodi actionem libidinosam afferre secum inseparabiliter periculū proximum consentiendi in actum ipsum turpem consummatū. Facilius nimirum vitari actiones præuias libidinosas simul cum consensu in actum consummatum, quam vitetur iste consensus post illas actiones exercitas libidinosè; esseque probabilius ijs actionibus sic exercitis subsecuturum esse istum consensum quam eundem esse cohibendum: atque per hæc duo adæquatè cōstitui actionem seu omissionem quamlibet in ratione

occa-

occasionis proximæ & proximi periculi respectu peccati lethalis; quæ proinde si non vitetur peccatur lethaliter. Quam in rem aduertunt optimè posse actionem aliquam esse leuem, paruique momenti in ratione delectationis actualiter: grauem verò, magnique momenti in ratione occasionis, & periculi propter dispositionem materiæ, seu subiecti.

Demonstrant id exemplo scintillæ missæ in magnam copiam pulueris tormentarij, quæ quidem est quid paruum quoad quantitatem materiæ, & ignis; est tamen quid magnum & maximè formidandum quoad vim excitandi in tali materia, magnum & inextinguibile incendium. In re autem præsenti eiusdem esse conditionis, actiones quascunque libidinosas, etiamsi sint maximè leues in ratione delectantis actualiter, constat: tum à posteriori ex experientia pluribus exemplis, ac testimonijs multipliciter confirmata: tum à priori, quia delectationes eiusmodi perturbant rationem propter commotionem & confluxum, necnon dilatationem spirituum vitalium, quibus insident species impressæ, atque indè auctàm supra modum apprehensionem, & repræsentationem phātasiæ præcipitantis propterea maiori semper cum impetu indeterius. Patet autem minui, ac debilitari miserabiliter libertatem perturbata in hunc modum ratione, atque ideò periculum inde nasci, quale dictum est.

Nec obstat quod desit per accidens, aut inculpabiliter credatur deesse tantum ac tale periculum in aliquo indiuiduo. Quia lex ordinata in bonum commune speciei, qualis est, quæ dirigit potentiam generatiuam, non attendit quid accidat in aliquo indi-

individuo, nec expedit, vt subijciatur arbitrio vniuscuiusque, vtpote suspecti ac incompetentis iudicis; sed decernit circa omnes & singulos absque vlla exceptione iuxta id quod plerunque euenit ex natura rei, vt aduertit optime D. Thomas quæst. 15. de malo art. 2. ad 12. nec satis aduertunt nonnulli moderni plaudentes indiscriminatim ac perniciosè Patri Granados circa obligationem legis cessantem cessante fine legis.

Hæc ratio est optima; est tamen minus conspicua, quam quæ prius deducta est ex D. Thoma: tum propter diuersitatem periculi maioris, & minoris, aut forte nullius moraliter ob disparem diuersorum dispositionem naturalem & habitualem: tum quia hoc ipsum periculum fundatur tanquam in radice & ratione vltima à priori in inclinatione & adhæsione animi ad delectationem actus consummati; qua videlicet seclusa, periculum non esset vsque adeò magnum, & quæ ratione sui secundum se præcisè est grauiter deformis; Quare ratio periculi est magis attendenda pro ijs actionibus secundum se, quæ incipere quidem absolutè possunt absque libidine, ideoque quantum est ratione sui secundum se absque vllo peccato, vel cum solo veniali; sunt tamen pronæ ad excitandam eandem libidinem, ideoque periculosæ saltem vt plurimum, idque magis vel minus, leuiter vel grauiter pro diuersitate circunstantiarum. Atque hæc fuit occasio æquiuocationis docentibus paruitatem materiæ in re venerea.

Vtvt autem hoc habeat, ratio intenta discriminis est manifesta ex duplici discursu superiori. Quia parua nocumenta, quibus venialiter peccatur, inferuntur absque delectatione in magno nocumento, & absque

magno

magno periculo illud intendendi per se ac exequendi. Nec actus paruæ iniustitiæ ita stimulat animum ad magnam iniustitiam, nec auget per se, sed potius minuit appetitum iniustè agendi pro tunc. Oppositum autem huius accidit in parua delectatione venerea.

Vndè patet responsio ad primam superiorem probationem consequentis. Quia actio ex quo est contracta ad differentiam libidinosæ, iam est contracta ad differentiam magnæ turpitudinis, vt ostensum est clarè. Vndè prius desinit esse libidinosa quam incipiat esse parua. Diminuitio autem solum in indifferentibus ad parunm & magnum potest deuenire ad paruitatem. Qua de causa nec in materia iustitiæ potest esse venialis ex paruitate materiæ actio iniusta conijciens in extremã necessitat. Secũda comparatio nõ subsistit si tactus sit libidinosus, seu venereus, si non sit non negatur paritas. Ad 3. & 4. probationem. Non asseritur omne peccatum contra castitatem esse lethale, sed solum esse lethalem omnem delectationem veneream. Quia ex sua ratione est quid magnum in vitio opposito, atque eius permissio, aut etiam prohibitio solum sub veniali redderet difficiliorem consecutionem vitæ æternæ. Quod non accidit in paruo nocumento iniusto. Quæ duo patent ex dictis.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum iustitia particularis diuidatur in distributiuam & commutatiuam tanquam genus in species?

VIDETVR non sic diuidi sed tanquam subiectum in accidentia, vel tanquam genus in partes potestatiuas. 1. Quia tam iustitia distributiua quam commutatiua reddit ius suum priuatæ personæ, atque motiuum ad id præstandum est, vt seruetur illæsum ius eiusdem priuatæ personæ, vtque habeat in bonis, quantum ipsi debetur. Ergo vtraque iustitia conuenit in toto eo quod pertinet ad rationem formalem & specificam iustitiæ vt liquet, ex eius definitione exposita in quæst. 8. Quod autem bonum, ad quod terminatur tale ius, sit communitatis vel priuatæ personæ, est quid pure materiale ad rationem iustitiæ perinde atque est quid materiale esse bonum personæ ecclesiasticæ aut sæcularis, publicæ aut priuatæ.

2. Dignitas personarum, quam respicit iustitia distributiua, fundatur in meritis & laboribus earum impensis Reipublicæ; ita vt Respublica tantum det vnicuique de bono communi, quantum ipse contulerat respectu eiusdem boni communi. Hoc autem est proprium iustitiæ commutatiuæ constituentis æqualitatem inter datum & acceptum, & considerantis dignitates personarum quatenus dant & sunt beneficæ. Quod verò exercita erga plures, eiusmodi compensa-

tione, inde resultet proportionalitas inter dignitates singulorum, & res singul's obuenientes, est quid accidentarium, & potest similiter euenire etiam in commutationibus quæ fiunt inter priuatas personas, si vnus aliquis commutationes faciat cum multis tantumdem reddens singulis, quantum ab eisdem acceperat, atque inæqualiter laborantibus in vinea soluat stipendia similiter inæqualia.

3. Respublica creans gubernatorem Ciuitatis, aut Ducem exercitus, & sic de similibus, quod proculdubio est, opus iustitiæ distributiuæ, eo ipso obligat electos, vt fungantur his muneribus in bonum commune, eaque de causa solet vltra honorem addere stipendium: Obligatio autē æquiualet operi in contractibus. Datur ergo manifestè in opere propriissimo iustitiæ distributiuæ æqualitas propria iustitiæ commutatiuæ non secus, ac datur inter conducentem operarios in vineam anticipatā solutione, eosdemque operarios obligatos ad laborandum siue æqualiter siue inæqualiter, Ideoque recipientes stipendia siue æqualia siue inæqualia.

4. Si distributio bonorum communium fiat quidem seruata proportione ad dignitates singulorum, minimè tamen congruentes illi bonorum generi, quæ vnicuique tribuuntur, ex. g. si acuto & sapienti, sed minimè forti tribuatur gubernatio exercitus; fortis verò, sed obtusus, ac ignorans, præficiatur scholæ; & sic de alijs, eo ipso distributio erit iniusta, & non alia profectò ratione, nisi quia seruata eiusmodi dignitatum & rerum proportione, seu potius improportione non potest Respublica recipere tantum bonum quantum tribuit, nec pos-

sunt

sunt ad illud præstandum validè obligari personæ tales habentes quidem dignitatem, qua præemineant cæteris, sed non secundū quod ipsum. Ergo distributio bonorum communium, communiter attributa iustitiæ distributiuæ, vt sit iusta, necessariò includit in se æqualitatem inter datum, & acceptum: propriam iustitiæ commutatiuæ.

5. Debitor habens multos creditores quantitatum inæqualium, & nō potens omnibus æqualiter satisfacere, vt soluat quantum potest ex debito iustitiæ commutatiuæ, necessè habet attendere, iuxta normam iustitiæ distributiuæ, quantum cuique deberetur absolutè; hoc est quanta sit dignitas singulorum ad sua bona, atque dependenter ab ista comparatione singulis proporcionaliter diminuet de quantitate, quæ absolutè dari debuissent. Ita videlicet, vt si creditori centum aureorum dentur quinquaginta, creditori quinquaginta aureorum dentur viginti quinque, & sic de similibus. Haud aliter qui eandem actionem iniuriosam exercuit aduersus principem, & plebeium, alapam v. g. vtrique impegit; debet attendere ad eorum dignitates, pro satisfactione iustè exhibenda. Nec enim iustè satisfaciet, si idem præstiterit erga vtrumque non habita ratione dignitatis eorum. Et tamen ex omnium sententia in his casibus solutio & satisfactio sunt opera iustitiæ commutatiuæ cum norma & modo distributiuæ. Ergo iustitia distributiua nō differt à commutatiua, nisi accidentaliter per adiunctam comparationem necessariam pro attingendo medio iustitiæ commutatiuæ.

6. Iustitia distributiua non respicit ius propriè & simpliciter tale, sed tale secundum quid, & impropriè. Iustitiam enim distribu-

stributiua respicit bonum commune, vt diuidendum singulis ciuibus. Bonum autem commune non est proprium eius simpliciter cui confertur, antequam conferatur. Alias namque non esset bonum commune antequam distribueretur, sed particulare. Ergo iustitia distributiua nō dat vnicuiq; ius suū. Ergo non est species iustitiæ particularis.

7. Bonum commune, nec etiam postquam distributum est alicui particulari, fit omninò proprium ipsius. Quia non obstāte distributione retinetur adhuc aliquatenus à communitate, vtpote retinentes semper suum ius, quantum ipsius interest. Officium etenim Gubernatoris, Ducis, Custodis, &c. ita est proprium communitatis antequam detur personæ particulari, vt postquam datum illi est, eadem persona ratione officij sit specialiter deuincta & obligata communitati, habenti nimirum ius, vt idem officium non minus, sed multò magis quam anteà inseruiat eius vtilitati; sicut domus & ager inseruiunt vtilitatibus eius, cuius sunt. Ergo iustitia distributiua, neque dat simpliciter aliquid, neque ius quod respicit est vnquā suum simpliciter eius, cui redditur, idèoque non est iustitia simpliciter.

8. Bonum commune dabile absque iniustitia vnicuilibet ex multis, cuiusmodi sunt plura bona reipublicæ in pluribus casibus non est proprium vllius ex ijs, quibus non datum est de facto, neque ante, neque post distributionem executioni mandatam. Ergo neque erat proprium eius cui de facto datum est, antequam ei daretur; qui videlicet erat eiusdem conditionis cum cæteris antequam ipsi daretur. Patet ergo non esse de ratione iustitiæ distributiuæ, vt det vnicuique

cuique ius suum, ideoque ipsam non esse speciem iustitiæ simpliciter.

R. Celebris imprimis est, & maximi vsus diuisio iustitiæ in distributiuam & commutatiuam; communis earum expositio ex Philosopho, cap. 3. & 4. & ex D. Thoma quæst. 61. art. 1. & 2. adscribit iustitiæ distributiuæ æqualitatem proportionalitatis, seu proportionalitatem inter res, & personas. Nimirum vt sicut se habet dignitas vnius personæ; ad dignitatem alterius personæ, ita se habeat res collata vni personæ ad rem collatam alteri personæ. Iustitiæ verò commutatiuæ adscribit æqualitatem proportionis, seu proportionem inter res secundum se nullâ habitâ ratione dignitatis personarum. Ita videlicet, vt res quæ accipitur sit æqualis rei, quæ redditur. Itaque iuxta communem istam expositionem iustitia distributiua constituit æqualitatem Geometricam secundum duas proportiones alteram rerum, alteram personarum, cum dependentia alterius ab altera seu cum similitudine inter vtramque; quæ communiter dicitur proportionalitas, idest proportio proportionum, attendens æqualitatem, non secundum quantitatem dati & accepti, sed secundum proportiones. Iustitia verò commutatiua constituit æqualitatem arithmeticam rei ad rem, hoc præcisè attēdens, vt quanta est res data ab vno, tanta sit res data ab altero.

Quare iustitia distributiua versatur inter quatuor vt minimum terminos duas nimirum res, & duas personas; & hoc efficit, vt si dignitas vnius sit vt octo, atq; res illi collata sit vt quatuor: Dignitas verò alterius sit vt quatuor, eo ipso res collata eidē sit vt duo; & sic de similibus. At iustitia cō-

mutatiua

mutatiua versatur formaliter inter duos terminos præcisè; nempe duas res; & hoc efficit, vt si vendens, v. g. det equum valentem centum, accipiet centum ab emptore. Quia vero sola bona communia conferuntur per iustitiam à communitate singulis personis eiusdem communitatis priori modo: posteriori autem bona singulorum ad inuicem; propterea D. Thomas art. illo. 1. & alij communiter dicunt iustitiam distributiuam esse directiuam communitatis ad singulas personas, & ordinatiuam boni communis: Iustitiam verò commutatiuam esse directiuam vnius cuiusque particularis personæ, ad aliam personam particularem, atque dispensatiuam boni particularis.

Iam communis probatio specificæ distinctionis inter vtramque istam iustitiam desumpta ex Philosopho & D. Thoma, petitur ex eo quod iustitia distributiua constituit medium Geometricum seu proportionum: arithmeticum verò seu rei ad rem commutatiua. Cum qua differentia coincidit illa alia quod iustitia distributiua dat bonum commune; commutatiua particulare; verum in hac expositione desideratur adhuc maior claritas. Quia differentia medij Geometrici, & Arithmetici, vel attenditur præcisè ex parte deliberationis intellectualis necessariò præeuntis actum vtriusque iustitiæ; vel ex parte motiui ad quod vtraque fertur immediatè; si primum apparet clarè ex quinque prioribus rationibus dubitandi, quæ sunt Buridani et Gualandi, idem genus comparationis præuiæ intellectualis necessarium sæpè esse ad inuestigandum, & constituendum medium iustitiæ commutatiuæ, quod necessarium est ad me-

dium

dium iustitiæ distributiuæ. Si secundum indidem constare videtur nullum esse discrimen. Quia nullo existente discrimine cognitionis præuiæ necessariæ, ad proponendum motiuum vtriusque iustitiæ, nullum potest esse discrimen medij intenti per vtrãque, siquidem omnis differentia actuum voluntatis pendet ex differentia præuia cognitionum, ex quibus per se dependent.

Quod dicitur de bono communi distinguendum similiter est; vel enim dicitur cõmune præcisè quia est proprium communitatis antequam ab eadem communitate detur personæ priuatæ: Atque hoc non sufficit, vt datio talis boni excludatur à iustitia commutatiua, vt patet in solutione debiti resultantis ex contractu emptionis & venditionis celebrato inter communitatem, & personam priuatam. Constat enim tunc solutionem fieri ex bonis, quæ erant communitatis; & nihilominus fieri per iustitiam commutatiuam; eademque est ratio de alijs eiusmodi contractibus. Vel rursus sermo est de bonis quæ ante & post appropriationem respectu personæ priuatæ semper sunt bona communia. Huiusmodi censentur ex sententia aliquorum officia omnia publica, aliaque nonnulla. Atque hæc videntur per nullam iustitiam propriè dictam tribui personis priuatis propter posteriores tres rationes dubitandi supra propositas. Quod videlicet nullum sit ius propriè dictum eorum bonorum in personis priuatis, quibus dantur.

Deindè eiusmodi officia, & bona, vel vẽduntur personis priuatis, quibus dantur, vti fit in quibusdam Rebuspublicis; Et tunc dãtur per iustitiam commutatiuam, vt patet,

cum

cum nihil manifestius ad eam pertineat, quā directio emptionum & venditionum. Vel non venduntur. Et tunc non virtute iustitiæ, sed liberaliter dantur. Quia quod est vendibile, si detur sine pretio, liberaliter vtique datur.

Ex ijs porro omnibus satis superque apparet rem hanc indigere attenta ac diligēti explicatione; quam quidem conabimur adhibere sufficientem; Præmonito tamen, etsi omnibus difficultatibus satisfieri plenissimè non posset, non propterea deserendū esse communem sententiam. Cui videlicet adhærent & Philosophus, & D. Thomas tāquam rei indubitatæ, vt perspici apud illos potest in locis citatis. Idem præterea videtur esse communis hominum sensus, dum male distribuentes perindè appellant iniustos, atque eos qui iniquè agunt in commutationibus; neque verò dubitant de magna quadam differentia, inter distribuentem, & commutantem. Istiusmodi autem communes hominum sensus, sapientissimorum præterea certo iudicio communitos, non licet deserere propter difficultates irretientes potius quam concludentes, nec quietantes intellectum.

Cardo difficultatis vertitur in distinguendis inuicem iuribus, circa quæ versatur vtraque iustitia. Quia clara distinctio virtutum pendet à distinctione clara motiuorum, quæ illis obijciuntur. Ius porro quod respicit iustitia distributiua distingui specie ab eo iure ad quod terminatur & quo mouetur iustitia commutatiua, testatur semel atque iterum clarè Philosophus. Cum enim toto illo cap. 3. exposuisset iustum distributiuum, concludit in fine sic; *Hæc igitur est vna species iusti*. Et mox in principio capitis quar-

ti in quo agit de iusto commutatiuo, quod consistit in emendandis commercijs: *Hoc autem*, ait, *habet aliam speciem à priori*. Haud aliter D. Thomas art. 1. ad 5. *Iustitia distributiua ait, & commutatiua non solum distinguntur secundum vnum & multa, sed secundum diuersam debiti rationem. Alio enim modo debetur alicui id quod est commune; alio modo id, quod est proprium.*

Quia verò ibidem ad 2. dicitur: *& ita, cũ ex bonis communibus aliquid in singulos distribuitur, quilibet aliquo modo percipit, quod suum est*; nonnulli existimant *Tò aliquo modo* esse additum diminuens, & significare suitatem secundum quid & impropriam; atque hac ratione & non alia differre ius terminatiuũ iustitiæ distributiuæ à iure terminatiuo iustitiæ commutatiuæ. Verùm hæc interpretatio est illegitima. Primum quia ibidem immediatè præfertur *quod est totius, quodammodo esse partis, sicut pars & totum quodammodo sunt idem*. Pars autem & totum habẽt modum identitatis, non secundum quid, & impropriè, sed simpliciter & propriè, licet sit identitas tantum inadæquata. Constat deindè ex verbis adductis ad 5. licet alius modus debiti attribuatur bono communi & proprio; vtrique tamen attribui, sine limitatione rationem genericam debiti. Dixit ergo D. Thomas bonum commune aliquo modo esse suum recipientis, quia expositio distincta, & clara eiusmodi suitatis fuisset necessariò aliquanto prolixior, & ipse voluit expedire argumentum breuitate sólita sub communi & vulgari apprehensione suitatis boni communis, & particularis omnibus aliquatenus notæ. Qua tamen notitia quia posteriores auctores non fuere contenti, atque pauci sunt feliciter vsi, necessariam est.

est aliquid vlterius superaddere.

Distinguendæ igitur in primis sunt tres classes bonorum communium. Prima est eorum bonorum quæ communitatis; interest, ne approprientur singulis ciuibus seorsim, ideoque lege cauetur ne secedant in vllam priuatam personam. Atque ius omne istorum bonorum est quidem in singulis ciuibus inadæquate inadæquatione iuris, non tamen est in singulis distributiuè, ac seorsim sumptis, sed in iisdem sumptis collectiuè, & vt partes sunt formaliter communitatis; ita vt nullus ciuis seorsim sumptus vllum ad illa ius habeat neque in re, neque ad rem; neq; vagum, neque determinatum. Quia sunt communitatis, vt communitas est formaliter, eidemque vt tali lex fauet circa illa, grauans in fauorem ipsius singulos quosque ciues seorsim, & quaslibet alias tam communitates quam priuatas personas. Huiusmodi bona sunt fontes, fluuij, siluæ cæduæ & similia, de quibus similis lex lata fuerit.

Secunda classis bonorum communium continet ea, quæ communitatis interest, vt soli singulorum ciuium vtilitati directè ac immediatè destinentur, vtque illis conferātur in eum finem tempore quodam determinato, aut in quadam certa rerum circumstantia; vel ob indigentiam vrgente bello, fame, aut peste, aut aliquo simili malo, siue vniuersali omnium, siue non vniuersali; siue æqualiter siue inæqualiter afficienti singulos quosque: vel non ob indigentiam, sed ad compensandos labores, & merita in Rēpublicam collata, eiusque rem bene gestam: vel denique ob hoc præcisè, vt ciues melius habeant. Horum bonorum ius, siquidem lege sancitum fuerit, vt vel pro modo indigentiæ, meritorum, aut fortunæ; vel non

nisi

nisi æqualiter, ac indiscriminatim omnibus approprientur; erit apud singulos ciues, ad rem quidem antequam fiat appropriatio, & traditio; in re verò, postquam tradita fuerint; & inadæquatè non inadæquatione iuris, sed rerum quoad quantitates maiores, vel minores, æquales vel inæquales, prout Reipublicæ interfuerit & lex stabilierit. Si autem interfuerit quidem Reipublicæ, ut ita fiat, sed nondum lex lata fuerit id præcipiens, ius omne erit apud communitatem ante partitionem & traditionem singulis factam; post ipsam verò apud singulos.

Vnde in posteriori isto casu legis nondum latæ in fauorem singulorum ciuium, nec initi pacti habentis vim legis, si eiusmodi bona distribuantur in ciues, distributio facta, erit ex misericordia aut charitate, si ob indigentiam; ex gratitudine, si ob labores & merita; ex liberalitate vel magnificentia, si vt melius habeant ciues; numquam verò ex iustitia. Quia iustitia exerceri non potest, non præexistenti iure ex parte accipientis; nec ius adesse potest in accipiente, quin præexistat lex, quæ directè ipsi faueat, & cæteros grauet in fauorem ipsius, vt dictū est supra. Si autem lex lata fuerit, aut initum pactum habens vim legis, distributio facta erit ex iustitia. Facta nimirum erit habentibus ius ex vi eiusdem legis, aut pacti includentis in se legem fauorabilem directè & immediatè. Ex qua autem iustitia fiat, paulo post patebit. Ad istud secundum bonorum communium genus spectāt pecuniæ, grana & similia, quorum cumulus est penes communitatem, velut in deposito, & custodia cum iure singulorum ad illa pro tempore & loco. Eodem etiam pertinet vsusfructus eorum bonorū, quæ reposita sunt in præcedenti classe.

Tertia

Tertia classis bonorum communium, quibus maximè & per se conuenit esse communia, complectitur ea, quæ communitatis interest, vt distribuantur in ciues ob vtilitatem quidem ipsorum; sed multo magis, ac principalius ob vtilitatem, & commodum ipsius communitatis: ita vt ciues qui illa sortiuntur, habeant quidem indè emolumẽtum proprium, sed cum grauamine, & onere indidem deducendi bonum cõmune, idemq. tuendi ac promouendi. Huius generis sunt officia publica, & honorifica, quæ à ciuibus quibus dantur, habentur quidem iure proprietatis, & eatenus cedunt in eorumdem vtilitatem; simul tamen habent adiunctum ius iurisdictionis latè vel strictè tale, ordinatum ad vtilitatem cæterorum; atque eatenus grauant eos, à quibus habentur, & inseruiunt directè at immediatè commodis & fœlicitati communitatis; ita vt non omninò desinant esse communitatis propter appropriationem factã priuatis personis. Vnde ius istiusmodi bonorum ante & post eorum distributionem est penes communitatem, & eius partes; hoc est penes ciues partim collectiuè sumptos, & quatenus conflant cõmunitatem, partim sumptos distributiuè, & quatenus sui quisque iuris & liberæ facultatis est. Verum adest hoc discrimen ante & post collationem factam priuatis personis, vt ante collationem ius in re sit penes communitatem, & ius ad rem sit penes priuatas personas, quibus deputari possunt: post collationem verò è contra ius in re sit penes priuatas personas, & ius ad rem penes communitatem, vti paulo post exponetur.

Interim vt clarius percipiatur differẽtia horum posteriorum bonorum commu-

nium ab ijs bonis communitatis, quæ in præcedenti classe sunt conclusa, obseruandum est discrimem inter duos milites ex. gr. quorum alter accipiat a communitate stipendium pecuniarum pro labore & periculis, quæ subiuit in bello pro Republica; alter verò eadem de causa accipiat munus ducis. Qui accipit stipendium pecuniarum, ad nihil tenetur inposterum præcise, quia tale stipendium accepit; sed potest de illo, & de seipso disponere prout volet, potestque retenta illa pecunia secedere a communitate, & eius commoda omninò negligere, si aliunde non ligetur. At qui loco remunerationis obtinuit munus Ducis, tenetur imposterum inseruire Reipublicæ, nec potest ab eius communione secedere retento officio, & præcise quia talem remunerationem acceptauit pro præcedētibus meritis, tenetur ad merendum vlterius, & ad præstanda imposterum plura obsequia Quapropter prior potitur bono suo qu.n grauetur; posterior cum grauamine.

Rursus prior potest stipendium exigere iure suo; & si illud negetur, nec aliud suppetat remedium, potest vti occulta cōpensatione Posterior non poterit vti tali compensatione ob negatum officium; etsi voluerit suo quasi iure agere, poterit iure optimo repelli à Republica quatenus tentans sic agere. Quia in collatione talis officij. ag tur directè, & immediatè negotium potius Reipublicæ. & communitatis, quam priuatæ personæ; cùm è contra se res habeat in solutione stipendij.

Denique Respublica. vt soluat stipendium pecuniarium considerat laborem & meritum præcedens vt verò conferat officium, considerat magis virtutem benefacti-

uam

uam imposterum respectu Reipublicæ & dispositionem præsentem, vt inseruiat commodis eius accepto eodem officio: hoc est considerat dignitatem præsentem, eamque expendit & vi & dispositione bene operãdi, ac satisfaciendi muneri de futuro.

Ex triplici ista bonorum communium diuisione liquidò perspicitur, triplex itidẽ iurium genus dari respectu eorumdem bonorum. Primum est ita conueniens toti communitati simul sumptæ, vt nullo pacto circa eadem bona supersit ius singulis seorsim ciuibus, nisi inadæquatè, & quidem inadæquatione non rerum, sed ipsius iuris. Atque circa hoc ius manifestum est nõ posse versari iustitiam distributiuam, sed vel legalem, vel commutatiuam tantum. Tale namque ius continet sub se bona cõtenta sub prima classe diuisionis, quæ communitatis interest, ideoque lege cauetur, ne distribuantur, nec vlli personæ particulari approprientur, sine qua tamen distributione, & appropriatione eiusque iusta exequibilitate, patet nullum posse esse locum,

Controuersia igitur solum esse potest de reliquo duplici iure, quorum alterum respicit ea bona, quæ communitatis interest vt singulis ciuibus approprientur, intendendo directè, & principaliter solam eorũ vtilitatem, & felicitatem, & respiciendo ad eorumdem, vel indigentiam, vel præcedentia merita, vel statum præsentem non satis prosperum; Alterum verò respicit ea bona, quæ itidem interest communitatis, vt distribuantur, & approprientur priuatis personis, vtque inseruiant eorumdem vtilitati peculiari; simul tamen directè inseruiant vtilitati communi

taque hoc prius & principalius; licet vtrũque directè, & immediatè intendatur; ideoque consideretur dignitas singulorum non solùm secundùm merita; & titulos præcedẽtes, sed etiam & multo magis ratione dispositionis beneficæ in futurũ respectu Reipublicæ per exercitium, & vsum boni communis ipsis appropriati.

Est autem satis obuia ratio controuertendi ac dubitandi de vtroque iusto inuicẽ & cum iustitia distributiua collato. Quia vtrobique est necessaria comparatio personarum & rerum, vt partitio rerum fiat iustè, datur etiam vtrobique aliquod verum, ac proprium ius in personis priuatis respectu boni communis, quatenus ipsis appropriandi. Vtrobique enim datur lex partitionis bonorum communium in vtilitatem personarum priuatarum fauens directè, & immediatè commodis, & vtilitati ipsarum. Quorum alterum, nempe hoc posterius videtur sufficere, vt distributio fiat ex iustitia propriè & simpliciter tali, vtpotè respiciente ius accipientis propriè & simpliciter tale. Alterum verò, nempe illud prius videtur similiter sufficere, vt distributio non fiat ex iustitia commutatiua, sed ex distributiua; obseruante nimirum proportionem personarum accipientium cum simili rerum collatarum pro portione.

Vt igitur hæc istorum bonorum & iurium similitudo quæ fuit tota procul dubio causa æquiuocationis, & diuersitatis sententiarum magis declaretur ac introspiciatur; distinguenda præterea est, cum D. Thoma art. 2. citato ad 3. duplex necessitas adhibendi comparationem dignitatis personarum, vt singulis detur, quantum pertinet ad ipsos. Alia namque comparatio dignitatis

gnitatis personarum instituitur, vt per illā innotescat æqualitas Arithmetica inter dānum & lucrum respectu singulorum. & non vt sistatur in ipsa dignitate secundum se, vtque illi proportionetur, seu adæquetur, quod singulis dandum est. Alia verò comparatio instituitur ad hoc solum, vt innotescat proportionalis correspondentia rerum ad dignitates, vtque sistatur in ipsa dignitate secundum se; & illi immediatè proportionetur, atque adæquetur, quod singulis dandū est. Res hæc fiet manifesta ijsdē illis exemplis, quæ superius producta sunt aduersus veram sententiam. Si quis enim impactâ alapâ offendit Principem & plebeium; vt satisfaciat vtrique ex iustitia, necesse est vt comparet dignitatem vnius cum dignitate alterius; non tamen ibi sistit, sed indè deducit quantitatem nocumenti, quod singuli passi sunt; ac deindè per actum iustitiæ intendit æqualitatem non cum dignitate, sed cum nocumento, cuius inæqualitas prouenerat ex inæqualitate dignitatum.

Vndè tametsi princeps amiserit Principatum, & plebeius eum obtinuerit, quando re ipsa exhibetur satisfactio; plus nihilominus exhibendum est per se illi qui fuit Princeps tempore iniuriæ illatæ; quam ei, qui fuit plebeius. Quod profectò nequaquam fieret, si attenderetur immediate ad dignitates. Quia tunc amissà, vel acquisità dignitate, amitteretur simul, vel acquireretur ius ad maiorem cōpensationem. Similis est comparatio vt per se patet, inter creditores inæqualium quantitatum. quæ præferenda est ante solutionem à debitore impotente soluere cum æqualitate absoluta rei ad rem. Similis itidem est comparatio inter socios sibi inuicem obligatos ex contractu Socie-

tatis exponentibus singulis inæquales quantitates; atque inter alios eiusmodi.

E conuerso is ad quem pertinet nominare ad officia Consulis, Tribuni, Quæstoris, & similia, necesse quidem similiter est vt comparationem instituat inter dignitates earum personarum, inter quas facienda est electio; non tamen, vt indè subducat quantitates obsequiorum, aut aliorum bonorum, quæ quisque contulit in Rempublicam, aut obligandus est ad conferendū, vtque constituat æqualitatem rei ad rem, inter datum & acceptum, inter damnum & lucrum: sed, vt sistat in ipsa dignitatum mutua proportione ex parte eligendorum, idemque proportioni aliam similem proportionem constituat officiorum; quæ vnicuique conferentur. Ita vt quod cuique confertur, siue maius, siue minus, correspondeat cuiusque dignitati siue maiori, siue minori, nulla habita ratione æqualitatis inter dignitatem cuiusque secundum se, & officium quod illi confertur secundum se, sed solius æqualitatis inter proportiones dignitatum conuenientium singulis cum officijs, quæ singulis conferantur.

Ex his apparet, quando necesse est præferre comparationem personarum ante partitionem bonorum, ita vt ad iustitiam partitionis non expediat sistere in ipsa comparatione personarum & dignitatum ipsis conuenientium, sed in subducta indè quantitate lucri & damni seu dati & accepti; actum partitionis pertinere ad iustitiam commutatiuam. Quia tunc constituitur æqualitas Arithmetica inter datum, & acceptum, inter damnum & lucrum: atque personæ, quibus fit partitio, considerantur vt æquales quoad dignitatem, seu potestatem

tem benefactiuam respectu Reipublicæ: hoc est nulla habetur ratio inæqualitatis personarum quoad hoc, sed eodem modo fit partitio siue sint æquales, siue sint inæquales personæ penes eiusmodi dignitatem. Quam quidem personarum, vt æqualium considerationem, & vsurpationem obseruauit Philosophus tanquam propriam, & characteristicam iustitiæ commutatiuæ, eiusque distinctiuam à distributiua. In Illo namque cap. 4. in quo dictùm est ab eo exponi ex professo iustitiam cõmutatiuam, sic habet. *Iustum autem, quod est in commercijs, est quidem æquum quoddam, & iniustitum iniquum. Sed non illa comparatione rationum, sed Arithmetica. Nihil enim refert, si probus prauo detraxerit, an prauus probo; neque si adulteriũ probus, an prauus comiserit. sed ad differentiã nocumenti lex respicit tantùm, & vtitur vt æqualibus, si hic iniuriam facit, ille patitur, & si hic nocuit, ille est læsus.*

Quare è conuerso, quando ante partitionem præferenda est necessariò comparatio personarum, ita vt ad iustitiam partitionis necesse præterea sit sistere in ipsa earum comparatione, & non in subducta inde quantitate lucri & damni, dati, & accepti, partitio pertinebit ad iustitiam distributiuã. Quia tunc nõ constituitur æqualitas Arithmetica inter datum & acceptum; inter dãnum & lucrum; sed æqualitas proportionalis, & Geometrica inter dignitates singulorum, & bona singulis collata. Quod indè magis demonstratur, quia sicut in præcedenti comparatione nulla habetur ratio inæqualitatis personarum immediatè, ita in comparatione ista posteriori nulla habetur ratio inæqualitatis inter id quod exigitur ex parte accipientis, & id, quod eidem

datur, secundum se, sed siue munus sit Arithmeticè æquale dignitati, siue non sit, dũmodo eadẽ & æqualis sit proportio inter dignitatem, & munus vnius; atque inter dignitatem, & munus alterius, partitio erit iusta. Vnde prouenit, vt idẽ munus quod suo tempore datur iustè digno vt octo, alio tempore detur æquè iustè digno vt quatuor tantum propter vniuersalem imminutionem dignitatum conuenientium person.s, inter quas facienda est partitio, & vice versa, quod vno tempore datum fuit iustè digno vt quatuor, alio tempore non poterit dari iuste, nisi digno vt octo propter contrariũ augmentum dignitatum. Eadem vicissitudo eodẽ simul tempore contingere potest in diuersis rebus publicis, imo & in eadem quoad diuersa genera munerum distribuendorum exigentium diuersi generis dignitatem, & vim benefactiuam respectu Reipublicæ in re ciuili, & militari; & sic de alijs, vt quisque considerando facile deprehendet.

Hinc iam concluditur ius conueniens priuatis personis respectu illorum bonorum communium, quorum diuisio ordinatur dirèctè, & immediatè in solam vtilitatem, & commodum singulorum seorsim ciuium, estque propterea facienda iuxta mensuram indigentiæ, aut obsequiorum, & meritorum præexistentium, seu obligationis ea præstandi; vel æqualiter omnibus absque vlla tali comparatione. Concluditur inquam, istud ius pertinere ad iustitiam commutatiuam, atque per ipsam vnicuique illud reddi. Et quidem quandò diuisio facienda est omnibus in communitate contentis indiscriminatim, & cum æqualitate Arithmetica quantitatum singulis obuenientium, res

est

est manifesta. Qui tunc nulla est necessaria comparatio personarum, & rerum, nec constituitur æqualitas proportionalitatis, sed qualis paulo ante assignata est a Philosopho iustitiæ commutatiuæ sumptis personis, vt prorsus æqualibus. Nec minus manifesta res eadem est, quando diuisio facienda est iuxta mensuram, laborum, meritorum, aut obligationis. Quia tunc fit quidem antecedenter cōparatio personarum: non tamen vt in ipsa immediatè sistat actus distribuendi; sed vt inde subducatur quantitas pertinens ad vnumquemque, & constituatur æqualitas Arithmetica inter datum & acceptum, vt liquet ex discursu, qui modò præmissus est.

Idem ostenditur de partitione facienda iuxta mensuram indigentiæ. Quia tunc etiam præmittitur comparatio quoad indigentias, vt inde deducatur quantitas vnicuique deputata à Republica per legem partitionis perinde omninò atque dictum est præmitti comparationē inter creditores inæqualiū quantitatū & socios in cōtractu materiali te r inæquali. Nec est discrimē, nisi quod creditoribus, & socijs conuenit ius ex rebus datis & ex positis; Ciuibus autē indigentibus ex deputatione, & lege communitatis. Quippe deputatio ipsa, & prima voluntas diuidendi non est actus iustitiæ particularis, sed iustitiæ legalis, aut liberalitatis aut alterius similis virtutis.

At verò ius conueniens singulis ciuibus respectu bonorum communium quæ in tertiam classem conie&a sunt, & quorum partitio pertinet directè, & immediatè non solū ad vtilitatē eorūdē ciuiū seorsim; sed etiā, & multò magis ad vtilitatē & cōmodū

totius coninnctim communitatis, eaque propter partitio eorum facienda est iuxta gradum dignitatis, seu virtutis benefactiuæ couuenientis vnicuique respectu Reipublicæ. Hoc inquam ius non pertinet ad iustitiam commutatiuam, sed ad distributiuam, atque per ipsam est vnicuique tribuendum, quod debet tribui ratione talis iuris. Quia tunc non præmittitur comparatio inter dignitates, & conditiones personarum ex vna parte, & rerum distribuendarum ex altera, vt indè subducatur æqualitas Arithmetica rei ad rem inter datum, & acceptum; inter damnum & lucrum; sed vt sistatur in ipsa comparatione, & per actum, quo fit distributio, intendatur per se, atque constituatur æqualitas Geometrica inter dignitates singulornm, & munera siugulis collata.

Inter hæc duo Iurium genera, quæ fundantur in natura bonorum contentorum in duplici posteriori eorum classe, obseruandum præterea est diligenter discrimen quoddam iam ante insinuatum: nimirum quod primum illud ius afferens directè solum singulorum seorsim ciuium vtilitatem, est adæquatè penes eosdem ciues seorsim ac distributiuè sumptos adæquatione iuris, existente inadæquatione solum ex parte cumuli & termini bonorum diuidendorum. Posterius verò ius diuinciens sibi directè vtilitatem tum singulorum seorsim ciuium, tum totius indiuisim communitatis est partim penes communitatem, seu penes omnes ciues sumptos collectiuè; partim penes singulos ciues sũptos seorsim, seu distributiuè; & pertinet ad vtramque istam partem inadæquatè inadæquatione iuris. Quapropter reddẽs prius illud ius satisfacit solis priuatis per-

personis, quibus bona distribuit, ijsdemque solis est iniurius qui male distribuit, & peccat contra legem distributionis: reddens verò ius posterius satisfacit tum ijsdem, tum etiam communitati; & vtrisque est iniurius qui peccat in distributione. Ratio huius discriminis est, quia ius proprietatis, de quo solo agitur, circa aliquid est penes illũ, ad quem pertinet vtilitas inde prouenien, & cui lex fauet quoad eandem vtilitatem, vt liquet ex quæst. 3. Dictum autem modo est vtilitatem prouenientem ex bonis secundæ classis, quæ bona respicit primum iuris genus pertinere solum ad singulos seorsim ciues, ijsdemque legem partitionis fauere directè; posterius verò iuris genus versari circa bona tertiæ classis ex quibus vtilitas directè & immediatè redundat indiuisim, tũ in singulos seorsim, tum in communitatem; atque vtrisque legem partitionis indiuisim fauere directè. Ergo discrimen datum est legitimum.

Ex ista istorum duorum iurium distinctione deduci possunt legitimæ & claræ definitiones vtriusque iustitiæ. Iustitia namque distributiua est *virtus vnicuique tribuens ius partim collectiuè, seu indiuisim cum alijs, partim distributiuè, seu seorsim suum*. Commutatiua verò est *virtus vnicuiq; tribuens ius adæquatè suum distributiuè seu seorsim*. Definitiones istæ tametsi ex dictis satis conspicuæ sint, reddentur tamen clariores multò, ac firmiores animaduersa conuertibilitate, & reali earum conuenientia, cum expositionibus præmissis initio quæst. ex Philosopho & D. Thoma.

Philosophus aiebat, iustitiam distributiuã esse illam, cuius obiectum est medium Geometricum, & quæ constituit æqualitatem

Geometricam, seu proportionalem, & inter proportiones: commutatiuam verò esse eam, cuius obiectum est medium Arithmeticum, & quæ cõstituit æqualitatem Arithmeticam, seu quantiuam rei ad rem. Ratio autem ex qua prouenit hæc diuersitas est, quia quando ius aliquod non est relatiuum ad ius alterius, illique connexum, sed simplex, & vnicuique siue multitudini siue personæ priuatæ seorsim absolutè, & secundum se conueniens; nihil necesse est comparationes facere immediatè, vt satisfiat tali iuri. Satsfit enim, si illi absolutè & secundũ se adæquetur arithmeticè quoad id quod datur. Quando autem ius est correlatiuum, & essentialiter compositum, atque heterogeneum quoad suas partes necesse è conuerso est, vt fiat comparatio immèdiatè per actum iustitiæ; nec nisi proportionali æqualitate satisfieri illi potest, vt patet. Talia autem iura exprimuntur in definitionibus datis. Exprimuntur ergò radices, & rationes à priori eorum, quæ dicit Philosophus, & dantur prædicata conuertibilia realiter, cũ Aristotelicis.

D. Thomas docebat iustitiam distributiuã esse directiuam communitatis ad personas priuatas, & ordinatiuam boni communis: commutatiuam verò esse directiuam personæ priuatæ ad personam priuatam, & ordinatiuam boni particularis. Quod profectò perindè est atquè dicere iustitiam distributiuam esse, quæ rectè componit ius communitatis, cum iure personæ priuatæ respectu eiusdem boni; & ita ordinat bonum commune, vt simul atque indiuisim consulat, tum priuatæ personæ, tum communitati. Quod non fit, nisi satisfaciendo indiuisim vtriusque iuri. Similiter commutatiuã esse directiuã in per-

sonæ

sonæ priuatæ, ad personam priuatam, & ordinatiuam boni particularis; perinde est atque commutatiuam esse, quæ satisfacit iuri priuatæ personæ seorsim, & secundum se dando illi bonum suum particulare, siue hoc idem bonum antecedenter fuerit communitatis, siue non fuerit; sed priuatæ personæ. Hoc enim nihil refert formaliter ad rationem iustitiæ,

Nempe nomine boni communis simpliciter & absolutè prolati intelligitur, quod per se, & ex sua natura est bonum communitatis; nec habere, aut dare potest nisi communitas, aut qui gerit personam communitatis, & habet in se facultatem eius propriam, & quod non omnino desinit esse communitatis etiam directè & immediatè, quia datũ, & appropriatum est priuatæ personæ. Cuiusmodi bona sunt officia publica & honorifica, vt liquet ex expositione tertiæ classis bonorum communium. Reliquis namque bonis, vt pecunijs, siluis, fluuijs, & similibus accidentarium & extrinsecum est, vt sint penes communitatem, vel priuatam personam, atque vt communia, vel priuata sint; & ideo possunt dispensari à communitate per iustitiam commutatiuam, aut aliam virtutem distinctam specie à iustitia perindè, atque à persona priuata. Erunt proindè per accidens materia iustitiæ distributiuæ si conferantur priuatæ personæ à communitate cum ea iurium inadæquatione mutua, essentiali dependentia, & quasi permixtione, quam dictum est conuenire per se muneribus, & dignitatibus publicis.

Intellecto igitur in hunc modum D. Thoma, prout intelligendus omninò est, constat ipsius, necnon & Philosophi expositiones, quibus reliqui omnes subscribunt, conue-

nire planè cum definitionibus nostris; nisi quod istæ ponunt ob oculos clarissimè distinctionem specificam iurium, quæ sunt obiecta formalia vtriusque Iustitiæ, & à quorū proinde distinctione specifica, & clara intelligentia dependet à priori distinctio specifica & intelligentia clara virtutum quæ versantur circa ipsa. Definitiones porro illæ traditæ in eum modum manifestè demōstrant falsam in primis esse sententiam Buridani & Gualandi negantium diuersitatem intrinsecam, & distinctionem specificam inter iustitiam distributiuam, & commutatiuā. Manifestum siquidem est ius partim conueniens priuatæ personæ seorsim, partim communitati, vt includenti in se eandem priuatam personam, & ex vtroque iure mixtum, atque conflatum mutua cum connexione, & dependentia, atque heterogeneitate vtriusque partis differre specie à iure simplici, & incomposito, nec includenti in se eiusmodi heterogeneitatem. & mutuam dependentiam; quandoquidem vtrique iuri conueniūt intrinsecè prædicata opposita. Nec magis obscurum est differe specie virtutes quarū obiecta formalia sunt specie diuersa. Eædem definitiones similiter demonstrant non esse veram sententiam in quam inclinat Cardinalis de Lugo cum Suarez, & Rebello, iustitiam distributiuam non esse iustitiam propriè, & simpliciter; sed secundum quid talem. Ius namque priuatæ personæ non desinit esse propriè, & simpliciter tale, quia est essentialiter coniunctum indiuisim cum iure communitatis; imò ea de causa est præstantius, & quodammodo magis proprium, ac rigorosum ius. Dictum autem est huiusmodi esse ius, quod est obiectum formale iustitiæ distributiuæ. Vnde ipsa non solum

est propria & simpliciter iustitia particularis; sed etiam est nobilior, & quodammodo magis propria, ac rigorosa iustitia quam commutatiua. Vera igitur & ex omnibus quæ dicta sunt, certa omnino est sententia communis diuidens iustitiam particularem in distributiuam & commutatiuam, tanquam genus in species.

Ad 1. Conuenit quidem vtraque iustitia in reddendo vnicuique iure suo, idque ex motiuo seruandi illæsum tale ius; ideò conueait vtraque iustitia in conceptu generico iustitiæ particularis. Cæterum differunt inter se; Quia ius quod reddit iustitia distributiua, & prosequitur tanquam motiuum suum formale, differt non solum materialiter ex parte termini, seu materiæ remotæ, circa quam versatur; sed etiam formaliter, ac essentialiter, à iure reddito, & volito ratione sui per commutatiuam. Quia illud est heterogeneum & compositum ex priuato, & communi cum mutua vtriusque dependentia sibi intrinseca: istud autem est simplex & vniforme, vt dictum est.

Ad 2. Negatur dignitates, respectu quarum constituit æqualitatem iustitia distributiua esse merita, & labores singulorum pro Republica. Hæc enim compensantur per gratitudinem vel iustitiam commutatiuam, vt dictum est. Iustitia igitur distributiua constituit aliam æqualitatem, quæ versatur immediatè inter dignitates singulorum, & munera singulis collata in vtilitatem eorum, & communitatis indiuisim, ac directè. Negatur rursus per iustitiam distributiuam constitui saltem per se æqualitatem Arithmeticam inter dignitates singulorum quoad vim benefactiuam eorundem respectu reipublicæ, quam eadem iustitia attendit, & munera quæ

ra quæ per ipsam singulis conferuntur. Non enim constituit per se nisi æqualitatem purè proportionalem, & dummodo hæc seruetur, nihil officit huic iustitiæ, quod vis benefactiua, quæ obligatur Reipublicæ sit secundū se æstimabilior, quam munus quod confertur à Republica, vel è contra. Perinde namq; est quoad rectitudinem huius iustitiæ quod inter hæc extrema secundum se detur excessus, ex alterutra parte, siue paruus, siue magnus; & quod ex neutra nullus detur excessus. Solum namque attenditur ad proportionalitatem. Magnum igitur est discrimen inter computationem, quæ fit à priuatis personis pro iustitia commutatiua, & eā quæ fit à republica pro iustitia distributiua.

Ad 3. Accipiens à Republica munus aliquod cum proportione ad vim benefactiuā eiusdem, non semper obligat eidem Reipublicæ eas præcisè vires bene faciendi quas præhabet independenter à munere, quod accipit. Obligat enim eas prout coniunctas cum munere, quod accipit, quando accipitur munus publicæ administrationis, quod vtique auget vires benefactiuas Reipublicæ, estque intrinsecè ordinatum ad benefaciendum eidem. Vnde in eo casu quod datur à Republica priuatæ personæ, & quod Reipublicæ obligatur à priuata persona, pertinet ad vtramque partem iure indiuiduo, & vtrimque inadæquato. Quod minimè euenit in materia iustitiæ commutatiuæ, & in conductione operariorum ad vineam. Vndè comparatio dignitatum, & rerum, earumque mutua proportio remotè tantum & mediatè necessaria est ad actum in posteriori casu elicitum à iustitia commutatiua: ad distributiuam verò pertinet directè, & immediatè, non vt inde deducat quantitatem debiti seu

ſeu mercedis; ſed vt conſtituatur immediatè proportio inter dignitatem & munus.

Ad 4. Patet ex modo dictis gubernationem exercitus collatam acuto, & ſapienti, ſed minimè forti; atque directionem ſcholæ commiſſam forti, ſed obtuſo & ignoranti eſſe iniuſtas, non quia deeſt æqualitas rei ad rē; ſed quia deeſt proportio inter dignitatem, & munus. Quapropter æqualitas in eiuſmodi rebus ſeruanda eſſentialiter differt ab æqualitate, quæ ſpectat ad iuſtitiam commutatiuam; quæ videlicet ſolam conſtituit æqualitatem rei ad rem, vndecunque, & quomodocunque illa deducta ſit.

Ad 5. Exempla illa nihil faciunt contra veram, & communem ſententiam. Proponuntur nimirum actus in quibus remotè tãtum, & extrinſecè inuenitur forma aliqua, & imitatio iuſtitiæ diſtributiuæ quoad actus remotos conſultationis. Deeſt verò proximè, & immediatè forma diſtributionis propria ex parte ſyllogiſmi immediatè practici, & vltimi dictaminis conſcientiæ proponentis immediatè motiuum, & materiam propriam diſtributionis prout diſtinctam à motiuo & materia commutationis. In quo eſt maxima diuerſitas, vt iam patuit, & fuit cauſa æquiuocationis ijs qui diſcurſum remotum aliquatenus ſimilem conſiderarunt abſque vltima concluſione, atque intimatione diuerſæ obligationis fundatæ in iuribus ſpecie diuerſis.

Ad 6. bonum commune conferendum perſonæ priuatæ per iuſtitiam diſtributiuam non vſque adeò pleno iure eſt proprium communitatis etiam antequam conferatur & approprietur perſonæ particulari, atque eſt proprium eiuſdem communitatis bonū, quod ipſius intereſt, ne approprietur vlli

priuatæ

priuatæ personæ, atque repositum fuit supra in prima classe bonorum communium. Quia respectu boni cōmunis conferendi per iustitiam distributiuam datur ius partiale ad rem in persona priuata digniori etiam antequam illi de facto conferatur, & fit illi iniuria si conferatur alteri. Dicitur nihilominus bonum commune absolute, quia prævalet ius communitatis, vtpote potioris, & habentis rationem totius, ac finis respectu singulorum, ex quibus coalescit.

Ad 7. Ea obiectio tantum probat quod vsque adeò impensè traditum, & explicatū est supra; nimirum ius, circa quod versatur iustitia distributiua, partim esse communitatis, partim priuatæ personæ ante, & post distributionem factam. Quare officium Gubernatoris, Ducis, Custodis &c. fit, per distributionem, proprium eius cui confertur, cum vero iure in re, non tamen vsque adeò pleno, vt nihil iuris supersit communitati, quæ contulit officium. Semper enim communitas retinet ius quoddā quasi vsusfructus. Sed non propterea ad communitatem spectant officia, postquam distributa sunt illo omnino modo quo spectant ad vnū quemque domus eius aut ager. Quia omnis vtilitas domus, & agri pertinet ad eum, qui est eorum dominus pleno & adæquato iure adæquatione iuris & rei. At officiorum iustè distributorum vtilitas pertinet ad eos etiam quibus collata sunt, vt dictum est q. 3. ad 4. & quæst. 4. in responsione ad quæst. & alibi sæpè.


Ad 8. Quando bonum commune dari potest absque cuiusquam iniuria vnicuilibet ex multis, vnicuique eorum inest ius vagum ac distinctiuum respectu talis boni, ita vt omnibus fiat iniuria, si nulli eorum conferatur,

tur, & etiam fiat iniuria illi, cui conferetur, si propter electionem ac determinationem ipsius, exigatur compensatio, seu pretium ratione officij secundum se vt constabit infra, dum deducentur consequentiæ practicæ doctrinæ præsentis circa venditionem istiusmodi officiorum, vbi etiam diluetur difficultas supra obiter mota occasione venditionis officiorum. Quod ad præsens attinet non desinit ius aliquod esse propriè & simpliciter tale, quia est vagum & indeterminatum; quandoquidem inducit tantam obligationem rei exhibendæ, atque si esset omninò determinatum idque non solum ex parte eius cui inest obligatio, & ex parte rei conferendæ, sed etiam ex parte subiecti, cui conferendum est ius in re, seu cui res ipsa tradenda est, vt patet in multis ementibus equum eà conditione, vt ex sorte, vel ex electione vendentis tradatur, & adiudicetur alicui ex ipsis determinatè.

Hic obiter determinari potest ex dictis controuersia vulgaris: an sit locus iustitiæ distributiuæ, quando vnum tantum officium aut beneficium conferendum est seorsim, & vnus tantummodo adest dignus cui conferatur? Dicendum autem est cum Suarez, aduersus nonnullos alios, dari tunc locum iustitiæ distributiuæ strictè tali. Primo ac principaliter quia is euentus non tollit rationem formalem iuris compositi ex priuato & communi, distributiuo & collectiuo; ex quo iure dictum est specificari iustitiam distributiuam. Deinde quia etiam in eo euentu faciẽda est comparatio tum illius qui est dignus, cum cæteris qui sunt indigni; tum eiusdem digni cum cæteris, qui habent alia officia, aut beneficia, tum eorumdem offi-

ciorum

siorum seu beneficiorum cum eo quod, hic & nunc est conferendum: atque post hanc comparationem facienda est collatio digno, quia sua dignitate præeminet cæteris; estq; præterea conandum si fieri possit, vt ijs, qui iam sunt in officio, aut beneficio constituti, promotis, aut retractis, constituatur proportio Geometrica dignitatum, & munerum. Quod si hoc fieri non possit, id erit per accidens respectu intentionis, & attentionis quæ est propria iustitiæ distributiuæ; sicut est per accidens respectu cōmutatiuæ, quod debitor non possit debitum adæquare materialiter solutione. Philosophus autem adscribit vtrique iustitiæ eam æqualitatem & proportionem, quæ ab vtraque intenditur pro se. Iam alia quædam hinc inde attacta, inter proponendam sententiam Philosophi & D. Thomæ, & vtriusque expositiones, vsque adeò omnia sunt clara ex dictis hucusque vt nihil opus sit super-addere vlterius circa singula.



QVÆSTIO XIX.

Vtrum Deo conueniat iustitia particularis strictè talis, aut distributiua, aut commutatiua?

VIDETVR vtraque vel saltem altera cōuenire propriè ac strictè. 1. Quia psalm. 10. dicitur: *iustus Dominus & iustitiam dilexit*. Et 2. ad Timot. vlt. *in reliquo*, ait Paulus, *reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus index*; quæ & similia alia quamplura sacræ paginæ testimonia explicari minimè possunt absque manifesta violentia, & improprietate verborū, si neutra iustitia admittatur in Deo propriè.

2. Spes nostra non posset esse in Deo de præmio & compensatione laborum, & meritorum; si nulla alterutrius iustitiæ obligatio Deum ad ea premeret. Quod manifestè videtur supponi ab Apostolo ad Hebræos 7. 10. dum sic arguit: *Non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius*. Et ratio est quia seclusa obligatione iustitiæ liberum esset Deo dare, vel negare pro libito præmium operum nostrorum, eorumque, vel obliuisci, vel recordari.

3. Deus potest supernaturaliter nobiscū loqui locutione obligante nos ad credendum. Quod fieri non potest, quin ipse vicissim subeat obligationem dicendi verum. Nulla namque obligatio est credendi illi, cu-

iu*s*

ius nulla est obligatio dicendi verum. Hæc autem obligatio dicendi verum est propria iustitiæ. Quia est ad alterum dantem aliquid pro aliquo, vel Geometricè quatenus vnicuique magis vel minus creditur iuxta maiorem vel minorem eius dignitatem, vel Arithmeticè, quatenus tanti fit à loquente, fides sibi præstita, quanti ab audiente vera manifestatio & notitia rei.

4. Dantur in Deo propriè, & formaliter aliæ virtutes ad alterum, vt liberalitas, misericordia, amicitia, seclusis imperfectionibus quas in nobis præsupponunt, aut continent: Nulla autem est maior ratio de illis quam de iustitia propriè & simpliciter tali.

5. Philosophus 8. Ethic. c. 3. docet inter eos iustitiam esse posse inter quos amicitia esse potest. Datur autem in Deo vera & formalis erga nos amicitia, vt dictum est, quæst. 39. de virtutibus Theologicis. Ergo dari etiam potest in Deo iustitia erga nos, propriè & simpliciter dicta.

6. Vtraque iustitia est perfectior nullam includens in se imperfectionem præcisè ex suo conceptu essentiali. Est quidem perfectio, quia hæc est de ratione virtutis. Nullā verò includit imperfectionem, quia vt docet D. Thomas 1. contra gentes cap. 93. ratione 5. virtutes ad alterum, & quæ circa operationes, non circa passiones versantur, qualis virtus est iustitia, vt supra dictum est, nullam dicunt imperfectionem ex suo præcisè conceptu essentiali. Deinde si quæ esset imperfectio maximè ex eo, quod vtraq; virtus respiceret rationem debiti, & obligationis. Ex hoc autem capite neutri iustitiæ est essentialis aliqua imperfectio. Quia non necesse est debitum hoc, & obligationē fundari in lege, aut iure potestatiuo alterius,

sed

sed sufficit si fundetur in proprio placito, & voluntate operantis ex iustitia, atq; in condecentia respectu eiusdem, quod perfectionis potius est, atque ita euenit in Deo.

7. In particulari. Iustitia commutatiua videtur esse tribuenda Deo. Quia ex contractu, seu pacto oneroso oritur obligatio, & materia propria iustitiæ commutatiuæ, post adimpletam ordinationem, & præmissa acceptatione. Deus autem paciscatur nobiscum de conferenda gloria sub conditione meritorum, & honesti laboris, daturque acceptatio ex parte nostra. Ergo præstita conditione meritorum datur à Deo gloria per iustitiam commutatiuam. Confirmatur quia Deus constituit æqualitatem inter obsequium & eius compensationem, sicuti mercem & pretium, independenter à respectu, & qualitate personarum vt constat ex illo ad Romanos 2. *Qui reddet vnicuique secundum opera sua*. Et in Euangelio proponitur regnum cælorum, vt merces; & inuitantur homines ad eius emptionem. Hoc autem est proprijssimum iustitiæ commutatiuæ.

8. Iustitia distributiua videtur similiter innegabilis Deo ratione peculiari. Quia videlicet Deus persoluit præmia meritorum collocando vnumquemque in eo gradu, & loco, qui est proportionatus dignitati eius, vt constat ex illo Ioan. 14. *in Domo Patris mei mansiones multæ sunt*; & de supplicijs ex illo actorum 1. vt *abiret in locum suum*. Confirmatur ex Diony. cap. 8. de diu. nom. *omnibus quod cuique accomodatum est, tribui; pro ea, quæ vnum quodque eorum, quæ sunt, attingit dignitate*. Id ipsum constat ex duplici præterea alio capite. Quorum alterū est apud Deum non dari acceptionem per-

sonarum

sonarum; vt dicitur ad Romanos 2. virtus autem opposita acceptioni personarum est iustitia distributiua. Alterum est Deum non rependere præmia nostris bonis operibus intendendo æqualitatem cum ipsis secundũ se, sed pro vt dignificatis per gratiam iustificantem, & gratum facientem; id est attenta dignitate cuiusque personæ. Ratio horum omnium est quia quilibet actus Diuinus circa res creatas essentialiter ac formaliter, & non solum realiter ac identicè est proprius supremi ac vniuersalis Gubernatoris, adeòque circumspicientis ordinem & proportionem cuiusque rei respectu omnium, & quarumlibet aliarum tum personarum, quam rerum, vti ostenditur quæ 18. de Incarnat. Id autem fieri non potest, quin proportioni Arithmeticæ Geometrica quoque adijciatur. Datur ergo in Deo iustitia distributiua propriè talis.

R. Expositis in quæst. præcedenti iustitia commutatiua, & distributiua, ordo doctrinæ postulat expositionem materiæ circa quam vtraque versatur, & subiectorum, quæ sunt vtriusque capacia. Quod ad materiam attinet constat satis ex eadem quæst. præcedenti, illa bona communia, quorum appropriatio ad priuatas personas, pertinet directè & immediatè siue ex natura rei, siue ex lege, ad vtilitatem, & commoda communitatis simul, & priuatæ personæ, seu conferentis, & accipientis simul, cum iure vtriusque indiuiduo circa illa, esse materiam remotam iustitiæ distributiuæ. Illa verò siue communia, siue priuata bona, quorum appropriatio, & attributio directè, & immediatè pertinet ad solam vtilitatem accipientis cum iure eiusdem adæquato respectu, eorum esse materiam.

riam remotam commutatiuæ. Constat consequenter materiam proximam vtriusque iustitiæ esse operationes, seu actiones, quibus eadem bona tribuuntur personis ad quas spectant, seu quibus conuenit ius ea accipiendi: ius verò ipsum esse motiuum vtriusque iustitiæ proportionaliter.

Quod attinet ad alteram partem de subiecto, certum est homines ex sua natura esse capaces iustitiæ tum distributiuæ, tum commutatiuæ in vicem exercendæ. Quilibet enim homo est capax ex sua natura iuris obligantis alios homines in fauorem & commodum ipsius, tum seorsim, tum coniunctim cum alijs. Et similiter est capax reddendi alijs hominibus ius suum cum proportione, & æqualitate, tum Geometrica, tum Arithmetica. Geometricà quidem quia accidit quosdam quibusdam hominibus esse magis idoneos ad benefaciendum Reipublicæ, atque adeò digniores vel propter naturalem constitutionem, vel propter dispositionem, & inclinationem habitualē in alijs atque alijs disparem. Arithmeticè verò, quia qui sunt æquales in natura habent bona æque hinc & indè æstimabilia, inter quæ proindè intercedere possit æqualitas Arithmetica. Patet igitur hominem esse subiectum idoneum iustitiæ distributiuæ, & commutatiuæ erga hominem exercendæ; atque adeò vtramque hominibus inuicem comparatis conuenire. Superest ergo quæstio de homine cū Deo, & Angelis comparato; atque de angelis cum Deo, & inter se comparatis. An scilicet alterutra iustitia conueniat Deo respectu Angelorum vel hominum; aut è conuersò: aut Angelis inter se vel respectu hominum; aut è conuersò? Præcipua verò controuersia est an Deo

Deo conueniat iustitia siue distributiua, siue commutatiua propriè & simpliciter dicta respectu hominum vel Angelorum? De quo proinde primò determinare oportet.

Dicendum autem est Deo non conuenire propriè & simpliciter iustitiam particularem, aut commutatiuam, aut distributiuam secundum suum conceptum essentialem adæquatè sumptum. Præcipuum fundamentum est. Qui dat eadem indiuisim voluntate ius & terminum iuris, seu actiuū & passiuum, eo ipso non dat ex iustitia particulari: Iustitia enim particularis ante quamlibet actionem suam præsupponit essentialiter, & formaliter ex parte accipiētis ius actiuum respectu boni quod accipit, vt patet ex definitione iustitiæ. Nequit vero præsupponi ius ex parte accipientis respectu actionis indiuisim illi conferentis ius & terminum iuris; seu respectu eius boni, quod simul, ac indiuisim confertur cum ipso iure, vt patet ex terminis. Et confirmatur quia conferens liberaliter aliquid, aut purè misericorditer, ideò non confert ex iustitia, quia dat non præsupposito iure ex parte accipientis, sed illud confert simul ac indiuisim cum eiusdem termino. Deus autem eadem indiuisim voluntate dat creaturæ ius quodcumque actiuum formaliter illi conueniens respectu bonorum, quæ accipit à Deo, quatenus à Deo accipit, eadēque bona; nec oppositum fieri vllo pacto potest. Quia Deus nec potest dare aliquid alicui, quin eo ipso ferat legem, vt illud sit accipientis, seu accipientis vsibus liberum relinquatur; cum eius voluntas sit lex cæterorum omnium. Nec etiam potest ferre legem constitutiuam essentialiter iuris, vt aliquid sit alicuius, idest nullum cuiquam con-

conferre potest ius, quin quatenus ad ipsum spectat eadem voluntate idem illud conferat ei, in cuius fauorem fertur talis lex. Nec enim Deus potest ferre legem, qua vel ipse obligetur, cũ non sit capax obligationis moralis proprie talis; vel alios obliget, vt potest, ad aliquid faciendum, quin ipse quantũ est de se idipsũ facere velit; cũ hæc eius volũtas includatur esséntialiter, in potétia proxima cæterorũ ad faciendũ, quod iubentur; idest in cóceptu esséntiali obligationis actualis, & formalis. Patet igitur impossibile esse, vt Deus det aliquid alicui, quin ea ipsa volũtate, qua id dat, conferat ius respectu eiusdem rei: Atque è conuerso, vt conferat ius respectu alicuius rei, quin ea ipsa voluntate velit efficaciter rem eandem conferre quantum est de se, idque absolutè, & determinatè, si ius sit absolutum, & res conferenda sit à solo Deo; sin minus conditionatè, aut vagè ac indeterminatè. Repugnat igitur Deum quidquam cuiquam conferre ex iustitia particulari propriè & strictè tali.

Confirmatur. Quia actus diuinæ voluntatis essentialiter inseparabiles mutuò speciali ratione sunt indistincti inter se non solum realiter, sed etiam virtualiter inrrinsecè, vt dictum est in quæst. de Deo. Patet autem voluntatem diuinam collatiuam iuris respectu rei conferendæ à Deo esse inseparabilem essentialiter à voluntate collatiua eiusdem rei, quantũ est ex parte Dei. Si enim istæ duæ voluntates separarentur fieret, vt iustè quis careret simulque iniustè aliquo dono Dei; si quidem quilibet caret iniustè eo bono, cuius habendi ius accepit à Deo; iustè verò caret eo bono, quod Deus vult, vt ipse non habeat, seu non vult, quantum est de se, vt habeat. Qua ratione, vt

alia prætermittantur refellitur singularis sententia Ripaldæ dicentis dari in creaturis ius, & in Deo iustitiam, quibus obligetur potentia eius ordinaria; non verò quibus obligetur potentia eius absoluta; ita vt si Deus negaret creaturis ea bona, quæ ipsis debentur ex natura rei vtendo sola, sua potentia ordinaria inferret illis iniuriam. Refellitur inquam, quia perinde hoc est atque dicere, Deum illaturum esse iniuriam, si vteretur potentia suà absoluta, simulque vteretur sola sua potentia ordinaria. Deum enim negare cuiquam quod ipsi debetur ex natura rei, id verò est Deum vti formaliter potentia sua absoluta. Vnde ille auctor solom hoc dicit re ipsa Deum nihil negare posse nisi iuste, etiamsi sit debitum ex natura rei: Quia quod tale est, non potest negari, nisi de potentia absoluta; ipsa enim negatio per seipsã formaliter est vsus potētiæ absolutæ. Ius autem ad aliquid essentialiter denominat iniustam negationem sui termini procedētem ab eo, aduersus quē est idē ius. Cum igitur ille auctor fateatur nullam vllius boni negationē prouenientem à diuina voluntate posse esse iniustam, sed eo ipso quod ab ea procedat esse iustam; consequenter tenetur dicere nullum verum ius conuenire posse creaturæ aduersus Deum, sed tantum chimericum, vtpotè inducentis obligationem pro euentu tantum chimerico, pro solo nimirum euentu Dei vtentis sola potentia ordinaria, simulque eo ipso vtentis potentia absoluta. Quod nihil est dictu.

Confirmatur rursus ex indistinctione virtuali quæ tradita est quæst. 5. inter diuinæ iurisdictionis & proprietatis iura Inde enim consequitur repugnare, vt Deus ferat legem

fauora-

fauorabilem alicui circa aliquam rem; idest vt ei conferat ius circa illam, quin eo ipso velit eidem indiuisim conferre vtilitatem, cuius intentione redditur fauorabilis talis lex, idest quin conferat eo ipso indiuisim id, cuius ius contulerit. Videatur quæstio illa quinta. Et quidem nullam legẽ potest Deus ferre, quin voluntate ipsa legislatiua efficaciter velit non impedire ex se ad impletionẽ legis, seu non reddere impossibilem eandem adimpletionem. Quare dum fert legem, qua vult, ne quis impediatur à consecutione, cõseruatione, aut aliquo alicuius rei vsu, eo ipso vult efficaciter non impedire ipse, quãtum est de se; quandoquidem ipso non cessante ab impeditione, nemo potest ab ea cessare positiuè, seu facere aliquid impeditioni contrarium. Deum autem ferre eiusmodi legem, formaliter est velle dare ius, vt dictum est quæst. 3. 4. 5. & velle non impedire consecutionem, conseruationem, aut vsũ alicuius rei, est velle easdem conferre, quãtum est de se. Nempe Deus ipsa conferendi tam suspensione, seu omissione, quam nolitione impedit collationem rei. Repugnat enim, vt aliquid alicui conferatur Deo omittente, aut nolente conferre. Vnde perinde è conuerso est nolle Deum omittere, aut suspendere collationem rei, ac velle rem conferre, quantum est de se. Est igitur formaliter indiuidua in Deo iuris & rei collatio, ideoque neutrum virtute iustitiæ conferre potest.

Neque verò vllum est aduersus hæc patrocinium, aut effugium in promissionibus diuinis, seu gratuitis, seu onerosis, quarum est frequens expressio in sacris litteris, & quibus positis videtur resultare verum ius in creaturis aduersus Deum, vtpote obliga-

tum ex natura rei, vt stet promissis, posita acceptatione ex parte creaturarum. Non inquam vllum hinc patet effugium; quod videlicet obstruitur obseruato discrimine inter diuinas, & humanas promissiones. Promissio humana includit in se obligationem præstandi, quod promittitur; imò, quod ad suam essentiam attinet, nihil est aliud quam voluntas obligandi se alteri ad præstandum aliquid in fauorem ipsius; quod consistere potest absque vlla voluntate actuali idipsum exequendi. At diuina promissio est sola voluntas aliquid faciendi, idque antecedenter reuelandi ei, cuius interest, vt fiat; ita vt voluntas diuina promissiua nihil superaddat simplici voluntati aliquid faciendi absque prævia promissione præter voluntatem reuelandi antecedenter, quod iam constitutum est, vt ita fiat. Impossibile nimirum est, propter rationes nuper propositas Deũ obligari obligatione propriè dicta per vnum actum suæ voluntatis ad habendum alium actum, quo exequatur id ad quod obligatur. Quare eatenus solùm dicitur Deum obligari ad aliquid, quatenus per actum essentialiter immutabilem suæ voluntatis contrahit necessitatem metaphysicam ad præstandi. Quã profectò necessitatem non aliunde subire potest, quam à sua idipsum præstandi volũtate efficaci, ideoque præstitura formaliter, & præcise per seipsam.

Reuelat verò antecedenter hanc suam voluntatem, vt gignat in nobis spem certam optati euentus, quando vult eam gignere; idque facit eo modo quo in eundem finem manifestatur ab homine præsens voluntas suæ obligationis in futurum. Sed non concipit voluntatem quam manifestat eo modo, quo concipitur ab homine imponente sibi obli-

obligationem moralem propriè talem; sed contrahendo necessitatem metaphysicam faciendi quòd promittit indistinctam virtualiter intrinsecè à voluntate ipsa promissiua.

Promissiones diuinas esse huiusmodi, nihil videlicet superaddentes voluntati faciendi præter voluntatem reuelandi se velle facere, docuerat iam prius operosus defensor iustitiæ diuinæ, distributiuæ, & commutatiuæ propriè talis P. Suarez prælect. de libert. diu. disput. 2. sect. 2. idemque docuere ante ipsum D. Bonauentura, Scotus, Durandus, & plures alij apud Monteyam disp. 56. de volunt. Dei sect. 7. Et ratio vlterior est. Quia promissio obligatoria tum solum est vtilis, quando promittens vel est mutabilis, vel potest suspendereq; voluntatem faciendi aliquid, siue per puram omissionem, siue per nolitionem reflexam volitionis simul, & nolitionis directæ. His enim seclusis patet promissionē obligatoriā quatenus obligatoriam fore inutilē & superfluam, atq; omnino cōtemptibilem respectu promissarij. Cuiusmodi nihil in Deo esse potest. Omnem autem voluntatem diuinam esse immutabilem essentialiter est certū ex fide; atque in Deo esse impossibilem suspensionem simultaneam volitionis, & nolitionis directæ circa aliquod volibile simpliciter à Deo supponitur in præsenti vt certum ex communi consensu, & stabilitum satis in qq. de Deo.

Adde repugnare veram obligationem moralem, cui repugnat malum tam culpæ quam pœnæ. Quia obligatio moralis dici non potest necessitas metaphysica determinata aliquid faciendi; sed est necessitas vaga faciendi aliquid vel peccandi, ac subeundi pœnam, si id non fiat. Patet autem vtrumque hoc malum repugnare Deo. Nec minus clarè

patet repugnare; tum verum ius aduersus aliquem absque vera eiusdem obligatione morali; tum veram in aliquo iustitiam particularem respectu alicuius absque vero istius iure aduersus illum, vt liquet ex datis iustitiæ & iuris definitionibus. Repugnat igitur tum verum ius ex parte nostra aduersus Deum; tum vera in Deo iustitia particularis aduersus Deum,

Exclusa per hæc à Deo iustitia particulari in genere, vix quidquam superaddere oportet de commutatiua seorsim aut distributiua; esto multa dici possent aduersus vtramque. Aduersus commutatiuam illud est efficax, quo præcipuè vtitur Vasquez. Pertinet nimirum ad conceptum essentialē iustitiæ commutatiuæ constituere æqualitatem inter datum & acceptum; inter damnū & lucrum, vti sæpe dictum est, & expositū quæst. præcedenti, ex Philosopho cap. 4. huius quinti. Hæc autem æqualitas repugnat Deo, quia Deus nihil lucrari potest quidquam à nobis accipiendo; vt liquet ex illo Iob 25. *Si iustè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet?* Et rursus cap. 22. *Quid prodest Deo si iustus fueris? aut quid ei confert, si fuerit immaculata via tua.* Ratio est quia Deus se solo est æquè beatus & æque bene habet, atque cum omnibus rebus creatis, ac proindè nihil ipsius interest, siue detur, siue non detur quidquam creatū, neque ex rebus creatis, & earum defectu quidquam accrescit Deo vtilitatis, vel nocumenti. Accrescit verò nobis ex ijs, quæ Deus circa nos facit. Patet autem inter vtile & inutile nullam veram esse posse; sed solum imaginariam, aut similitudinariam aliquam dati & accepti æqualitatem. Ergo vt similitudinaria aliqua, & impropria iusti-

tiæ commutatiua Dei ad hominem dari possit; vera tamen, & quæ propriè talis sit dari nequaquam potest.

Adde quãdo exhibemus Deo aliquod obsequium, non solum præstari aliquid ipsi prorsus inutile; sed insuper illud ipsum bonum opus, quo obsequimur, præstari potius nobis à Deo, esseque ipsius donum perficiens nos; ideoque nobis vtile, & quo etiam ratione sui immediatè obligemur ad gratiarum actionem, vt semel atque iterum dictũ est in qq. de gratia. Ergo ex re accepta Deus teneri minimè potest ob nostra obsequia ad compensationem, & commutationem, sed dona donis cumulat, dum præmia confert meritis liberalior vtrorumque simul collatione, quam si præmia daret sine meritis.

Adde rursus ex doctrina Philosophi c.5. D. Thomæ & aliorum communi in præsenti contrapassum esse de ratione & conceptu essentiali iusti commutatiui; scilicet vt tantum nocumentum patiatur vterius commutantium, quantum commodi reportat, transferendo in alium tantumdem iuris, & bonorum, quantum ab alio transfertur in ipsum. Repugnat autem Deo contrapassum, non solum quia nihil pati potest, nulliusque nocumenti est capax; verum etiam, & ob hoc multo magis, quia iura & bona omnia, nobis confert non ea transferendo, seu abdicando à se, sed creando, aut gignendo de nouo, sibique subijciendo, ac retinendo sub suo dominio, quæ confert nobis cum repugnantia, vt ius vtile proprietatis cuius nos sumus capaces aut eius terminus existant in rerum natura; & non sint nostra, simulque Dei omnibus modis, quibus, aut Dei, aut nostra esse possunt. Hæc namque iura ac dominia non solum sunt compossibilia, sed

etiam sunt mutuo connexa essentialiter, vt liquet ex dictis quæst.5. Vnde patet nullum esse neque repassioni, neque quasi repassioni locum, cum vtrimque fiat indiuisim accessio iuris & bonorum, quam maxima excogitari potest, & expeti ab vtrauis parte.

Circa iustitiam distributiuam hoc præcipuè obseruandum est, Deum sua munera impertiri creaturis, impertiendo simul vnicuique dignitatem muneribus cōgruentem. Quod quia facere non possunt Principes, & Respublicæ creatæ, propterea necesse habent pro iusta munerum partitione, attendere ad præexistentem dignitatem accipiētium. Hinc Deus infirma mundi eligit ad maximos fines ac munera: quod ipsum hominibus facere non licet absque peccato contra iustitiam distributiuam, cuius legibus non tenetur Deus, nec vtitur earum directione ob contrariam vtrobique rationem. Deinde Deus in conferendis præmijs, alijsq; bonis accumulandis, non tam respicit ad dignitatem accipientium, quas longè superat muneribus, quam ad suam intendens, vt eam deceat quod facit. Certè non respicit ad dignitatem benefactiuam accipientium respectu conferentis, aut etiam communitatis quatenus includentis ipsum; si quidem Deo nemo benefacere potest. Quos tamen respectus supradictum est esse de ratione iustitiæ distributiuæ.

Denique Deus dat vnicuique quod spectat ad ipsum secundum se consideratum, nec singulis addit quidquam vel detrahit, saltem quo ad substantiam bonorum, propter concursum aliorum plurium vel paucorum, maiori vel minori dignitate pollentium. Quod constat ex citato testimonio

Roma-

Romanorum; *reddet vnicuique secundũ operà sua*; & quia oppositus agendi modus est proprius non habentis thesaurum bonorum sufficientem pro æquali simpliciter compensatione singulorum. Ergo medium Geometricum, quod ex Philosopho, & communi consensu dictum est supra, spectare ad iustitiam distributiuam, esseque de eius conceptu, Deus non obseruat, ac proindè, neque vtitur iustitia distributiua. Constat igitur ex his omnibus repugnare Deo, tum iustitiam particularem ex genere suo, tum specialiter vtramque eius speciem iustitiæ distributiuæ & commutatiuæ propriè & strictè talis.

Ad 1. In illis, alijsque eiusmodi testimonijs, non alia continetur iustitia Dei, quam prouidentialis & gubernatrix, quæ communiter dicitur legalis, estque iustitia propria & absque metaphora talis; imò est prima ac præcipua species iustitiæ commendata, ac celebrata a Philosopho super omnem aliam iustitiam, sub initium huius quinti; eademq; procul dubio decet Deum, & ab omnibus incunctãter cum summa proprietate admittitur in ipso, & se sola sufficit, ad rectitudinem omnium diuinarum circa nos operationum, quibus fit, vt posteriora prioribus perfectè congruant, eorumque exigentiam expleant adæquatè. Per hanc iustitiam exponuntur absque vlla violentia locutiones sacræ de iustitia Dei, maximè cum illis plerũque non insit sensus scholasticus, sed vulgaris & planus, iuxta quem ij Principes maximè iusti dici, ac celebrari solent, qui adhærent bono communi; atque indè ad cætera diriguntur. Adhæret autem Deus summè bono communi, quia summè adhæret sibi ipsi, qui per essentiam est bonum om-

nium commune, atque inde ad cætera omnia diffunditur attendens, & exequens in omnibus quod se maximè decet, & semper operans quia sic decet se operari.

Ad 2. Firmitudini spei nostræ sufficit iustitia legalis. Quia ratione huius metaphysicè repugnat, vt præmia, & supplicia non dispensentur prout oportet, & bono regimini creaturarum rationaliũ omninò congruit. Neque verò liberalitas, gratia Dei complectens omnes, & singulas operationes diuinas nobis vtiles, ac fauorabiles excludit iustitiam, quæ satisfacit exigentiæ, & quasi iuri rerum præexistentium. Quia Deus omnia, & singula sua bona largitur potens quidem simpliciter, & absolutè ea penitus negare, ideòque liberaliter, impotens tamen, ex suppositiositione quod aliqua conferre velit, vt posteriora prioribus nõ aptè correspondeant iuxta dictamen, & ordinem sapientiæ suæ; quæ est necessitas ad æqualẽ proportionaliter compensationem meritorum, atque ad eandem efficaciter volendam, si merita efficaciter voluerit. Non igitur sequitur ex negata Deo iustitia particulari, inconueniens intentum in obiectione.

Ad 3. Deus non vult vno actu loqui, & se obligare ad veram locutionem, & alio actu dicere verum; sed vtrumque vult indiuisim per vnum actum non ex obligatione morali propriè tali, sed ex necessitate metaphysica neutrum ab altero separandi, idque independenter à motiuo iustitiæ tam commutatiuæ quam distributiuæ, & ex solo motiuo iustitiæ legalis, atque ob solam iustam sui ipsius æstimationem, vti pluribus expositum & confirmatũ, est q.22.de virt.Theol.ad 7.

Ad 4. Aliquæ virtutes ad alterum dantur in Deo formaliter & adæquatè, vt quæ ibi enume-

enumerantur. Aliæ verò non dantur, vt gratitudo obseruantia, obedientia, & similes. Quarum videlicet perfectio quidditatiua adæquatè sumpta supponit essentialiter aliquam ex parte subiecti imperfectionem, qualem dictum est essentialiter supponi à iustitia particulari: nimirum subesse iuri alterius, & posse habere obligationem, seu necessitatem absolutam aliquid faciendi aliundè quam ab ipsa præcisè faciendi voluntate. Quibus aliæ similes imperfectiones detectæ supra sunt, tum in conceptu iustitiæ particularis in communi; tū in speciali conceptu iustitiæ commutatiuæ. & distributiuæ.

Ad 5. Philosophus eo in loco distinguit amicitiam imperfectam, & vtrimque lucratiuam ab amicitia perfecta, quæ in honestate, & virtute fundatur; atque illi imperfectæ, cuius certè Deus non est capax, non huic secundæ perfectæ annectit capacitatem iustitiæ. Deindè non exprimit, de qua determinatè iustitia loquatur; & an de iustitia simpliciter tali. Vnde relinquit locum, vt intelligatur de iustitia, vel distributiua, vel commutatiua, vel legali, & de non simpliciter tali prout fuerit amicitia. Demum Philosophus neque amicitiam Dei cum hominibus agnouit perfectam, & simpliciter talem; sed nec agnoscere potuit, vt colligi facilè potest ex dictis q. 39. de virt. Theol. Et quid dicent aduersarij de amicitia inter patrem & filium; dominum & seruum, quã non negat Philosophus propriè talem: & tamen negat inter eosdem ius & iustitiam propriè & simpliciter talia, vt apparet ex dictis quæst. 7. versus finem.

Ad 6. Iam patuit institiam tam commutatiuam, quam distributiuam esse quidem perfectiones, sed coniunctas cum aliqua imper-

fectione quatenus eam essentialiter præsupponunt ex parte subiecti; nec ab ea imperfectione eximi posse ex eo præcisè, quia sũt virtutes ad alterum vt liquet ex exemplis allatis circa quartũ; vel ex eo præcisè quia ius alterius, & obligatio illi fauens prouениunt ex aliqua voluntate præexistẽti ipsius operantis ex iustitia; siquidem demonstratũm est nulla tali voluntate obliganti præuenire Deum posse suam voluntatem immediate collatiuam humanorum iurium & rerum. D. Thomas tantum eximit virtutes ad alterum ab omni imperfectione ex parte obiecti voliti; non verò etiam ex parte subiecti. Agnoscit enim istiusmodi imperfectionem in illis virtutibus ad alterum quæ prælatæ sunt in responsione ad quartum.

Ex quibus præterea virtutibus ita negatis Deo communi consensu, vt eidem attribui absque absurditate non possim, eaque non solum quoad modum loquendi, sed etiam quoad rem ipsam, constat quæstionem de attribuendis vel negandis Deo singulis quibusque virtutibus, quæ sunt in vsu apud nos nullatenus esse quæstionem de voce, sed omninò realem. Quia videlicet non est quæstio de voce, sed realis, per quam quæritur de vnaquaque virtute, an perfectio specifica & differentialis ipsius sit essentialiter connexa cum aliqua subiecti, cui inest, imperfectione conueniente ipsi vel secundum se, vel taliter affecto; an non sit taliter connexa cum imperfectione? Quod certè non satis considerarunt, nec nisi superficialiter dignoscere potuerunt res, de quibus agitur in præsenti, qui ausi sunt dicere cõtrouersiam præsentem esse solum de voce, ideõ nõ solum inutilẽ; sed etiam à solis ineptis & ignaris hominibus seriò disputabilẽ;

cum

cum tamen magni auctores de ea plurimum idque iure, merito hinc & inde disputauerint.

Ad 7. Et eius confirmationem. Promissiones, contractus, & pacta non stabiliuntur à Deo voluntate se obligandi, sed voluntate nobis notificata faciendi, si fecerimus, & quidem faciendi, ea ipsa voluntate immediatè, postquam præstitum id fuerit, quod ad nos spectat. Atque hoc ipsum, quod præstandum à nobis est, quodque dicitur onus in obiectione, est vtile nobis etiam ratione sui immediatè; Deo verò inutile, & ab ipso potius donatum nobis, quam ipsi à nobis. Vnde fit vt Deus constituat æqualitatem, seu potius proportionem congruẽtem inter merita & præmia non ex iustitia commutatiua, sed ex legali, & gubernatrice reddendo vnicuique secũdum opera sua, cum quadam eatenus similitudine, sed non cum realitate & cõceptu specifico emptionis, & venditionis. Quæ ipsæ voces & aliæ illis æquiualentes magis demonstrant non agi de æqualitate propria iustitiæ commutatiuæ; quandoquidem constat nostra merita non posse esse pretium ita æquale Regno cœlorum, & beatitudini; dicente Apostolo momentaneum & leue esse illa omnia cõparatà cum pretio, & æstimatione gloriæ.


Ad 8. Dictum est Deum operari circa singulos prout ipsum decet ex iustitia legali indistincta à dilectione sui. Decet autem Deum, vt quantum cuique dignitatis contulerit, tantumdem gloriæ conferat, atque hoc ipso collocet in diuerso gradu & loco iuxta diuersitatem meritorum & gratiæ, vtrumque tamen singulis cõfert eadem voluntate virtualiter indiuisibili volendo vt merita sint causa gloriæ; non tamen, vt voluntas

luntas meritorum, aut ipsa merita, aut obligatio aliqua inde consurgens sint causa voluntatis conferentis gloriam, & præmia. Neque vt singulis accedat quidquam aut decedat propter maiorem vel minorem numerum aliorum plus aut minus merentium, aut propter dispares dignitates ex inæquali gratia sanctificante. Vnde patet comparationem vniuscuiusque accipientis præmium cum reliquis non pertinere ad munus, & finem proprium ac specialem iustitiæ distributiuæ, sed ad perfectionem propriam iustitiæ legalis habentis motiuum vniuersalissimum quod sub se complectitur indiuisim omnia creata tam irrationalia quam rationalia, tam purè physica quam moralia, & constituit idoneam eorum indiscriminatim omnium inter se dispositionem ac cohærentiam. Quod non minus excludit vitiosam personarum acceptionem quam iustitia distributiua propriè dicta, & saluat omnia perfectè, quæ in obiectione attribuuntur diuinæ prouidentiæ, & illud præsertim quod adducitur ex Dionysio nequaquam locuto de meritis præcisè, & præmijs, sed de ordine rerum creatarum vniuersim omnium, & singularũ. Vndè liquet illud testimoniũ adduci abs re, cum irrationalia secundũ se non ordinentur, ac proportionentur inter se per iustitiam distributiuam propriè & strictè talem, vt est in confesso etiam apud aduersarios.

Inquam verò per distributiuam propriè, & strictè talem. Quia negari non potest Iustitiam legalem, & prouidentialem Dei habere aliquam similitudinem analogicam & inadæquatam cum iustitia, tum commutatiua, tum distributiua propriè tali, quatenus ex vna parte vnicuique tribuit quantũ

exigit

exigit perfectio eius physica, & bonitas moralis perindè; atque si nulla alia existeret entitas prædicta perfectione aliqua, aut merito; siue maiori, siue minori, siue æquali; quod spectat ad imitationem iustitiæ commutatiuæ: & ex alia parte nihil peragit circa aliquam, vel rem vel personam absque respectu ad cætera omnia; & singula contenta in vniuerso, atque ita constituit idoneam, & pulcherrimam vniuscuiusque rei ac personæ cum cæteris omnibus, ac singulis proportionem, & consonantiam, quod spectat ad imitationem iustitiæ distributiuæ. Vnde effectum est; vt inter alios Diuus Thomas aliquando soli iustitiæ commutatiuæ, aliquandò soli potius distributiuæ adscribat diuinam præmiorum aliorumque bonorum partitionem. Quæ non aliter in concordiam venire possunt, nisi accipiendo vtriusque generis testimonia de iustitia commutatiua, & distributiua quoad aliquam solum cum vtraque similitudinem ratione dicta. Videatur cum eodem Diuo Thoma Caietanus in præsenti quæst. 6. art. 4. circa responsionem ad primum.



QVÆSTIO XX.

Vtrum conueniat homini iustitia aut commutatiua aut distributiua respectu Dei?

VIDETVR vtramque conuenire. 1. Quia, quod ad commutatiuam attinet, eadem est obligatio reddendi Deo quæ sunt Dei, atque est reddendi homini quæ sunt hominis, iuxta illud Matthæi 22. 21. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt Dei Deo.* Quæ autem sunt hominis redduntur homini per iustitiam commutatiuam. Ergo per eandem redduntur Deo quæ sunt Dei. Alias comparatio esset inepta, ac disparata; cum tamen facta sit à Christo Domino.

2. Peccata hominum habent veram rationem iniuriæ aduersus Deum, ex communi consensu Theologorum multipliciter confirmato ex sacris litteris, & sanctis Patribus. Ratio autem iniuriæ coincidit cum ratione iniustitiæ; quæ dari non potest nisi in eo qui est obligatus ad oppositum ex iustitia, aut commutatiua, aut distributiua; maximè verò ex commutatiua quando iniuria est aduersus personam singularem secundum se consideratam.

3. Quod attinet ad distributiuam. Deo exhiberi debet cultus seruata proportione cum eius dignitate, ita vt cultus Deo exhibitus excedat proportionaliter cultum exhibitum alijs, quãtum excedit dignitas eius dignitatem cæterorum. Obseruantia autem

eiusmo-

eiuſmodi proportionis pertinet ad iuſtitiam diſtributiuam, vt dictum eſt in quæſt præcedenti. Ergo ea exercetur propriè per homines erga Deum.

4. Deo conuenit verum ius proprietatis, vt cōſtat ex quæſt. 5. Verum autem ius proprietatis fundat circa alios veram obligationem pertinentem ad veram iuſtitiam ſeu diſtributiuam, ſeu commutatiuam, vt colligitur ex definitionibus iuris & iuſtitiæ ſupra datis inuicem collatis. Ergo alterutra vel vtraque ea iuſtitia eſt admittenda in homine erga Deum.

R. Dicendum eſt, neque commutatiuam, neque diſtributiuam iuſtitiam ſimpliciter, & propriè talem conuenire homini reſpectu Dei. Non quidem commutatiuam, quia hæc conſidèrat perſonas, vt æquales vti dictum eſt ſupra ex Philoſopho; quod tamen reſpectu Dei nunquam vlla in re, aut ſub vlla ratione formali locum habet. Deinde contrapaſſum eſt de conceptu commutatiuæ vt dictum eſt ex eodē Philoſopho; Quod nec [illegible] parte Dei dari poteſt, qui nihil [illegible] eſt, neque ex parte noſtra comparari Dei; ſi quidem tota vtilitas ſuarum, noſtrarumque operationum, & rerum nobis manet præualens nocumento temporali, ſi quod patimur eius gratia. Demum æqualitas Arithmetica eſt ſimiliter de conceptu eiuſdem iuſtitiæ, vt dictum idem eſt ex Philoſopho, & alijs. Æqualitas autem Arithmetica conſtitui nunquam poteſt inter Deum & hominem, tum quia dignitas Dei, ius in ea fundatū tendit in infinitum ſyncorematicè, tum maximè, quia res omoperationes hominis erga Deum & homines, ſunt vtiles ſoli homini, & inutiles Deo. Inter vtile autem &

prorſus

prorsus inutile nulla potest esse æqualitas Arithmetica, quæ similiter repugnat inter vtile, & pure decens absque vlla vtilitate. Eadem porro est incommensurabilitas inutilium, ac nocentium cum purè dedecentibus nihilque nocentibus, quorum alterum spectat ad homines, alterum ad Deum. Ergo neque peccando, neque bene operando potest constitui ab homine æqualitas Arithmetica aut inæqualitas formaliter opposita huic æqualitati: Ergo neque iustitia commutatiua exerceri potest, aut committi iniustitia opposita huic iustitiæ ab homine erga Deum.

Sed neque iustitia distributiua esse potest in homine respectu Dei. Quia dignitas Dei est incomparabilis cum dignitatibus cæterorum; neque Deus accipere potest ab homine munus aliquod, aut iustè correspondens eius dignitati, aut cedens in vtilitatem partim ipsius, partim nostram; quod tamen dictum est esse de conceptu iustitiæ distributiuæ proprie & simpliciter talis. Quapropter ius Dei aduersus nos non est simpliciter tale, sed diuinum ad eum modum, quo quæst. 5. dictum est de iure patrio, herili & oeconomico, idque ratione multo maiori & manifestiori vt apparet ex dictis. Quapropter ius Dei fas potius appellatur à D. Thoma, & alijs communiter; idest ius supra omne ius, & excellentius in suo conceptu, quam sit ius quod obseruat iustitia particularis, ideoque spectans ad religionem potius, obedientiam, charitatem, & alias similes virtutes, quibus solis, & non iustitia particulari colimus Deum. Eadem porrò ratione, qua negatur vtraque iustitia homini respectu Dei, neganda quoque est Angelis respectu eiusdem. Vigent enim

æqua-

æqualiter quoad vtrosque rationes propositæ.

Ad 1. Testimonium illud ex Mathæo accipiendum est cum distributione accomoda, vt quæ sunt hominis reddantur per iustitiam commutatiuam; quæ Dei per religionem. Quæ accommoda, & non omninò æqualiter similis quoad vtrumque extremū intelligentia admittenda est ab omnibus quoad conceptum suitatis eodem modo cõtentæ in eo testimonio; quandoquidem suitas spectans ad Cæsarem erat suitas vtilitatis & lucri; suitas verò Dei solius excellentiæ, ac decentiæ; illa respiciens finem cui vtilitatis perfectibilem per bona sua; hæc respiciens finem cui solius excellentiæ minimè perfectibilem, aut vt sic dicatur, fœlicitabilem per bona creata. Vnde Christus Dominus dixit ea verba adiudicans Cæsari vtilitatem pecuniæ; Deo honorem & cultū. Quæ sunt disparia.

Ad 2. Peccata hominum continent rationem iniuriæ non oppositam formaliter iustitiæ particulari, sed quod deterius multo est religioni, obedientiæ, iustitiæ legali, & charitati. Vndè peccatis hominum contra Deum deest ratio iniustitiæ propriè talis non per defectum, sed per excessum malitiæ, & nefas potius sunt quam iniustitia. Et quidem ratio iniuriæ aduersus Deū est communis omni generi peccatorū, quatenus opponitur præceptis diuinis, quæ sunt actus iurisdictionis formaliter, & non proprietatis, ideoque conuertibilis esse non potest cum iniustitia propriè, & strictè tali; quæ videlicet connotat formaliter solum improprietatis.

Ad 3. Cultus exhibetur Deo per virtutem religionis tanquam incomparabili

quoad

quoad dignitatem, cum omni alia dignitate; ideoque cultus ipsi debitus seruat proportionem cum cultu aliorum, non propriè Geometrica, sed impropriè, & similitudinariè tantum, quia neutrius extremi aut replicatione aut diminutione potest perueniri ad æqualitatem Arithmeticam. Ad iustitiam autem distributiuam pertinet proportionalitas Geometrica, propriè talis inter dignitates & res, eorum qui debent cõparari per eam iustitiam. Et præterea ad exhibendum cultum Deo cum omni iustitia seu æqualitate possibili erga ipsum, nihil opus est Deum comparare, aut etiam quasi comparare cum alijs. Quia habet dignitatem cultus exemptam ab omni eiusmodi cõparatione, & combinatione.

Ad 4. Cõstat ex quæst. 4. Deo nõ cõuenire Ius puræ proprietatis, sed quod indiuisim est iurisdictionis ordinatum in nostram vtilitatem; quale non est ius ex quo specificatur iustitia commutatiua.

QVÆSTIO XXI.

Vtrum inter Angelos & homines detur Iustitia aut commutatiua aut distributiua?

VIDENTVR neutrius iustitiæ inuicem exercendæ esse capaces. 1. Quia bona Angelorum propria, & quæ sunt propria hominum non possunt reduci ad æqualitatem. Differunt namque specie substantialiter; ideoque habent omnia diffidentia specie quoad substantiam, & incommensurabilia absque vlla communi mensura alicuius æquè æstimabilis ab vtrisque, per compa-

parationem, ad quam redigi possint ad æqualitatem, aut Arithmeticam, aut Geometricam. Quod manifestatur magis conferendo singulas vtrimque species rerum. Pecuniæ namque, Palatia, agri, & similia quæ magni habentur ab hominibus, nullius sunt vsus vtilitatis, aut æstimationis apud Angelos. Similiter species impresse Angelorum, habitus voluntatis, potentiæ, & earum actus quæ sunt tota ipsorum supellex sunt respectu hominis inutilia, nulliusq. vsus, ac proindè nec æstimationis alicuius. Eadem est ratio de cæteris eiusmodi omnibus. Quæ autem ita inter se comparantur, neque iustitiæ commutatiuæ, neque distributiuæ materiæ esse possunt; quandoquidē. vtraque essentialiter intendit æqualitatem.

2. Angeli inter se neutram possunt exercere iustitiam. Commutatiuam quidem, quia nullus Angelus indiget bonis alterius; atque origo commutationis est mutua commutantium indigentia vt infra dicetur ex Philosopho. Deinde bona vnius Angeli non sunt transferibilia ad alterum; quia omnia Angelorum bona reducuntur ad accidentia sola vnicuique eorum intrinseca; atque commutatio fieri non potest absque translatione mutua bonorum. Distributiua similiter repugnat. Quia Angeli immediatè obtinent à Deo quidquid pertinet ad eorum dignitatem. Ergo non dependent inuicem alter ab alterius voluntate, & opere quoad proportionem, aut proportionalitatem dignitatum, & munerum aut rerum. Ergo non possunt exercere inuicem iustitiā distributiuam. Ergo multò minus possunt homines & Angeli inuicem exercere alterutram iustitiam. Quia multo magis diffident inter se, multoque minus inuicem dependent

pendent homines & Angeli, quam Angeli inter se.

3. Iustitia distributiua, & obligatio quam ipsa respicit rediguntur ad iustitiam commutatiuam, & ad obligationem quam respicit, vt contendit Vasquez, quatenus comparatio inter dignitates, & munera singulorum spectans ad iustitiam distributiuam, ideò instituitur, vt indè subducatur quod vnicuique seorsim sumpto debetur ex iustitia commutatiua. Cum igitur constet ex prima ratione inter Angelos, & homines iustitiam commutatiuam exerceri minimè posse, concluditur neque distributiuam alterutra ex parte circa alteram exerceri vnquam posse.

R. Quæstio hæc est parui momenti. Dicendum verò primo est iustitiam commutatiuam vtralibet ex parte respectu alterius dari propriè, ac strictè atque exerceri posse saltem quoad commutationes inuoluntarias, de quo commutationum genere dicitur infra. Ratio est quia tam homines, quam Angeli sunt capaces iuris quisque sui aduersus omnes alios, atque adeo, & mutuæ obligationis non ampliandi terminos propriæ libertatis cum iactura aliorum habent enim communem Principem Deum impertientem singulis bonorum cumulum peculiarem lege lata, vt illis maneant, eorumdem inseruiant vtilitati ac liberæ dispositioni. Patet autem indemnitatem horum bonorum, & post quam læsio facta fuerit, restitutionem pertinere ad iustitiam commutatiuam, quatenus moderantem commutationes inuoluntarias ne fiant, etsi factæ fuerint rescindantur constituta æqualitate Arithmetica, non inter res vnius & res alterius, sed inter res spectantes ad vnum-

vtrumquemque, & eiusdem conueniens cõsideratis eatenus vt æqualibus: seu perinde atque si nulla in esset æqualitas, personis, licet absolute in se inæqualibus. Quæ quidẽ ratio efficaciter conuincit quoad commutationes saltem inuoluntarias. Quia cum neque Angeli, neque homines sint impeccabiles ex sua natura, nec sit maior ratio, cur peccare possint in alia materia potiusquam in materia iustitiæ inferendo inuicẽ nocumenta quoad famam, & honorem, aliaque similia pertinentia ad ius proprietatis eorum, sunt vtique capaces naturaliter, vt peccent mutuò peccato iniustitiæ. Quod peccatum ex natura sua inducit obligationem restituendi, & resarciendi nocumentũ illatum. Quod est opus iustitiæ commutatiuæ. Possunt igitur hoc pacto exercere mutuo iustitiã cõmutatiuã Angeli & homines.


Dicendũ rursus est iustitiã distributiuam, neque Angelos erga homines neq. homines erga Angelos, exercere de facto posse. Quia ea bona communia, quæ quæst 18. dictum est pertinere ad hanc iustitiam tanquam materiam propriam, & adæquatam eius. Deus per se ipsam Angelis distribuit immediatè quoad partem spectantem ad ipsos. Partem autem quæ spectat ad homines, eisdem distribuendam commisit absque consortio Angelorum in iure, & opere distribuendi. Non negatur tamen possibilem absolutè esse iustitiam distributiuam tum Angelorum inter se, tum Angelorum simul, & hominum inter se. Non enim apparet vnde repugnet, vt Deus eo modo committat arbitrio Angelorum, & hominum distributionem munerum cõferentium ad bonum vtrorumque commune simulque speciale eorum quibus illa

illa deputarentur determinatè. Supererat vt vltimo loco exponeretur vtraque iustitia inter patrem & filium; dominum & seruum; maritum & vxorem verum quia facilis admodum & cuiuis obuia est circa istos consequentia ex dictis quæst. 5. de mutuis eorum iuribus: nihil necesse est eam in rem distinctius adijcere; quando manifestum est iustitiam vniuscuiusque sequi naturam iuris circa quod versatur, atque ius istarum personarum, eo in loco expositū fuit clarè.

Ad 1. Illud argumentum solum probat mutuam Angelorum, & hominum incapacitatem quoad commutationes volū tarias, per quas & Angelus ad hominem, & homo ad Angelum transferant aliquid cum æqualitate Arithmetica æstimabilitatis inter datum & acceptum. Quæ æqualitas repugnat inter quælibet bona substantiarum intrinsecè inæqualium atque specie inter se dissidentium, idque propter rationem ibidem expensam, quæ eatenus est efficax. Cæterum quoad commutationes inuoluntarias, de quibus fuit superior conclusio, eadem ratio nihil probat. Nihil enim prohibet ablatam alicui à substantia inæquali esse æquale restituto eidem per eandem: imò est necesse esse æquale Arithmeticè, si totum restituatur, quod fuerat iniustè ablatum, vti fieri procul dubio potest Deinde possibile itidem videtur Angelos inter se æquales exercere inuicem iustitiam commutatiuam etiam quoad commutationes voluntarias. Quia sunt capaces aliquorum bonorum extrinsecorum, vt laudis, honoris, aliorumque eiusmodi officiorum atque quoad hæc potest vltro, citroque æqualitas constitui inter æquales; esto rarò, & vix vnquam

vnquam eiusmodi bona sibi inuicem præstituri videantur Angeli etiam in statu viatoris, aut etiam puræ naturæ, sed ex liberalitate, & pura beneuolentia vti plerumque fit inter homines quoque abundantes bonorum, & nobiliter inuicem familiares. Atque hoc obiter.

Ad 2. Patet ex modo dictis quoad iustitiam commutatiuam; quoad distributiuam vero ex dictis ad quæstionem in posteriori parte. Ad 3. patet indidem sufficienter; nisi quod principium ibi assumptũ à Vasquez nequaquam subsistit. Quia ex dictis in quæst. 18. circà naturam iustitiæ distributiuæ, & rationem iuris specialis, quod ipsa respicit inter dignitates, & munera singulorum, non adhoc institui, vt subducatur quantum vnicuique debeatur ex iustitia commutatiua, & ex iure vniuiusque adæquatè proprio; sed vt sistatur in mutua dignitatum, & munerum collatione, & immediatè satisfiat iuri indiuiduo communitatis simul, & personæ particularis æquè; et immediatè pertinente ad vtramque, nec idonea circa quod versetur iustitia commutatiua.



QVÆSTIO XXII.

Vtrum iustitia vindicatiua sit species iustitiæ particularis indistincta à Iustitia commutatiua.

VIDETVR esse indistincta à iustitia commutatiua 1. Quia iustitia punitiua constituit æqualitatem inter peccatum & pœnam: Constitutio autē æqualitatis est propria iustitiæ commutatiuæ. Ergo iustitia vindicatiua est indistincta à commutatiua.

2. Iudex tenetur ex iustitia commutatiua ad resarciendum omnia detrimenta, quæ Reipublicæ aut personis priuatis prouenerint ex iniusta scelerum impunitate. Non autem ad hoc teneretur ex iustitia cōmutatiua, si non teneretur ex eadem ad vindictam, & punitionem scelerum. Ad eandē namque virtutem pertinet præcauere nocumentum antequam inferatur, ad quam pertinet illud resarcire postquam illatum est, vt paulo post dicetur Ergo actus iustitiæ punitiuæ est actus iustitiæ commutatiuæ. Accedit D. Thomas docens quæst. 108. art. 2. ad 1. punitionem prout refertur ad publicam iustitiam esse actum iustitiæ commutatiuæ.

R. Iustitia vindicatiua hoc habet ex genere suo, vt non tam ordinetur in vtilitatem eius, circà quem exercetur, quam in vtilitatem aliorum. Hoc enim præstat, vt cæteri feliciter sapiant in capite insipientis.

Nempe

Nēpe reus ratione delicti cōparatur, iumētis insipientibus, & similis fit illis. Atque cum homo ob dignitatem naturæ rationalis hoc habeat proprium, vt sit, & ametur ratione sui, vtque ordinentur in vtilitatem eius, quæ circa ipsum aguntur; ratione peccati decidit ab eo gradu excellentiæ, & honoris, atque per pœnam ordinatur in bonum potissimum aliorum, vt bruta; solũque hoc sibi deinde superest beneficium proprium rationalitatis, vt pœnam conuertat in bonum peculiare suum per virtutem patientiæ, & propositum emendationis. Quæ ratio est, ob quam eadem illa, quæ quis libenter perferret ex charitate, misericordia, aut alio simili motiuo, ægrè ferat, si iniungantur in pœnam, maximè si iniungantur ex affectũ præcisè puniendi. Quia videlicet eatenus secũ agitur vt cũ bruto, & infra dignitatem naturæ rationalis secundũ se. Ob similem rationem quæ quis sponte sua paratus erat facere, aut omittit, aut exequitur illibenter accedente iussione, & directione alterius, si aliunde non accrescat aliud bonum, in quod ipse afficiatur. Quia videlicet eaten⁹ secum agitur vt cũ minus sufficiente sibi, atque indigente præcepto, & directione alterius. Est autem de ratione iustitiæ particularis simpliciter, & strictè talis, maximè verò commutatiuæ, vt ius suum vnicuique tribuat, suum vtique suitate proprietatis; & rursus est de ratione huius iuris vt inseruiat vtilitati propriæ subiecti, cui inest, vti sæpè dictum est. Hoc autem nequaquam conuenit dignitati, seu quasi dignitati ad pœnam prouenienti ex delicto vt liquet ex discursu facto; & ex eo præterea, quia licet ob indispoli-

tionem animi, quæ cernitur in delinquente prauideatur pœnam non esse ipsi profuturam, infligitur nihilominus, quando est pura pœna; Quandò verò non est pura pœna non pertinet eatenus ad iustitiam punitiuam eius inflictio, sed vel ad charitatem, vel ad misericordiam, aliamue similem virtutem. Ergo iustitia punitiua, pro vt comparatur cum eo qui punitur, nec est eadem cum iustitia commutatiua, nec est species iustitiæ particularis propriè & strictè.

Verum neque relatè ad Rempublicam, cui obstringitur iudex ex officio ad vindictam & punitionem delictorum, neque relatè ad indemnitatem personæ particularis pēdentem ex punitione delicti, est actus iustitiæ commutatiuæ punitio delicti. Sicut enim Dux militiæ, etiamsi paciscatur cum Rupublica de eius incolumitate aduersus inimicos, pugnat nihilominus cum hoste, & victoriam nanciscitur per virtutem fortitudinis, & non per virtutem iustitiæ cōmutatiuæ; ita etiam Iudex, vtcumque paciscatur cum Republica, exequitur immediatè, & formaliter punitionem per iustitiam vindicatiuam habentem pro motiuo formali honestatem proportionis inter pœnam, & peccatum, & non ius proprietatis conueniens, aut communitati, aut cuiquam personæ particulari. Punitio enim ex sua ratione formali nulli tali iuri immediatè satisfacit, sed habet honestatem suam peculiarē independentem immediatè, & formaliter ab omni iure proprietatis. Quare pactum initum cum Republica à Iudice, & obligatio inde resultans ad indemnitatem ipsius Reipublicæ, & personarum particularium pē-

dentem

dentem à punitione solum efficit, vt Iudex per virtutem iustitiæ commutatiuæ possit imperare actum punitionis quem deinde immediata exequatur iustitia vindicatiua; non verò vt iustitia cōmutatiua immediate moueatur propria; & peculiari honestate punitionis; quod tamen necesse esset vt iustitia commutatiua sibi asciscceret actum punitionis, vt indistincta à vindicatiua sub aliquo eadem respectu, & comparatione. Igitur iustitia vindicatiua adæquatè est extrà totū genus iustitiæ particularis tam relatè ad eū qui ponitur, quàm relatè ad quoslibet alios; atque ita docet D. Thomas ex professo toto illo art. 2. quæst. 108.

Ad 1. æqualitas propria iustitiæ commutatiuæ est Arithmetica, eaque nō inter res secundum se, sed cum respectu ad iura cuiusque, vt dictum est quæst. 9. æqualitas autem inter peccatum & pœnam est solum proportionalis, nec eam mensurat ius vllum proprietatis immediatè, & formaliter.

Ad 2. vt Iudex teneatur ad restituendum damnum emergens ex impunitate non necesse est punitionem pertinere ad iustitiā commutatiuam directe & immediate; sufficit enim, si ab ea dependeat mediatè per modum imperantis. Neque quidquam aliud docet eo in loco D. Thom. sed hoc ipsum omninò. Solet hic quæri similiter an iustitia legalis sit species iustitiæ particularis seu simpliciter dictæ. Verum de hac re dictum iam est oportunè, & ex professo quæst. 11. Quare cum nulla præterea species iustitiæ explicanda supersit; nec circa iniurias specialiter contradicentes iustitiæ, aut distributiuæ, aut commutatiuæ quidquam specialiter occurrat, vltra ea quæ superius di-

cta sunt circa iniurias in communi, quod ad intelligentiam reparationis earum conferre possit, oportet hanc ipsam reparationem immediatè annectere.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum Restitutio sit voluntas ius suum prius læsum vnicuique tribuendi?

VIDETVR non esse 1. Quia restitutio est actus iustitiæ particularis. Ergo habet idē motiuum adæquatum quod habet iustitia particularis. Dictum autem est motiuum adæquatū iustitiæ particularis esse ius vnius cuiusque secundum se. Ergo idem eodem modo sumptum, & non prout læsum formaliter est etiam motiuum adæquatum restitutionis relatè, ad quod quidditas eius exponi & definitio eius tradi debet.

2. Restitutio satisfacit ei, qui passus est iniustitiam quoad totum nocumentum inde resultans, & quoad totum ius conueniens eidem aduersus agressorem: Patienti autem conuenit ratione iniuriæ ius quoddam peculiare aduersus agressorem quod antea non habebat, quodque proinde lædi non potuit tēpore iniuriæ illatæ. Quia iniurians vltra rem ablatam tenetur ad pœnam subeundam, & ad placandum iniuriatū, & consequenter iniuriatus acquirit ius nouum quoad hoc. Ergo restitutio non tribuit solum ius prius læsum.

3. Si

3. Si restitutio versaretur formaliter circa ius læsum non distingueretur ab actu pœnitentiæ. Quia pœnitentia ex suo conceptu est virtus reparatiua iuris læsi. Certum autem est restitutionem distingui totaliter à pœnitentia.

4. Restitutio communiter definitur *redditio rei acceptæ: damni illati compensatio: inæqualitatis factæ formaliter vel materialiter contra iustitiam commutatiuam adæqualitatem reductio*: atque D. Thomas quæst. 62. art. 1. dicit *restituere nihil aliud esse videtur, quam iteratò aliquem statuere in possessionem rei suæ*. Hæc autem omnia differunt formaliter ab hoc quod est tribuere ius prius læsum, vt patet. Neque verò licet deserere aut loco mouere definitiones communes.

R. Eadem est ratio non lædendi ius alterius, & postquam læsei is reparandi. Vtrũque enim præstatur ex eodem motiuo seruandi æqualitatem: & ne alter iacturam in bonis suis, iurisque sui læsionem patiatur. Quapropter actus nolendi inducere inæqualitatem contrariam æqualitati, seu non inæqualitati præexistenti, & actus volendi inducere æqualitatem contrariam inæqualitati præexistenti; hoc est volendi restituere, sunt eiusdem speciei & perfectionis, solumq. differũt logicè quatenus volũtas restituẽdi est superatiua difficultatis illius specialis, quæ inest retractationi prioris propriæ voluntatis damnificatiuæ; vtpote placentis per seipsam damnificanti, indeque allicientis ad continuationem sui, & consequenter reddentis specialiter difficilem amissionem sui, & retractationem: Displicet enim necessariò dimittere quod placet habere, & iam habetur cum complacentia. Hoc autem pacto habetur quilibet actus

voluntatis, & nō potest aliter haberi; ideoque non potest retractari absque speciali aliqua difficultate distincta ab ea, & super addita vltra eam, cum qua initio omissus fuisset idem actus superata ea sola difficultate omittendi quam ingerebat motiuum eiusdem actus secundum se.

Hinc perspicitur non rectè eos facere, qui ex eo probant pœnitentiam esse specialem virtutem distinctam à ceteris omnibus virtutibus, quia est superatiua specialis difficultatis consistentis in retractatione prioris voluntatis peccaminosæ. Si enim hæc ratio valeret, admittenda etiam esset virtus specialis pro opere restituendi, nec restitutio esset actus proprius iustitiæ commutatiuæ. Quod est contra communem Theologorum omnium consensum cum D. Thoma loco nuper indicato. Et quidem merito, quia virtutes non distinguntur specie inter se & à vitijs omnibus cōtrarijs ex difficultatibus quas vincunt, sed ex causa & motiuo vincendi. Hinc enim habent totam suam perfectionem, ideoque & speciem. Certè difficultas specialis proueniens ex adhæsione ad motiuum & opus vitij contrarij vnicuique virtuti, atque ex habitu vitioso comparato per actus repetitos ipsius, non potest esse materia propria alterius virtutis specialis. Quia munus proprium cuiusque virtutis est resistere vitio contrario, non solum vt non existat, vtque nulli actus eliciantur pertinentes ad illud; sed etiam vt postquam extiterit, aboleatur per actus contrarios; & sæpe acquiritur virtus animo iam præoccupato per vitium contrarium, atque ideo acquiritur per actus superantes difficultatem specialem consistentem in retractatione prio-

priorum actuum vitiosorum, alias nulla virtus acquiri posset ab eo, qui antecedenter contra ipsum peccasset; Nec virtutes possent esse admodum vtiles, vsusque frequentis, & idoneæ respectu fragilitatis humanæ vsque adeò mutabilis, labilis in malũ, & emendabilis; sed magis forent propriæ, & accommodatæ respectu immutabilitatis Angelicæ. Igitur restitutio est actus proprius iustitiæ contra quam prius peccatum fuit, seu materialiter, seu formaliter.

Obseruandum est restitutionem aliquando confundi cum satisfactione; aliquando vsurpari, vt distinctum ab eadem. Nam qui debitum soluit, aut rem furto sublatam restituit dicitur satisfecisse creditori & vero domino. Qui verò contumelia aliquem affecit, tametsi compensauerit nocumentum honoris; dicitur nihilominus nondum satisfecisse iniuriam passo, si nondum præstitit quantum sufficit ad eum placandum, & auferendam offensionem hærentem animo ex memoria contumeliæ. Quod ex eo prouenit quia aliquando satisfactio sumitur latè pro reparatione inæqualitatis consistentis in rebus exterioribus, & in operationibus, quæ versantur circa illas: atque hæc reparatio propriè est restitutio; aliquando verò satisfactio sumitur strictè pro reparatione inæqualitatis consistentis in passionibus interioribus, & in actionibus, quæ versantur circa ipsas, atque hæc reparatio, vti est satisfactio propriè & strictè, ita est restitutio latè & impropriè.

Contingit autem dari restitutionem absq; satisfactione propriè & strictè sumpta; & è conuerso dari istam satisfactionem absque restitutione propriè & strictè tali. Contingit etiam vtramque coniunctim exhiberi.

Nam qui muutū reddit ex. g. verè restituit, & tamen non satisfacit propriè, & strictè, nec satisfacere sic potest; Quia nulla præcessit offensio. Qui verò violenter abstulit ab aliquo rem suam, potest humiliando se illi eum sibi conciliare, & remouere offensionem animi subortam ex violentia, & ex contemptu peculiari offensi in illa incluso; tametsi rem sublatam non restituat vel differat restituere, quia offensus illam contemnit, nec vult repetere, sed sponte condonat; vel quia alia de causa iustè differtur restitutio. Si denique in eodem casu, & res sublata ad dominum redeat, & idem dominus placetur ac reconcilietur submissione offensoris, simul dabitur restitutio, & satisfactio, vtraque propriè strictè talis. Quæ omnia tradit admodum distinctè D. Thomas in 4. dist. 15. quæst. 1 art. 5. ad quæstiunc. 1.

Itaque inter restitutionem, & satisfactionem propriè ac strictè tales hoc est discrimen, quod restitutio fit gratia eius, cui fit; satisfactio verò exhibetur potissimum gratia eius, à quo exhibetur. Quia restitutio reparat ius alterius, ac proinde aufert inæqualitatem præcisè, quatenus nocentem alteri, ius etenim proprietatis esse illæsum, vel reparatum illius tantum directè interest, cui inest idem ius. Satisfactio verò aufert offensionem alterius aduersus ipsum satisfacientem, eandemque liberat à pœna debita suæ iniustitiæ, vt dicit D. Thomas loco citato. Plurimum autem cuiusque interest non habere quemquam alium offensum aduersus se, & liberari à pœna sibi debita subrogato in locum pœnæ aliquo alio facilius præstabili, minusque nocenti. Fauet igitur satisfactio satisfacienti, vel soli, vel præcipuè; restitutio verò soli offenso, & non offenden-

fendenti, ac restituenti. Restitutio enim liberat offendentem solùm ab augmento pœnæ & offensionis alienæ, idest a malo nondum incurso: satisfactio verò liberat eundem à malo, cui iam suberat. Igitur restitutio tantum negatiuè fauet restituenti: satisfactio verò fauet positiuè satisfacienti.

Ex his distinguenda venit duplex displicentia ac pœnitētia de actione iniusta. Quarum altera dolet de ea actione quatenus nocente iniuriam passo; & quia displicet nocumentum alterius, inducit restitutionem, per quam illud reparatur. Atque hæc displicentia seu pœnitentia est propria virtutis iustitiæ, vt dictum est, nec nomine pœnitentiæ communiter intelligitur. Altera displicentia, ac pœnitentia longè diuersa à priori est, quæ dolet de eadem actione iniusta quatenus nocente ipsi, qui fuit iniustus & iam est pœnitens; & quia displicet proprium nocumētum, vtque illud amoueat inducit satisfactionem eius, qui passus est iniuriam, impeditiuam pœnæ imminentis ex eiusdem offensione. Atque huiusmodi displicentia seu pœnitentia est actus virtutis specialis distinctæ à virtute iustitiæ, & ab aliis, quæ per alias voces communiter significantur, & intelligitur nomine pœnitentiæ simpliciter.

Respectu huius pœnitentiæ satisfactoriæ prior illa pœnitentia præcisè restitutiua, non comparatur vt pars, sed vt præambulū quoddam, vt ait D. Thomas eodem in loco. Prius namque est per se cessare ab inferenda iniuria, & nocumento, quod præcisè præstat restitutio, quam auferre iustam offensionem ac indignationem alterius & impedire pœnam sibi debitam, quod præterea præstat pœnitentia. Nec enim fieri potest,


vt quis auferat offensionem alterius, & dignitatem pœnæ, quin cesset ab inferenda iniuria, vt patet; nec potest ab ea cessare per se loquendo, licet possit per accidens, quin restituat. Potest verò è conuerso cessare ab inferenda iniuria reparando prioré rerum inæqualitaté, quin propterea auferat offensionem. Offensionem enim fundat non solum iniuria præsens nolentis restituere, sed etiam purè præterita perseuerans in memoria iniuriam passi, & incótemptu habituali iniuriantis respectu iniuriati, & nondum placati prout oportet per obsequium iniuriantis.

Nimirum, qui lædit ius alterius, eo ipso contemnit illum iniustè. Agit enim aduersus præeminentiam eius in re sua, (quam præeminentiam dictum est quæst. 2. & 5. esse de ratione iuris proprietatis, seque illi præfert in eadem re, eam sibi vsurpando tanquam domino, & præeminenti, cum non sit dominus, nec in ea re præemineat; sed sit inferior altero. Quare, præter restitutionem rei iniustè ablatæ, debet auctor iniustitiæ, vel exhibere satisfactionem per humiliationem voluntariam, qua tantumdem demittatur atque se extulerat iniustè, vel subire pœnam per humiliationem inuoluntariam, qua vilescat sub eadem proportione iuxta dicta de natura culpæ, & pœnæ in quæst. præcedenti. Constat igitur ex ijs omnibus in quo formaliter cósistat restitutio & quomodo differat à satisfactione propriè & strictè sumpta, atque ab actu pœnitentiæ; & cuius vtraque virtutis sit actus; atque vltimò concluditur legitimè definiri restitutionem per actum seu voluntatem tribuendi vnicuique ius suum præsupposita per læsione eiusdem iuris.

Ad 1.

Ad 1. Actus seruans illæsum ius alterius, & actus reparans ius alterius prius læsum habent idem motiuum adæquatum, eandemque proinde perfectionem adæquatam, vt dictum est vnde vterque actus pertinet ad eandem virtutem iustitiæ; Sed differunt logicè quatenus actus reparatiuus iuris læsi refertur intrinsecè ad difficultatem retractandi priorem voluntatem iniustam, estque intrinsecè separatiua eiusdem difficultatis. Quapropter in definitione notatur ius læsum ad exprimendam differentiam eam logicam non ad significandum motiuum diuersum. Nec enim difficultas habet rationem motiui, sed potius auersiui respectu actus emendatiui. Ad 2. & 3. patet ex dictis.

Ad 4. omnes illæ definitiones conueniūt reipsa inter se, & cum nostra. Atque in idem omninò recidunt ex intentione suorū auctorum, nec controuersia vlla esse potest nisi leuis, aut potius purè vocalis. Placuit tamen formulam peculiarem adhibere, quæ præ cæteris consonaret definitionis superius datæ circa iustitiam, cuius vnum opus est ipsa restitutio; quæque non solum exprimeret materiam circa quam, sed magis motiuum formale, idque affectum ea circumstantia relatè ad quam differt restitutio ab alijs actibus iustitiæ: Quæ duo non adeò formaliter exprimuntur per alias definitiones.



QVÆ-

QVÆSTIO XXIV.

Vtrum obligatio restituendi fundetur in re accepta, & in iniusta acceptione?

VIDETVR non fundari 1. Quia fieri potest vt accipiens rem alienam, tametsi iniuste acceperit, ad nullam nihilominus restitutionem teneatur. Quia fieri potest vt res accepta intereat apud accipientem, absque vlla eius libertate & noua culpa, vt potè similiter interitura apud dominum vi causarum naturalium, aut alias fortuitò. Quo euentu non est obligatio restituendi. Ergo non est de conceptu, aut acceptionis rei alienæ, aut etiam iustæ acceptionis, vt fundet obligationem restituendi.

2. Iniusta acceptio continetur in re accepta, tanquam species in genere. Fieri namque non potest rem esse acceptam quin detur acceptio, cuius vna species est, vt sit iusta, alia vt sit iniusta. Ergo illa diuisio fundamenti est vitiosa, & dici potius debuisse; omnē obligationem restituendi fundari in sola acceptione rei alienæ; quandoquidem hæc acceptio, siue iniusta sit, siue non sit fundat dictam obligationem, neque quidquam aliud fundare eam potest.

3. Dantur leges, atque adeo obligatio de reparando damno illato absque vlla culpa per seruum aut animal, aut etiam aliquid inanimatum ipsius obligati ad reparandum. In hoc autem euentu nulla est acceptatio.

aut res accepta. Ergo datur obligatio restituendi absque fundamento quod proponitur vt adæquatum.

R. Duæ communiter assignantur radices restituendi complectentes adæquatè omnem restitutionis faciendæ obligationem. Prima est res accepta, seu acceptio rei alienæ. Secunda est iniusta acceptio, seu acceptio formaliter culpabilis rei alienæ quatenus alienæ. Ex re accepta tametsi inculpabiliter accepta sit, ab existimante falsò, sed inuincibiliter rem esse suam, vel quocumque alio modo illa accesserit ad res eius, atque in ipsius potestatem venerit, oriri obligationem restituendi vero domino, quandocumque innotuerit rem esse alienam, manifestum est. Quia dum res est aliena, eo ipso subest iuri alterius includenti in se, vt dictū est supra legem fauorabilem respectu ipsius, & grauantem reliquos omnes in fauorem eiusdem; atque adeo fiet contra obligationem, quam ea lex imponit, si res non restituatur ei, cuius reipsa est.

Manifestius quodammodo est ex iniusta acceptione oriri obligationem restituendi. Quia iniustum est, vt quis iacturam suorum bonorum, suorumque iurium diminutionem patiatur præcisè ob iniquitatem alterius. Pateretur autem manifestè si acceptio iniusta non gigneret obligationem restituēdi. Et, quod æquè absurdū est fieret vt lex absolueret liberaretq; agentē iniustè ab eo onere & iactura, quibus grauaret patientem innocenter. Dictum præterea est quæst. 15. ius per iniuriā auferri minimè posse. Ergo non obstante iniusta acceptione perseuerat ius in eo, cuius res accepta fuit. Perseuerante autem iure aliquo in aliqua persona non potest non perseuerare in quolibet alio ob-

ligatio

ligatio relinquendi illi liberum terminum eiusdem iuris. Quia ibidem dictum est ius absque iniuria lædi non posse.

Inter obligationem ortam ex re accepta, & eam quæ oritur ex iniusta acceptione, existit insigne quoddam discrimen. Nempe obligatio restituendi ex re accepta tamdiu solum durat, quamdiu res ipsa durat, vel formaliter, vel æqualiter, hoc est in se vel in aliquo suo effectu transferribili in alium. Nam quando res bona fide consumpta est, aut quomodolibet desijt possideri, nulla amplius superest obligatio restituendi, si eius consumptio aut desitio possessionis non relinquat aliquem fructum, seu effectum, quo qui accepit, ditior factus sit. Ratio huius exceptionis est, quia effectus rei computatur moraliter pro reipsa; nec par est, vt quis fiat ditior ex re aliena, reddito inde pauperiore vero domino. Vnde si quis bona fide vendidit equum non suum, debet pretium domino, si & pretium non interierit, nec aliquod inde supersit emolumentũ, & sic de similibus. Ratio verò regulæ est, quia nemo debet pati iacturam in rebus suis absque sua culpa vel libero suo consensu saltem implicito. Pateretur autem si pereunte aut abeunte re aliena, nullaque inde extante vtilitate propria, deberet nihilominus rem suam illi substituere in beneficium alterius. Quare ille alter cuius erat res consumpta aut amissa perindè affici debet, atque si causa aliqua necessaria fortuito illam absumpsisset; cum cæteris paribus præferatur, non possidenti, qui possidet.

At iniustè accipiens tenetur ad restitutionem, tametsi res accepta interierit, nec eius interitus fuerit conseruatio rei propriæ nec vllum post se reliquerit effectum,

per se vtilem, sed solum inseruierit explēdæ libidini accipientis. Nempe iniquitas soli debet nocere iniquè agenti, & non innocēter patienti. Deindè qui iniustè perdidit rem alienam, ea vsus est sciens & volens tanquam propria. Postulat autem lex iustitiæ constituens æqualitatem inter partes, vt iniuriam passus vtatur vicissim re iniuriantis tanquam propria, eamque numeret inter res suas perinde subiectam liberæ ipsius facultati, atque subiecta fuit res sua liberæ facultati iniuriantis. Quare qui segetes alterius combussit, aut equum occidit, tenetur reponere domino quantum valebāt, & sic de similibus.

Iam verò nullam esse obligationem restituendi præterquam ex re accepta, & ex iniusta acceptione inde ostendi potest. Quia is cuius nomine detinentur, nec ab vllo iniuriam circa circa illas passus est, necesse est vt vel habeat apud se res omnes suas, vel eas, earumue partem ita amiserit absque cuiusquam culpa præterquam forte sua, vt apud neminem extent neque formaliter neque æquiualenter. Et si quidem eas omnes apud se habeat, patet nullum esse restitutioni locum; quia nulla erit inæqualitas, quæ per illam reparetur. Si verò non habeat res suas, idque contigerit absque cuiusquam culpa vel detentione; quod minus habeat, sibi tribuere debet, si liberè distraxit; sin minus, Deo & causis necessarijs ab eo dispositis, aut causis secundis liberis quidem, sed perinde se habentibus, atque si essent necessariæ. Patet autem neminem cuiquam teneri posse ex iustitia ad reparandum damnum quod vel sola sua vel sola diuina volūtate sibi contigit nulla alia interueniente causa libera, vt libera. Quia Deus neminem

obligat

obligat ad emendandum, seu reparandum cum proprio nocumento, quod alter peccauit, vel Deus ipse disposuit, voluitque positiuè. Quod si quis hoc modo incidit in extremam necessitatem, adest quidem obligatio subueniendi illi, sed perindè omninò, atq; si nihil vnquam habuisset, aut amisisset; ac proinde ex misericordia vel charitate nõ attendente per se & ratione sui ad fortunã præcedentem, nec determinante per se personam quæ obligetur, prout attendit ac determinat restitutio, & reparatio damni, quatenus talis est & pertinet ad iustitiam particularem.

Omnis igitur obligatio restituendi fundatur adæquatè in re aliena accepta, & iniusta acceptione rei alienæ. Obseruandum autem est sub iniusta acceptione contineri non solum actionem eius qui directè intendit & culpabiliter induxit positiuè damnum alterius ex ea intentione; sed etiam eius, qui indirectè illud induxerit per negligentiam, aut omissionem culpabilem formaliter quatenus tale damnum subsequutum est. Quia negligentia, & omissio culpabilis æquiparantur voluntati positiuæ iniquè nocendi. Nempe vtrouis modo æquè contemnitur lex fauens iuri patientis damnum, ipsique iuri cõtradicitur æquè.

Ad 1. quando res aliena interit apud illũ qui illam accepit, perinde interitura apud dominum, nihil sibi inde ille censetur accepisse alienum; quia nihil re ipsa alienum detinet amplius vllo modo.

Ad 2. Expositum iam est discrimen reale inter obligationem restituendi ex iniusta acceptione & ex acceptione non iniusta. Vnde nomine rei acceptæ, dum contraponitur iniustæ acceptioni, intelligitur acceptio

non iniusta, seu materialiter tantum iniusta. Quo pacto sūt duæ species acceptionis, quæ significantur in illo communi modo loquendi. Dicatur nihilominus claritatis gratia, si placet, obligationem restituendi fundari adæquatè in acceptione rei alienæ tum formaliter iniustà, tum materialiter tantum iniusta.

Ad 3. Leges præscribentes reparationem damni inculpabiliter illati, idque mediatè tantum aut non obligant in conscientia, aut obligant ad restitutionem nō nisi latè & impropriè talem vt dicetur in quæst. 26. ideoq; nihil nocent doctrinæ traditæ quæ agit de restitutione propriè tali.

QVÆSTIO XXV.

Vtrum vltima resolutio obligationis restituendi fiat in commutationes voluntarias & inuoluntarias?

VIDETVR non fieri, atque quæstionem laborare falsa suppositione. 1. Quia commutatio est nomen significatiuum operationis humanæ, vt humana est in duabus vt minimum personis, ab alterutra circa alterā existentis. Quando autem aliquis vtitur re alterius, vel persona, vel opere eo inuito (quo in euentu dicitur interuenire commutatio inuoluntaria) datur quidem operatio humana, & libera ex vna parte, nempe ex parte vtentis iniustè; at ex parte altera patientis

tientis damnum nulla datur operatio humana, sed perinde agitur cum ea, atque si esset rationis ac libertatis expers, aut res prorsus inanimata. Cogitur enim, aut ne cogitur quidem sed prætermittitur, ac si nó esset in rerum natura. Abusiue igitur & absq; vllo legitimo fundamento videtur dici commutatio eiusmodi vtriusque personæ vicissitudo, ratione cuius altera purè patitur.

2 De ratione commutationis est, vt vtriuis commutantium aliquid decedat, & aliquid æquiualens accedat de nouo. Quando autem aliquis rem alterius vsurpat absque eius consensu, aut eum pulsat, aut opere eius nolentis abutitur, nihil de nouo accedit patienti æquiualens illi quod accedit iniurianti. Illi enim sola accedit iniuria, & diminutiò bonorum; huic autem accedunt bona ipsa aut delectatio lædendi. Inter quæ sanè nulla est æquiualentia. Et tamen inde oritur obligatio restituendi. Ergo ea subsistere potest absque vlla prorsus commutatione; imò ideo maximè subsistit quia non datur commutatio, sed sola mutatio negatiua in vno extremo, & positiua in alio.

3. Pertinet similiter ad conceptum commutationis obligatio constituendi æqualitatem inter ea, quæ commutantur, vtque ea obligatio resultet ex voluntate ipsorum commutantium qua velint subire vnusquisq; & inuicem imponere talem obligationem. Si enim obligatio aliqua mutua imponatur duobus, sola alterius tertiæ personæ voluntate, non dicuntur illi duo commutare, sed pati rerum suarum mutationem. Quando autem vnus infert iniuriam, & alius patitur ex neutra parte datur voluntas inductiua obligationis. Is enim qui patitur sæpe est ignorans eius, quod agitur, ac proinde nul-

lum

lum habet actum voluntatis quo imponat obligationem restituendi. Vnde patet; etiam quando scit ac renititur, exercetque volũtatem intentiuam obligationis, & rei suæ, independenter ab ea eius voluntate resultare obligationem restituendi. Iam qui infert iniuriam, eam habet voluntatem alterũ spoliandi, vt si posset eum spoliaret iure suo, sicut spoliat termino iuris, seque liberare ab obligatione reparandi iniuriam, id procul dubio præstaret. Ergo neque hic habet voluntatem inductiuam eius obligationis. Vtrique igitur extrinseca est vis inductiua obligationis, eaque proindè inducitur sola alterius tertiæ personæ voluntate. Atque hoc est magis manifestum quando obligatio restituendi fundatur præcisè in re accepta. Cuius videlicet acceptio contingit neutro sciente, aut volente saltem formaliter, ac proinde neutro cogitante de regressu rei, aut de obligatione regressus. Ergo obligatio restituendi datur sæpe nulla interueniente commutatione.

R. Philosophus cap. 4. huius quinti initio meminit distinctionis inter commutationes voluntarias, & inuoluntarias his verbis. *Restat id iustum, quod fit in emendandis commercijs, tam ijs, quæ sua sponte faciunt homines, quam ijs quæ inuitis ipsis efficiuntur.* Idem aduertit distinctius D. Thomas quæst. 61. art. 3. his verbis. *Commutatiua iustitia est directiua commutationum, quarum quædam sunt voluntariæ, quædam inuoluntariæ.* Adiungit expositionem vtrarumque dicens; commutationes voluntarias esse quando aliquis vtitur re alterius, vel persona vel opere, eo inuito, seu occultè, seu palam ac violenter; voluntarias vero esse, quando aliquis voluntariè transfert rem suam in alterum,

cum

cum onere, vt redeat vel totaliter, vel quoad aliquid saltem secundum aliquid æquiualens. Concludit autem vltimò his verbis. *In omnibus huiusmodi actionibus siue voluntariis, siue inuoluntariis est eadem ratio accipiendi medium secundum æqualitatem recompensationis. Et ideo omnes istæ actiones ad vnam speciem iustitiæ pertinent, scilicet ad commutatiuam.*

Et quidem quando voluntariè quis transfert rem suam in alterum cum onere acceptato per alterum, vt iterum redeat, vel secundum se vel secundum aliquid æquiualēs facilè percipitur ratio commutationis. Quia existit vtrimque mutuus consensus æqualitatis constituendæ circa rem aliquam remanente penes alterum iure illius, & penes alterum re ad priorem reditura vel secundū se, vel quoad aliquid æquiualens. Quod planè sufficit, vt res de vno ad alterum ita mutetur, vt commutetur cum æqualitate. Ius namque rei ipsi rei æquiualere censetur quoad aliquos effectus, maximè verò quoad commutationes. Quæ videlicet non transferunt inuicem res in eodem momento, & tamen cum iustæ sint, æqualitatem, qua iustitia subsistit, in eodem momento constituunt. Nec enim iniuriam vel per vnum momentū inducunt, seu materialiter seu formaliter. Id verò fieri minimè posset, si ius rerum rebus ipsis non æquiualeret moraliter quoad subsistentiam & æqualitatem contractuum. Hoc autem ex eo prouenit, quod obligatio vt res alicui ab aliquo detur fūdata in illius iure perindè æstimatur, atque obligatio, vt res eadem iam habita eidem ab eodem non auferatur. Vtrobique enim vtilitas vnius cuiusque pendet à voluntate alterius physicè, libera, solumque obligata per legem & ius.

Quoad

Quoad cōmutationes inuoluntarias paulò occultior est doctrina Philosophi & Diui Thomæ. Pro earum igitur claritate obseruandum est iuxta dicta & fusè declarata in quæst. 15. Omnes homines conuenire in volenda propria felicitate, & consequenter in volendis ijs omnibus, quæ ad felicitatē sunt necessaria. Quapropter, cum præsens hominum felicitas consistat in vita sociali colligata vinculo mutuæ pacis ac beneuolentiæ, necesse est aliquam in ipsis existere voluntatem qua velint efficaciter ea omnia, sine quibus mutua eadem pax, tranquillitas animorum, ac beneuolentia subsistere minimè possunt. Manifestum autem est contrariari mutuæ paci, tranquillitati animorū, ac beneuolentiæ actionem iniuriosam, qua quis insidiatur bonis alterius, eaque imminuit; nec redire posse eam mutuam coniunctionem, nisi cessante ea dissidiorum causa; idest nisi facta restitutione. Omnes igitur homines conueniunt in habenda aliqua voluntate, qua nolint actiones iniustas, & quæ velint reparationem iniustitiæ, si quidem actiones iniustæ præextiterint.

Istam porro hominum voluntatem sua Deus voluntate, quæ lex est creaturarum, munit; tum quia illos in eundem illum finem proximum creauit; ideoque necesse fuit, vt eadem illa ad eundem finem necessaria similiter vellet voluntate antecedenti: tum quia homo vtpote rationis & libertatis particeps factus est ratione sui, hoc est amore beneuolo ac amicabili, cuius ea natura est, vt faciat conformare inclinationem, & voluntatem amantis cum voluntate & inclinatione amati quatenus conferente ad felicitatem ipsius: ideoque necesse fuit vt quæ vnusquisque hominum sibi vult in ordine

ad suum verum bonum, hoc est felicitatem veram, eadem Deus illi vellet, atque hac sua voluntate erga singulos obligaret reliquos, ne illis impedirent, quæ sunt ad eandem felicitatem necessaria.

Atque hæc est ratio, ob quam documentum illud; *quod tibi non vis alteri ne feceris*, coincidat cum lege naturali, coordinante homines inter se, sitque compendium eius, & viuissima expressio. Nempe hoc quod dicitur; *quod tibi non vis*, accipiendum est de ea voluntate, quia sibi quisque vult veram felicitatem, & quæ ad eam sunt necessaria. In ista namque voluntate omnes homines conueniunt cum discrepent in ijs, quæ ad eandem felicitatem non pertinent, sed potius illi repugnant. Quare si quidem Deus erga omnes vniuersaliter homines beneuolum & amicabilem affectum gerit, dum in eo statu perseuerant, in quo ab ipso creati sunt, nec potest habere voluntatem, & affectum aliquem, quo efficaciter aduersetur alteri suæ voluntati & affectui, ideoque nec potest velle, quod est fini per ipsum intento contrarium, fit planè, vt dissidentes duorum hominum voluntates non possint ambæ habere opitulantem sibi diuinam voluntatem, sed vtrisque aduersantem, vel saltem alteri, pro vt contigerit vtrumque, vel alterum tantum ita inuicem aduersari, vt simul diuertant ab ea prima voluntate, qua communem veram felicitatem concorditer complexi sunt, eidemque voluntati contraria velint.

Constat igitur in commutationibus, quas Philosophus & D. Thomas dixere inuoluntarias, non deficere mutuum consensum, vi cuius subsistant, & sint actiones propriè humanæ valentes inducere vi sua obligatio-

nem

nem reparandi æqualitatem sublatam. Tametsi enim is qui patitur damnum absolutè nolit actionem damnificantis, eaudemque, nollet, quin inculpabiliter inducit inæqualitatem præcisè ratione rei acceptæ; Supposita tamen illatione nocumenti vult, qui illud passus est, superesse sibi ius ad reparationem inæqualitatis. quod, vti dictũ, æquiparatur rei terminanti idem ius; [atque in hoc idem ius reparationis consentit auctor etiam ipse inæqualitatis, quando inculpabiliter eam inducit. Licet autem iniustus, ac culpabilis auctor inæqualitatis nollet ea voluntate, qua inducit inæqualitatem, vt superesset læso ius reparationis; nihil tamen efficere sua ista voluntate potest. Quia habet eatenus sibi contradicentem, vt dictum est diuinam voluntatem, vi cuius opitulantis nostræ inclinationi ac voluntati omnia demum iura subsistunt. Manet proindè obligatus ad reparationem iuris læsi ac si in eam obligationem consentiret illa ipsa voluntate, qua lædit. Quia consensit in illam voluntate illa generali eademque irreuocabili communis felicitatis & mutuæ pacis ac tranquillitatis, quam voluntatem Deus sua voluntate stabiliuit ac præmuniuit, vt dictũ est. Vnde auctor iniustitiæ nulliter postea concipit voluntatem ablatiuam iuris alieni; imò hac ipsa voluntate apponit conditionẽ, vt consurgat in læso nouum quoddam ius, quod antecedenter ipsi non inerat absolutè; nimirum, vt is qui læsit, retractet suam iniustam voluntatem, & superet difficultatem specialem, quæ inest eidem retractationi.]

Hoc autem totum prouenit ex voluntate illa generali quæ est communis auctori iustitiæ cum patiente iniuriam; nec non cum eo qui inculpabiliter accipit rem alienã. Quare

in nullo euentu acceptionis rei alienæ & iniustæ acceptionis deest mutuus consensus absolutè, & simpliciter in obligationem restitutionis & reparationis damni, siue iustè, siue iniustè illati, ratione cuius voluntatis & consensus existente apud aliquem re aliena seu formaliter, seu æquiualenter modo explicato in quæst. præcedenti, eo ipso superest in domino rei ius ad rem recuperandam; hoc est aliquid moraliter æquiualens rei ablatæ quoad æqualitatem quæ est de conceptu commutationis. Constat igitur ex his omnem obligationem restituendi vltimo resolui resolutione vltima infra Deum ad commutationes humanas voluntarias & inuoluntarias. Et quidem facilè apparet huc tandem reuocari duas illas radices obligationis restituendæ, quæ ex communi omniũ consensu propositæ sunt in quæst. præcedenti. Ideo enim ex re accepta oritur obligatio restituendi, quia vnusquilibet antecedenter ad euentum accidentalem transitus rei suæ in alium, vult, vt res sua, dum in se formaliter, vel in suo effectu vtili æquiualẽter existit, atque perseuerat in ratione suæ; hoc est non donatur ab ipso, aut vtcũque sua voluntate formaliter, vel æquiualẽter non transfertur ad alium. Vult inquam, vt ad ipsum redeat, atque oppositum si fiat, eo ipso dissoluitur ex natura rei mutua pax & beneuolentia. Similis est ratio de restitutione ex iniusta acceptione. Antecedenter enim ad iniustam acceptionem, & ad disconformitatem, quam formaliter constitui voluntas iniustè accipiendi, & inducit iniusta ipsa acceptio, omnes in hoc conueniunt vt nolint iniquitatem alterius sibi nocere: & si quidem nocumentum illatum fuerit; velint illud quamprimum reparari. Hoc enim

enim omnium interest, & quidem æqualiter, idemq; Deus vult voluntate sua legislatiua. Hæc igitur antecedens, vniformis, & legitima omnium hominum voluntas munita lege Dei & essentialiter irreuocabilis est prima radix omnis obligationis restituendi, eademque constituit in ratione veri contractus acceptionem rei alienæ siue culpabilē, siue inculpabilem formaliter.

Ad 1. Licet aliquādo desit voluntas actualis restitutionis in eo, qui patitur iniuriam; adest tamen voluntas habitualis neque retractata neque retractabilis reditus rei suæ, dum in eodem perseuerat, ius ad illam, nec illi renunciat. Sufficit autem ad veram rationem commutationis voluntas habitualis, vt notum est in alijs quoque contractibus.

Ad 2. In eo, cuius res accepta est ab alio, superest ius, vt eadem ad eundem redeat, & in accipiente consurgit obligatio eandem restituendi. Dictum autem est ius hoc & obligationem æquiualere rei ipsi, quod ad æqualitatem attinet commutationis.

Ad 3. Patefactum iam est quo pacto obligatio restituendi semper ac necessariò fundetur in voluntate tam eius qui debet restituere, quam eius, cui debet fieri restitutio. Vndè commutatio inter vtrumque interueniens non propterea dicitur inuolūtaria, quia nulla datur vtrimque voluntas commutationis faciendæ. Datur enim vt patuit. Dicitur igitur inuoluntaria, quia eius executio supponit vtrimq. aliquid simpliciter, & absolutè inuoluntarium. Alter enim nollet illatum sibi fuisse nocumentum; alter nollet se teneri ad illud reparandum, seu superesse ius reparationis ei, qui passus est iniuriam, vel quod fieri potest neuter

habet vllam ea de re voluntatem actualem, & explicitam tum, cum fit commutatio.

QVÆSTIO XXVI.

Vtrum leges de reparando damno inculpabiliter illato obligent in conscientia?

VIDENTVR nullo vnquam pacto obligare in conscientia. 1. Quia ex natura rei, atque independenter à lege humana nulla est obligatio reparandi damnum inculpabiliter illatum. Ergo nulla talis obligatio in conscientia induci potest per leges humanas. Conceditur à multis antecedens, à quibus negatur consequens, aduersus quos probatur consequentia. Quia nulla existente obligatione ex natura rei reparãdi tale damnum leges obligantes nihilominus ad eius reparationem eriperent ab innocente domino ex rebus suis quantum sufficeret ad reparandum tale damnum; idest lex humana disponeret contra legem naturalem. Quod fieri non potest; quia eo ipso lex humana est nulla.

2. Diuisio rerum constituta per liberam hominum conuentionem, leges quæ indidē emanauere non abstulerunt ius naturale, quod quisque habebat ad recuperandum damnum sibi illatum ab alio siue libero, siue seruo, siue bruto, ob quod brutum inferens damnum obnoxium maneret illud patienti

secun-

secundum sui valorem vel secundum se, eademque est ratio de seruo. Ergo is, cuius seruus, aut brutum intulit damnum, tenetur nunc etiam ex natura rei vel illud reparare, vel seruum aut brutum in noxam dare. Tenetur verò obligatione in conscientia non personali, quia abest culpa vt supponitur, sed reali, quatenus seruus, aut brutum nocens eo ipso est obnoxium patienti, fitq; iuris eius. Ergo nullam in hac materia obligationem in conscientia inducunt leges humanæ, sed tota est ex iure naturæ.

3. Pugnat contra rectam rationem, nec vllo pacto honestari potest, vt qui nihil mali fecit, atque in nullo aduersus quemquam alium peccauit patiatur nihilominus iacturã in bonis suis, vt inde resarciatur infortuniũ alterius perinde casuale respectu domini innocentis atque si nihil omnino ad eum pertineret causa immediata nocumenti illati alteri. Ergo neque ius naturale ad id obligat, nec obligare possunt leges humanæ quod ad conscientiam attinet, quia sunt iniquæ.

R. Diffident auctores, circa vim obligatoriam legum quæ habentur *instit. & ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*, &. similium quas expendit inter alios diligenter Molina tom. 3. disp. 712. & 713. per quas leges præcipitur reparatio damni illati ab aliquo inculpabiliter per seruum, equum, aut etiam rem inanimatam. Certum est quando præuisum fuit illatum iri damnum, vel omninò infalliailiter, vel longè maiori cum probabilitate, idque potuit præcaueri absq; proprio nocumento proportionaliter notabili, teneri ad restitutionem eum, qui sic neglexit nocumentum alterius per rem suã. Quia nihil differt an per temetipsum noceas

an per aliquid tuum, tuæque propterea prouidentiæ subiectum: & an positiuè, ac formaliter intenderis nocere, an implicitè, & æquiualenter nocumentum volueris, aut contempseris. Vtrouis enim modo, dissoluitur mutua pax, & beneuolentia, nec vllus vellet aliū sibi esse causam damni per eiusmodi rerum suarum negligentiam, & per contemptum sui nocumenti; eundemque superesse deinde liberum ab onere reparandi læsionem. Dictum verò est in quæst. præcedenti in huiusmodi voluntate, & consensione mutua hominum fundari obligationem restituendi.

Difficultas igitur est de damno non præuiso, aut quod vitari non potuit, nisi cum damno, & incommodo proportionaliter notabili, ideoque inductū est sine culpa Theologica. Vasquez & Turrianus, censent in casu posito dari obligationem restituendi in conscientia independenter à lege humana, seu ex natura rei. Alij negant obligationē ex natura rei, & affirmant ex vi legis humanæ, etiam ante iudicis sententiam. Molina loco citato, Cardinalis de Lugo, & alij negant obligationem in conscientia, præterquam ex lege humana, idque post Iudicis sententiam.

Dicendum 1. Est non consurgere obligationem restituendi ex natura rei ob damnū inculpabiliter illatum. Suadetur hoc, quia omnes ægrè ferunt spoliari rebus suis, earūque diminutionem pati absque vlla sua culpa, & libera actione, aut omissione, vt subueniatur iacturæ alterius, causatæ per easdē res materialiter tātum suas quoad eum effectum; quandoquidem illum induxere non quatenus subiacentes directè vel indirectè voluntati domini, sed omninò præter eius

voluntatem perindè, atque si essent alterius, aut nullius. Hoc enim pacto necesse est, vt comparentur cum volūtate domini res eius siue animatæ, siue inanimatæ; siue participes rationis, siue irrationales quoad effectum nō imputabilem domino, & quem ipse non tenebatur vitare. Non igitur consensere homines in obligationem eiusmodi reparationis.

Confirmatur; quia vnusquisque præfertur in rebus suis cuilibet alteri quoad omnia, quæ ex ipsis redundant, vt superius dictum est non semel. Ergo damnum proueniens ex re aliqua citra culpam domini grauare potius alios debet, quam ipsum dominum; nempe minus de malo, est plus de bono. Quare eadem ratione, qua omne bonum proueniens ex rebus cedit earum domino. Malum etiam proueniens ex ijsdem inculpabiliter debet ab eodem repelli. Atque hoc videtur esse iuxta vnanimem omnium consensum antequam accidat nocumentum ex rebus vnius in res alterius. Quod apparebit clarius infra dum agetur de diuisione rerum, quæ facta proculdubio est per voluntatem consulentem felicitati eius, qui in Rempublicam aliquod contulisset beneficium, ac veluti in præmium. Cui voluntati cōtradiceret voluntas statuens vt vnaquæque res domino potius noceret etiam quando damnum illatum esset præter eius voluntatem, & consensum etiam virtualē, adeòque teneret ipsum nimis sollicitum, redderetque infortunatum; vtpote patientem damnum absque actione aut omissione imputabili ipsi, qui in tantumdem officere posset non domino. Denique omnes ductu naturæ putant aliquid sibi deterius contigisse, si res aliquæ suæ rebus alijs itidem suis

officiant, quam si officiant alienis, dummodo absit culpa; quod tamen non ita æstimaretur, si deberet reparari damnum alienum, quod innocenter euenit. Obligatio enim reparandi damnum æquiualet damno; sicut in quæstione præcedenti dictum est ius reparationis æquiualere reparationi ipsi. Patet igitur hanc sententiam cõsonare ijs quæ dicta sunt circa primam radicem vniuersalẽ omnis obligationis restituendi, neque salua ea doctrina, quæ communis est, negari illam posse.

Dicendum rursus est neque leges superius memoratas obligare ex se præcisè in conscientia ad reparandum tale damnum, Quia non vbique, nec omnes cuiusque loci homines egent æqualiter stimulis ijsdem, vt sint sollicitati ac diligentes in præcauendis damnis alienis; sed alij plus, alij & alibi minus. Si autem daretur obligatio reparandi damni fortuiti ante iudicis sententiam orta præcisè ex facto ipso æquè omnes illis legibus comprehensi vbique grauarentur, ac sollicitarentur, vt patet. Id autem ipsum minime accidet, si implorandum sit officium iudicis, tum quia explicitè vel implicitè, aut æquiualẽter poterit iudex vti efficacia; cuius tamen esset periculosus, & noxius vsus, si committeretur arbitrio, vel nocentis, vel læsi, vel vtriusque; vtpote existente vtroque impedito à rectitudine iudicij & à consensu mutuo per interesse proprium; & deterioribus quibusque effusius, minusq; scrupulosè sibi fauentibus, ideoque futuris melioris conditionis, minusque grauandis: tum quia qui passus erit damnum interposita mora agendi cum iudice, deponet sensim dolorem, & vel prætermittet actionem, vel non æquè vrgebit aduersus plerumque dili-

gentis-

gentissimum; atque etiam erubescet vrgendo eundem coram iudice, quantum par esset vrgere non vsque adeo diligentem; nec habebit testes & cæteros administros æquè promptos ac paratos per se aduersus vtrosq; Idem discrimen indidem sequetur circa genus damni quod, & vbi per quam raro accidit, aut frequenter.

13 Hæc igitur omnia satis persuadent nec legislatores intendisse, vt eiusmodi leges vindices damni fortuiti ac innocēter illati obligarent in conscienria ipso facto ante iudicis sententiam, nec primæuo hominum cōsensu datam illis esse potestatem eo modo obligandi, ac proinde nec obligare sic potuisse, tametsi maximè voluissent. Certè de facto eas leges non obligare ante iudicis sententiam, hoc præterea efficacissimè probat quod obseruat Cardinalis de Lugo; nimirum eas leges hoc pacto communiter esse receptas, & neminem vllibi se agnoscere obligatum ad reparationem damni innocenter illati, antequam à iudice ad id compellatur.

Dicendum postremò est post sententiam iudicis consurgere obligationem in consciētia ad reparandum damnum prout legibus constitutum est, quia tales leges non sunt iniquæ; quæ videlicet exponūt omnes æquali periculo & spei lucri ac damni ante euentum accidentalem damnosum vni & lucrosū alteri; nec imponunt onus intolerabile, sed maximè proportionatum. Quæ secunda pars probationis ideo additur, quia non sufficit leges antecedenter seu ex natura sua, esse æquales respectu omnium, vt sint iustæ & obligatoriæ. Eadem namque æqualitas spei, & periculi daretur si præciperent, vt pro damno illato per seruum, aut brutum,

res eiectas aut effusas absque culpa domini, is ad centuplum aut millecuplum damni teneretur. Vnde patet nonnullos non satis ex ea præcisè æqualitate probare, vti contendunt, eas leges non esse iniquas. Superaddito autem onus impositum non esse intolerabile, sed proportionatum boni communis promotioni; quod ex eo efficaciter comprobatur, quia eæ leges communiter sunt receptæ, ac approbatæ; & à sapientibus conditæ fuere. Hoc, inquam, superaddito patet eas leges post iudicis sententiam obligare in conscientia. Quia quæ in bonũ commune cum legum adminiculo præcipiũtur à legitima potestate omnino obligant in conscientia; in eum si quidem finem data est potestas legislatoribus & iudicibus; isque fuit initio vnanimis omnium consensus.

Istud porro genus reparandi damnum alienum latè & impropriè, ac reductiuè tãtum est actus restituendi. Quia bonum pro cuius iactura fit compensatio, nec formaliter, nec æquiualenter transierat in compensantem, vtpote nec delectatum, nec ditiorẽ redditum eà alterius iacturà, nec alicuius inde commodi participem. Quare obligatio talis reparationis reductiuè tantum pertinet ad alteram ex radicibus obligationis restituendi communiter assignatis, nimirum ad iniustam acceptionem, quatenus perindè agitur à lege & iudice atque si interuenisset acceptio formaliter iniusta; ideoque iuridicè, & in foro externo est acceptor iniustus is, cuius res, etiam absque culpa Theologica, & imputabili coram Deo, nocumentum alteri intulere in casibus per eas leges expressis. Cœterum reipsa nihil est aliud ea reparatio damni, quam deputatio rei pertinentis ad vnum, in fauorem & ius

alterius facta per publicam potestatem ob bonum commune consistens in sollicitudine cuiusque, ne res suæ noceant alijs, quæ deputatio executioni mandanda sit per iudicem pro opportunitate in eum finem cõferente. Verum deinceps agendum erit ordine de sola restitutione propriè & strictè tali.

Ad 1. Licet leges contradicentes iuri naturæ sint iniustæ ac nullæ; non tamen sunt iniustæ ac nullæ, quæ superaddunt obligationes aliquas vltra obligaliones iuris naturalis, quatenus expediens visum fuerit bono communi. Expediens verò fuit, vt per eiusmodi leges redderentur omnes solliciti, ne ex rebus suis nocumentum in alios redundaret, vtque lites de culpa nocentis per res suas non multiplicarentur nimium, & cum nimia perplexitate. Ideò autem legislatorum & iudicum arbitrio res ista relicta est, quia non vbique gentium & omni tempore, & absque discrimine personarum est expediens eadem seueritas aut mitiitas quoad hoc. Quæ autem sunt hujusmodi nõ pertinent ad ius naturæ vbique & semper, & respectu omnium æquè vigens; nec pendent immediate à primæuo & vniformi omnium hominum consensu; sed pertinent ad legislatores & iudices, in quos cæteri quoad res eiusmodi transmisere propriæ voluntatis potestatem, ac directionem.


Ad 2. Ante rerum diuisionem imprimis non erat discrimen serui & liberi. Vndè quoad hoc laborat argumentum falsa suppositione. Atque ideò independenter à diuisione rerum, quilibet teneretur solum de damno inculpabiliter illato. Deinde neque modò leges statuunt, vt dominus teneatur de damno per seruum vtcumque illato, sed

de eo tantum, quod culpa serui illatum est. Quod autem infertur a bruto, infertur profectò absque eius culpa. Rursus brutum siue damnum intulisset, siue non intulisset, potuisset à quolibet capi, & propriæ vtilitati, ac delectationi deputari absque vllo discrimine, nec ratione damni illati specialiter maneret obnoxium patienti damnum. Neque enim propterea impedirentur cæteri ab eo occupando conuertendo in propriã vtilitatem. Denique vt ante rerum diuisionem brutum nocens maneret eo modo specialiter obnoxium patienti; non tamen idem dicendum esset indepẽdenter à legibus post rerum diuisionem. Quia ante diuisionem rerum cætera erant paria ex parte patientis, & non patientis damnum, & potuisset facilè præualere adminiculum patientiæ, & damni vtcumque tolerati. At post rerum diuisionem cætera non sunt paria ex parte domini & non domini; sed dominus præfertur quatenus alijs potius quam ipsi cedat nocumentum absque vera eius culpa causatum per res suas in rebus alienis propter rationem supra inductam. Superest itaque ratio, & materia sufficiens, vt leges inducant obligationem in re proposita peculiarem, nec subsistentem iure naturæ secundum se. Falsa igitur est suppositio argumenti, nec est bona consequentia.

Ad 3. Multis de causis publica potestas iustè potest adiudicare res vnius alteri nulla existente culpa, sed ita postulante bono communi; Postulat autem bonum commune, vt aliquando reparetur damnum etiam inculpabiliter illatum, vtque id fiat a domino rei nocentis, tametsi ipse sit innocens, vt liquet ex rationibus productis circa primũ,

QVÆSTIO XXVII.

Vtrum detur vniuersalis aliqua regula quantitatis restituendæ sub lethali?



IDETVR nullam talem regulam assignabilem esse à posteriori. 1. Quia auctores qui tentant tradere regulam eiusmodi vniuersalem, discrepant ferè omnes inter se. Quod non fieret, si daretur vnum aliquid vniuersale ac vniforme, cuius designatio posset quietare intellectum. Et propterea ea ipsa varietas opinionum parit eundem effectum quoad directionem, & praxim operationum humanarum, quem parere potest defectus realis & obiectiuus regulæ vniuersalis ex natura ipsa rei. Quia vnusquisque potest quauis opinione vti pro arbitrio; Idque ita accidet, tametsi verà modo regula vniuersalis assignetur, quia non poterit fieri demonstratio euidens veritatis eius, & falsitatis cæterarum opinionum. Ergo quod ea regula re ipsa detur, vel non detur in rebus nihil interest, & vtrouis modo determinatio talis quantitatis relinquenda iam est necessariò arbitrio viri.

2. Determinatio quantitatis restituendæ sub lethali ab vnoquoque respectu vniuscuiusque pendet ex circumstantijs innumerabilibus, & multiplicibus in infinitum syncathegorematicè; nempè ex maiori & minori abundantia rerum singularum, tum in vnaquaque Prouincia, tum respectu cuiusque

personæ

personæ. Quæ autem pendent ab innumerabilibus, atque in infinitum multiplicabilibus cum diuersitate, sunt indeterminabilia in vniuersum.

3. In diuersis materijs datur opposita ratio quoad quantitatem obligantem sub lethali. Quia in materia honoris & famæ, detractio materialiter leuis obligat ad restitutionem sub lethali respectu abundantis honore & fama; eademque materialiter detractio ad nullam restitutionem obligat, vel obligat tantum sub veniali respectu infamis. aut habentis parum honoris & famæ. De aliquo enim dicetur esse mendosum ex. gr. cui nihil propterea sit restituendum; de aliquo verò alio cui sit restituendum sub lethali, vel saltem sub veniali, idque solum propter honoris & famæ abundantiam in vno & defectum in alio. E conuerso in re pecuniaria furtum materialiter leue respectu pauperis potest obligare sub lethali ad restituendum; idemque potest nullam vel leuem solum obligationem inducere respectu prædiuitis. Ea autem quorum est opposita ratio con cadunt eatenus vniformiter sub vniuersalem aliquam regulam.

4. Aliquæ sunt operationes ad alterum, quæ ab omnibus auctoribus relinquuntur arbitrio boni viri, & vnanimi consensu declarantur indeterminabilia in vniuersum per regulā generalem, quæ æqualiter & vniformiter dirigere valeat omnes omniū operationes & circa omnes. Operationes autem ad alterum omnes aliquo modo rediguntur ad materiam iustitiæ; & præterea nulla est peculiaris ratio de determinabilitate eorum quæ directè & formaliter pertinent ad virtutem iustitiæ propriæ & strictè talis. Ergo omnia quæ ad ipsam quomodolibet

libet pertinent sunt necessariò relinquenda arbitrio boni viri, & conscientiæ vnius cuiusque iuxta sensum sapientum hominum communem.

R. Quoniam dictum est supra restitutionem duplici ex capite deberi posse; nempe ratione rei siue culpabiliter siue inculpabiliter acceptæ, ratione damni culpabiliter illati; duplex est consequenter consideratio restitutionis debitæ sub lethali, nempe ratione quantitatis latius patet, & ratione culpæ. Quia verò consideratio quantitatis latius patet, cum sit comunis omni restitutioni, de ipsa primo loco dicedum est. Quæritur itaque quænam quantitas siue rei ablatæ, siue damni illati sit per se necessaria ac sufficiens, vt inde resultet obligatio restituendi sub lethali; ita vt si non fiat restitutio peccetur læthaliter per se loquendo?

Solet hæc quæstio tractari ab auctoribus solum circa furtum & rapinam, siue tantum circa res pecunia æstimabiles. Estque mirabilis quædam circa id opinionum varietas aientibus etiam nonullis nullam certam regulam vniuersalem accommodabilem omnibus actionibus & circumstantijs tradi posse; sed totum hoc negotium quantitatis necessariæ & sufficientis ad obligationem grauem relinquendum esse prudenti arbitrio pro singulis casibus, vt videre est inter alios apud Cardinalem de Lugo disp. 16. sect. 2. Quod omnino est apparentius, si quæratur regula vniuersalis vniformiter accõmodabilis non solum rei pecuniariæ, sed etiam nocumentis honoris, & vitæ atque salutis. Sunt enim hæc genera rerum longè inter se diuersa, & quæ propterea videantur nulli communi regulæ vniuersaliter subiacere. Verum difficultas quantita-

tis assignandæ, & est omnibus istis generibus communis; sicuti est communis ipsa ratio restitutionis & obligationis grauis, ac leuis; & necesse omninò est, vt assignetur regula aliqua ijsdem omnibus communis.

Est quidem communis difficultas. Quia licet res ipsæ sint diuersorum generum; peccatum tamen iniustitiæ non specificatur ex illis secundum se, sed vt subsunt iuri patientis iniuriam, quod est vniforme, & vniformiter atque ex eadem radice vigens respectu rerum omnium. Est verò assignanda regula aliqua itidem communis. Quia ius, quod reparandum est, habet rationem cōmunem contentam sub vna definitione vniuersali respectu earum omnium rerum, vt visum est quæst. 3. ac proindè necesse est, vt subeat eandem communitatem læsio & magnitudo læsionis, quæ contrariatur eidem iuri. Deinde in casu particulari, quando dubitatur an tale determinatum nocumentum illatum proximo sit peccatum læthale, fieri non potest, quin recurratur ad aliquod principium vniuersalius, ac notius; quandoquidem neutra pars contradictionis est per se nota, atque adeo definiēdum est depēdenter ab aliquo notiori vniuersaliter concludēte de omnibus similibus in ratione grauis læsionis. Tale autē principium habebit rationem regulæ vniuersalis, vt patet. Vndè omnes qui siue grauiter, siue leuiter peccant contra iustitiam; aut fugiunt actionem aliquam, quia est, siue grauiter, siue leuiter iniusta, necesse est vt aliquam talem regulam aliquomodo actualiter cognoscant; cum rei particularis determinatio non sit per se nota ex apprehēsione terminorum quoad grauitatem, & le-

uitatem

uitatem cuiusque rei; vel secundum se, vel relatè ad res alias specie, aut genere diuersas. Difficultas igitur in hoc solum consistit, vt quod omnes aliquo modo cognoscunt quoties peccant agendo iniustè, aut liberè omittunt actionem iniustam, id distinctè & clarè proponatur sub conceptu præciso, & quidditatiuo denudatum à particulari huius materiæ, & harum determinatè circumstantiarum conditione.

Certum porrò est non posse constitui regulam vllam vniuersalem neque in re pecuniaria ex quantitate determinata ipsius pecuniæ (e.g. duorũ, triũ, aut quatuoriuliorũ, seu aureorũ; neq. in materia honoris, & famæ ex magnitudine defectus attributi proximo per iudiciũ internũ, aut verbaliter aut opere ipso ex.g quod alicui attribuatur esse mendacem, aut periurũ, aut blasphemum, aut auctorem peccati, vel venialis, vel mortalis, & sic de similibus. Ratio est manifesta, quia eadem materialis quantitas monetæ habet diuersam, atque inæqualem æstimationem, & parit dispares effectus in diuersis Prouincijs; nec non in eadem Prouincia pro diuersis temporibus, & accidẽtibus; atque in eadem Prouincia; eodemq. tempore, & subijsdem circumstantijs vniuersalibus apud alios atque alios, diuersi status, conditionis, & facultatis homines. Quapropter detractio, aut non restitutio eiusdem pecuniæ & quantitatis monetæ, quæ in vna Prouincia aut pro vno tempore, & circumstantijs, aut respectu vnius personæ infert graue nocumentum, sub alia comparatione prouinciæ, temporis, circumstantiarum, aut personæ poterit esse leue, aut etiam leuissimum nocumentum, ideoque respectiuè sufficiens aut insufficiẽs

ad

ad peccatum lethale. Idem dicitur de eodem verbo iniurioso comparatione facta cũ homine vel facinoroso ac infami, vel probo ac bonæ famæ; atque vbi & quando defectus imputatus est valdè familiaris, & frequens; aut è conuerso. Idem similiter dicitur de eadem percussione relatè ad hominẽ vel delicatum, ac debilem; vel fortem ac robustum; & sic de similibus. Abstrahendum igitur est à materia remota iustitiæ, & à designatione determinatæ in illa quantitatis materialis pro constituenda regula vniuersali, qualis quæritur; tametsi multi & magni authores institerint eiusmodi designationi nulla alia tradita regula abstractiori, vt videre est apud Card. de Lugo loco citato. Qui quidem perinde fecerunt, atque si pro illis & pro eo tempore tantum scriberent inter quos & quando scribebant: idque solum pro plerumque contingentibus; cum in scientijs & in libris omnis loci ac æui indefectibilia, ac inuariabilia tradi debeant, vnde particularia defectibilia, & variabilia indefectibiliter, ac inuariabiliter definiantur.

Huiusmodi videri potest pro tota vniuersim restitutionis materia, quod idem author tradit ibidem pro furto, & rapina ex Thoma Sanchez, & Victoria. Eam videlicet quantitatem esse sufficientem, ac necessariam ad peccatum lethale, cuius detractio, si non prohiberetur grauiter, seu sub peccato lethali, ac proindè facilè, ac frequenter perpetraretur, sequerentur magna inconuenientia in Republica, & conuictu humano. Licet enim hoc furtum talis determinatè quantitatis tale sit hic & nunc: at propter circumstantias personæ læsæ, eiusdemque opulentiam, & pacificam pro-

spe-

speritatem non afferat, illi magnum detrimentum; potest nihilominus esse peccatum lethale præcisè ratione quantitatis. Quia hæc talis esse potest, quæ tametsi semel detracta non valde noceat, nec magnum afferat incommodum patienti; facile tamen, atque adeo pluries, & à pluribus detracta, magnum quemlibet Principem ac ditissimũ in pauperiem, & summam miseriam conijceret. Qua de causa oportuit, vt detractio talis quantitatis prohiberetur sub lethali. Idē alijs materijs, & casibus accomodari proportionaliter potest. Ita igitur quantitas est necessaria, & sufficiens ad peccatum lethale cuius prohibito sub lethali, est necessaria, & sufficiens in vno quoque rerum genere, ne sequantur magna in eodem genere inconuenientia.

Verum expositio ista non est sufficiens, neque potest animus in illa conquiescere, quin progrediatur vlterius. Inquiritur enim protinus quanta debeat esse magnitudo inconuenientium, quæ sequerentur si detractio aut non restitutio tal s, determinatè quantitatis pecuniæ, honoris, aut salutis non esset grauiter prohibita. Certum nimirum est ex potestate detrahendi, seu non restituendi absque lethali quantitatem immediatè proximam quantitati sufficienti, & necessariæ ad lethale, atque ex facili, & frequenti quantitatis illius detractione, seu retentione, sequi inconuenientia, quæ magna meritò dicuntur & verè sunt, si comparentur cum inconuenientibus, quæ sequuntur ex eo, quod detractio, ac retentio, multò minoris quantitatis non sit grauiter prohibita, possitque proindè facilè & frequenter euenire. Ergo dum non determinatur

natur magnitudo inconuenientium, quæ sequerentur, nihilominus per actum est. Est autem similis prorsus difficultas in determinanda ista quantitate, seu absolutè, seu comparatiuè magna, atque indeterminanda ea quantitate de qua directè, quæsitum fuerat. Igitur expositio data transfert, non aufert difficultatem huius rei. nec progreditur, sed regreditur, & quidem in aliquid difficilius, ac obscurius.

Dein le quæ sunt prohibita quia mala, & non solum mala quia prohibita, qualia sunt peccata iniustitiæ prohibita per legem naturæ. non ideo præcisè prohibetur, quia ex omissione prohibitionis sequerentur magna inconuenientia; sed ex eo potius, quia vnum quoduis ex his, quæ grauiter prohibentur, secundum se præcisè est magnum inconueniens. Alias prohibenda non essent, nisi pro euētu, pro quo alia prætereà inconueniētia sequerētur, aut esset magnū periculū quod sequerentur. Eodē pertinet quod Deus non ideò prohibet quæ prohibet naturaliter per seipsum immediatè & seorsim (qualis est prohibitio iniustitiæ quia omissio prohibitionis pareret magna inconuenientia, id est, quia ea omissio foret turpis & peccaminosa. Omissio namque diuina aut est chymerica; aut laudabilis & honesta. Si quidem laudabilis & honesta sit, non potest parere magna inconuenientia. Chymerica vero pareret ea, & non pareret ea, Igitur discrimen iniustitiæ grauis & leuis non est desumendum ex sequela inconuenientium, quæ pareret omissio prohibitionis grauis.

Denique non omnes, nec plerique eorum, qui peccant agendo iniustè, considerant, an inde sequi possint magna, parua, aut media

etiam

cria inconuenientia, si pluries, & à pluribus eadem quantitas nocumenti inferatur, eidem homini: tum quia nec omnibus, nec plerisque adest prospectus intellectus sufficiens in comparationem vsque adeo latè patentem: tum quia tot possunt multiplicari autores nocumenti sufficientis tantum ad veniale; & tàm pauci possunt esse auctores nocumenti sufficientis ad lethale facile concursuri aduersus vnum, vt priores inducant magnum inconueniens, & posteriores paruum. Vnde discretio ex hoc capite potest esse, & plerumque esset difficillima, & consequenter plerosque lateret. Omnes autem non solum facilè, sed necessario cognoscunt actualiter regulam aliquam grauis & leuis iniustitiæ; dum agendo iniustè peccant, aut lethaliter, aut venialiter. Quicumque enim aut lethaliter, aut venialiter peccat, discernit alterum ab altero, & consequenter habet aliquod præcognitum, vndè discernat. Datur ergo alia vniuersalis regula, & quidem notior grauitatis, & leuitatis iniustitiæ.

Adde leges humanas, quæ versantur in materia iustitiæ ideo ferri & esse honestas, quia earum omissio pareret magna inconuenientia. Aliàs enim grauamen legis, & periculum peccãdi per ipsam procreatum, esset iniquum. Sequebantur autem eadem inconuenientia antequam eædem leges ferrentur; & tamen actiones quæ ex vi istarum legum sunt lethaliter peccaminosæ, non erant peccaminosæ lethaliter antequam eædem leges conderentur. Ergo sequela magnorum inconuenientium non est ex se præcisè vniuersalis regula grauis, & leuis iniustitiæ. Adde rursus etiam positis legibus, quæ de facto dantur in materia iustitiæ

sequi

sequi magna inconuenientia ; & quidem valde facilè & frequenter apud multos. Ergo quod sequerentur, vel non sequerentur sic vel aliter talia inconuenientia non est bona regula, & indiget alijs præterea regulis, vt subsistat aliqualiter.

Igitur pro stabilienda legitimè regula vniuersali præferendum in primis est discrimen peccati lethalis & venialis quod adhibet D. Thomas quæst. 7. de malo art. 1, & alij cum ipso communiter. Peccatum lethale est actio vel omissio dissolutiua ex sua natura amicitiæ, seu charitatis ac beneuolentiæ, & mutuæ pacis cum Deo, vel proximo. Amicitia Dei dissoluitur per contéptum intellectualẽ vel affectiuum ejusdem. Amicitia proximi dissoluitur per nocumentum eidem illatum, vel negatiuè quatenus non exhibetur ei de bonis non suis, quod debet exhiberi; vel positiuè quatenus ei subtrahitur de bonis suis, quod non debet subtrahi. Peccatum veniale est actio vel omissio non dissolutiua ex se ejusdem coniunctionis beneuolæ; existens tamen præter eandem, & ad ipsam non bene disponens, seu potius indisponens animum ijsdem proportionaliter de causis.

Adijciendum deinde est iniustitiam esse maximè prouocatiuam iræ, adeoque esse maximè contrariam mutuæ paci, beneuolentiæ & charitati inter omnia peccata, quæ aduersus proximum committuntur. Quia sola iniustitia spoliat vnumquemq. bonis suis, cum reliqua peccata contra proximum solum illi subtrahant augmentum bonorum suorum nondum suum. Vnusquisque autem afficitur magis ex natura rei ad retinenda bona iam sua, quam ad acquirendum aliena; atque pro mensura affectus erga vnum-

quodque

quodque bonum ex surgit sensus doloris & iræ ex eius subtractione.

Præterea cum, vt supra dictum est quæst. 2. & 3 vnusquisque habeat prælationem respectu omnium aliorum in bonis suis eandemque consequenter non habet, sed magis postpositionem in rebus alienis, vtcumque, per alios titulos sibi obstrictis; patet vnumquemq; dolentius ferre ex natura rei, quod sibi subtrahantur res suæ, magisque indè commoueri ad iram, quam si res alienæ non erogentur sibi. Quia per subtractionem iniustam rerum suarum deijcitur absque causâ sufficienti à gradu dignitatis suæ, & agitur secum tanquam cum inferiori in ea re in qua est superior. Quod est valde amarum iuxta gradum suauitatis & affectionis, quæ iam inerat animo circa præeminentiam iam habitam. Esto namque æquali affectu aut etiam maiori desiderentur, quæ nondum habentur; affectus tamen desiderij est etiam ipse insuauis ex parte, & amarus obiectiuè, quia fertur in obiectum prout affectum circumstantia displicenti. Vnde negato eius termino non vsque adeo mutatur status animi, nec tantus subsequitur nouus doloris sensus.

Apparet iam optimam & maximè conspicuam regulam grauitatis, & leuitatis iniuriarum peti posse ex viribus, quibus vnaquæque iniuria prædita est ad dissoluendam mutuam beneuolentiam, perturbandam tranquillitatem, & concitandas iras atque inimicitias. Optimam quidem quia hoc pacto ratio maximè omnium discretiua peccati mortalis, & venialis applicatur formalissimè sub conceptu proprio ad determinarũ istud genus subalternum. Maximè verò conspicuam, quia hinc fiet, vt vnusquisq;

ex

ex dispositione animi sui, eiusque experimentali consideratione, siue absoluta, siue conditionata, vti mox exponetur, facilè conijciat quam iniuriam inferre non possit, absque peccato læthali, & quam possit cum solo veniali. Præterea hic explicandi modus consonat valde expositioni obligationis iustitiæ, quæ data est quæst.3.versus finem; nec non rationi grauitatis peccati iniustitiæ ex genere suo, quæ reddita est ex D. Thoma quæst.17. initio.

Concluditur itaque eam qnantitatem nocumenti siue iniustè illati, siuè iniustè non reparati esse sufficientem, ac necessariam ad peccatum lethale, cuius seu ablatio; seu non restitutio est dissolutiua ex natura rei amicitiæ, & beneuolentiæ mutuæ; & concitatiua iræ atque inimicitiæ, seu iræ inimicabilis alienantis absolutè animum patientis ab iniuriante: eam verò quantitatem contineri intra limites peccati venialis ratione cuius non dissoluitur ex natura rei mutua beneuolentia, & amicitia, nec excitatur impetus inimicitiæ, ac perturbationis; inducitur tamen tepiditas aliqua amicitiæ ac beneuolentiæ, & exurgit sensus aliquis doloris, & iræ facile sedandus.

Inquam vtrobique ex natura rei quia, quod ad institiam attinet non maior requiritur quantitas, vt per iniuriam peccetur lethaliter aduersus hominem mansuetum, ac patientissimum, & in charitatis affectu validissimè confirmatum, atque iniuriarum facilè immemorem; quam aduersus hominē valdè iracundum, & facilem; ac pronum ad inimicitias. Quia leges, quibus nititur ius, & dirigitur iustitia, non minus fauent bonæ, quam malæ indolis, bonorum quam malorum habituum hominibus, sed omnibus

bus consulunt indiscriminatim. vt pote intendentes æqualitatem rei. Quare non est attendendum ad accidentalem cuiusque dispositionem siue naturalem siue moralem; neque ad effectum qui hic, & nunc reipsa subsequetur in animo, & reactione iniuriati, sed ad id quod plerumque contingit, & ad effectum, quem nata est sortiri iniuria ex suppositione, quod qui illam patitur, sit antecedenter constitutus in temperamento quasi ad pondus indolis, & morum. Certè cum hac, quantum fieri potest, consideratione librari debet quantitas inducens tum grauem, tum leuem obligationem restituendi; id est sufficiens ad dissoluēdam mutuam pacem ac beneuolentiam, & quæ ad id non sufficit; nulla habita ratione dispositionis bonæ aut malæ accidentaliter; & non, vt plurimum existentis in vnoquoque subiecto. Eiusmodi nimirum habitudinem respiciunt leges & primæuus hominum consensus exponendus quæst. 41. Per hæc igitur omnia patet assignabilem esse, & oportere vt assignetur, atque eam, quæ assignata est, regulam vniuersalem quantitatis sufficientis ad lethale in materia iustitiæ esse legitimam.

Ad 1. Imo conatus tot sapientium hominum in ordine ad indagandam regulam vniuersalem quantitatis grauis comprobat efficaciter eius designationem esse absolutè possibilem ac necessariam, quia sapientes homines non conspirant in intentionem impossibilium aut inutilium, quæ stulta est. Aberrare autem à verò & inter se discrepare sapientibus etiam sæpè contingit maximè quoad comprehensionem vniuersalissimorum, & latissimè patentium, tametsi pos

sibilium & realium. Deinde plures circa hanc rem opiniones iam sunt antiquatæ, & ita eueniet cæteris, quæ falsæ sunt durante conatu litteratorum pro indaganda, & promouenda veritate, quæ quando inuenta est vires habet maximas ad opprimendas falsitates omnes contrarias. Interim diuersitas opinionum intra determinatos limites continetur, quos nemo esset qui præfigeret effreni hominum licentiæ, si viri docti eam non compescerent ac dirigerent. Salubris igitur est & circa possibile conatus in vestigandi regulam propositam.

Ad 2. Circumstantiæ spectantes ad grauitatem, & leuitatem iniustitiæ non sunt variabiles in infinitum syncategorematicè formaliter, esto essent variabiles eum in modum materialiter, aut etiam quoad plus & minus, tum in ratione peccati lethalis, tum in ratione venialis, maioris, aut minoris. Pro tradenda autem regula vniuersali directiua iustitiæ solum considerantur formaliter circumstantiæ operis iniusti quatenus valentis illud constituere in ratione grauis, & leuis iniustitiæ.

Ad 3. Quæ se habent opposito modo quoad aliquid possunt nihilominus vniformiter se habere quoad aliquid aliud, atque ita contingit in exemplo obiectionis. Quia datur vniformitas eorum extremorū quoad vim dissolutiuam mutuæ pacis, & tranquillitatis, atque excitatiuam iræ, & inimicitiæ; sub qua ratione pertinet ad præsentem considerationem.

Ad 4. Ex debilitate intellectus, & non ex natura rerum prouenit quod relinquantur indeterminata ac indefinita, quæ spectant ad vnam quamque virtutem, & quod com-

comitatur arbitrio cuiusque determinatio ac definitio pro vnoquoque opere: Quia arbitrium tale à nemine concipi poterit, nisi dependenter à principio, & regula vniuersali aliquomodo præconcepta, vti superius significatum est. Deinde actiones iniustæ pariunt effectus, & affectus maiores, magisque conspicuos. Vnde relatè ad illos facilius potest, & clarius definiri in vniuersum grauitas; & leuitas earum quam possit in materia aliena virtutum, & vitiorum.

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrum labor corporalis Diurnus sit mensura quantitatis in re pecuniaria?

VIDETVR non esse, 1. Quia mensuram oportet esse inuariabilem ac vniformem. Labor autem diurnus est variabilis atque æstimabilis inæqualiter tum ex parte dierum breuiorum, & longiorum pro diuersis anni & mundi partibus; tum ex parte laborantium valde inæqualiter quoad celeritatem & bonitatem operis; tum ex parte ipsius operis inæqualiter laboriosi, ac pretiosi. Ergo labor diurnus non potest habere rationem mensuræ.

2. Pauci sunt, & vix vlli qui meminerint laboris diurni, dum committunt furtum graue, aut illud omittunt quia graue est, & tamen vtrique mensurant grauitatem, atq.

de ea indicant, mensurantem autem oportet meminisse mensuræ, nec fieri potest, vt quis metiatur, quin vtatur mensura.

3. Sunt qui multis de causis vilissimo pretio laborant toto die; quorum proinde labor non tanti æstimatur, quanti quod sufficit ad peccatum lethale furti, aut rapinæ; Ergo labor diurnus est ex se prorsus indifferens ad quantitatem grauem, & leuem.

4. Peccatum lethale differt notabiliter à peccato veniali, & consequenter quantitas sufficiens ad lethale differt notabiliter à quantitate sufficienti tantum ad veniale; quandoquidem ea qualitas peccati pendet à quantitate damni. Labor autem diurnus nō differt notabiliter à labore ferè diurno ex. gr. à labore, cui desit centesima pars diurni; eademque est comparatio huius laboris respectu eius, cui deest nonogesima nona pars, & sic de similibus. Ergo labor diurnus, non est idonea mensura quantitatis sufficientis ad lethale.

R. Regula generalis tradita in quæst. præcedenti reddetur clarior, vtilior, ac firmior, si applicetur ad singula rerum genera, quæ sunt adæquata materia iustitiæ. Tres igitur regulæ sunt vlterius deducendæ; alia pro pecunia, & rebus pecunia æstimabilibus; alia pro honore; & alia pro salute. Præmittetur verò primo loco consideratio eorum quæ pecunia æstimantur, quia sunt notiora, & vsus frequentioris. Porrò in re pecuniaria eadem ferè de causa, ob quam in quæst. præcedenti exclusa fuit à ratione mensuræ quantitas determinata monetæ videntur etiam excludenda bruta, vt equus, bos, gallina &c. nec non pondus determinatum tritici, vini, olei &c. ac demum pars

determinata fundi, domus, & similia quæ habet tam naturalia quam artificialia. Quia huiusmodi omnia diuersimodè æstimantur, nec vniformem vnumquodque cum cæteris omnibus comparationem subit, sed longè difformem pro diuersitate aeris & soli. Nã iuxta abundantiæ & raritatis modum; facilitatem aut difficultatem habendi, ac faciendi, in quibus est pro diuersis regionibus magna diuersitas, crescit ac decrescit æstimatio cuiusque rei, eiusdemque cum cæteris comparatio variatur.

Vnus est homo liber, qui vbique gentiũ æstimationem obtinet maximè vniformem ob eandem omnium hominum dignitatem naturalem, & æstimabilitatem illi conuenientem ratione sui, siue vt fini, & non, vt cæteris rationis expertibus, quæ æstimantur ratione alterius; quatenus necessaria, vtilia, & delectabilia, aut decentia sunt respectu hominis. Quia verò homo liber secundum se non est materia commerciorum & iustitiæ commutatiuæ, conijciendi sunt oculi in ea, quæ sunt propinquissima homini, & in quæ æstimationis gradus descendit immediatè ex æstimatione dignitatis, quæ est propria naturæ humanæ, & hominis liberi. Huiusmodi autem sunt operationes ipsius hominis, cum maiori propterea vniformitate æstimabiles vbique gentium.

Operationes porrò hominis, aliæ sunt immanentes, vt rationales & animales; atq; istæ secundum se, non sunt pecunia æstimabiles, nec veniunt in commutationem; aliæ sunt transeuntes & corporales directæ in vtilitatem aliorum; atque istæ sunt æstimabiles pecunià. Verum hæ ipsæ operationes sunt rursus in duplici differentia. Aliæ namque sunt, in quibus præualet ingenium

genium, & eius cultura, memoria, phantasias aliæque animi dotes internæ, vt in pictura & musica; inque omnis generis directione ac gubernatione. Aliæ verò sunt, in quibus præualet labor, & defatigatio corporalis, vt in agricultura & onerum, ac mercium asportatione; inque omnis generis pura, aut fere pura executione exteriori. Ea quorum æstimatio maximè pendet ab ingenio, alijsque similibus dotibus non sunt idonea, quæ assumantur in regulam modo intentam; tum quia plurimum participant de eo genere quod dictum est non esse secundum se pretio æstimabile; tum quia pro diuersitate regionum, atque etiam temporum, est dispar frequentia hominum plus, aut minus præditorum eiusmodi animi dotibus, necnō incumbentium artibus & laboribus, qui indè quoad perfectionem dependent; vnde prouenit disparitas æstimationis valde difformis. Obseruandæ igitur sunt pro re præsenti operationes, in quibus maximè præualet labor & defatigatio corporalis, & sunt vbiq; necessariæ & frequentes, vel æqualiter, vel non admodum inæqualiter.

Concluditur itaque huiusmodi laborem diurnum hominis mediocriter idonei, seu talis, cuiusmodi sunt vt plurimum, qui ad illum applicantur & conducuntur; nec non quæ tali labori per se & vt plurimum æquipollent seclusis accidentibus, quæ in vita humana extra communem rerum ordinem interueniunt. Concluditur inquam eiusmodi laborem diurnum esse quantitatem sufficientem & necessariam ad obligationem grauem restituendi, & æquiualentiam cum ipso esse mensuram cæterorum in hac materia. Dicitur autem hominis mediocriter idonei; eius nimirum idoneitatis, quæ vt

plurimum

plurimum reperitur, ac adhibetur. Quia sunt nonnulli eius roboris, agilitatis, applicationis, & durationis continuæ in laborando, vt labor eorum diurnus, quæque eidem labori æquipollent, procul dubio superent quantitatem necessariam ad peccatum lethale. Alij è conuerso sunt vsque adeò debiles, inertes aut desidiosi, vt labor eorum, & quæ ipsi æquipollent procul dubio sint infra quantitatem sufficientem ad lethale. Dicitur rursus, quæ per se & vt plurimum illi labori æquipollent. Quia tempore pestis ex. g. sunt tam pauci, qui corporaliter laborare possint, & est tã necessarius labor corporalis ad subuentionem infectorum, & ad præcauendum vlteriorem infectionis progressum, & ad alia similia, vt pretium laboris diurni excrescat plurimũ vltra quantitatem necessariam ad peccatum graue. E cõuersò tempore sterilitatis, ac famis sunt tam multi, qui laborare velint pro mercede, & victu, & tam pauci qui velint operarios cõducere, vt idem pretium similiter decrescat infra eandem quantitatem. Sumendus igitur est in regulam vniuersalem labor diurnus secundum æstimationem, quam communiter habet seclusis eiusmodi accidentibus.

Quod autem labor diurnus hoc modo cõsideratus, & consequenter stipendium illi correspondens, quæque vtriuis eorum æquipollent sufficiant ad materiam peccati læthalis ex eo apparet. Quia & operarius, si fraudetur tota mercede laboris diurni; & qui illum conduxit, si integer dies in otio ab eo traducatur, ægrè admodum ferunt, neque id computant inter parua detrimenta facilè dissimulanda. Deindè quod in ratione infortunij aut beneficij est quid magnum, non potest esse quid paruum in ra-

tione iustitiæ per se. Censetur autem esse magnum absolutè infortunium; si quis per diem integrum perperam laboret; cùm & Petrus Apostolus tanquam magnum infortunium ponderaret, quod tota nocte laborando nihil cœpisset. Nec exiguum beneficium aut obsequium impendisse iudicatur, qui per totam diem corporali labore defatigatur gratis in vtilitatem alterius. Denique in sacris litteris hoc ipsum clarè demonstratur; dum Leuitici 9. grauiter præcipitur: *non morabitur apud te merces mercenarij vsque mane*. Et sæpe in nouo testamento significatur per metaphoram mercedis debitæ pro labore diurno, quod per metaphoram rei exiguæ, nec pertingentis materiam debiti & obligationis grauis non idoneè significaretur; nempe regnum Dei; & alimentum debitum ministro Euangelij; ibidemque acriter reprehenditur tanquam iniustitia grauis defraudatio mercedis diurnæ.

Iam si labor sit diurno moraliter minor; aut stipendium vnius diei defraudetur data eiusdem parte moraliter æstimabili, neutrũ pro vna vice censetur quid magnum; sed inter facilè communiter condonabilia computatur loquendo per se. Hoc idem cernitur proportione seruata in exemplis positis Infortunij & beneficij æquè valentibus in fauorem huius partis, si bene considerentur: nec vspiam apparet testimonium simile sufficienter probans æstimari debere à prudẽtibus tanquam quid simpliciter magnum in ordine ad dissoluendam mutuam pacem & concitandam iram, iacturam laboris diurno minoris, aut pecuniæ; quæ non accedat ad stipendium vnius diei pro labore corporali. Inquam verò si non accedat moraliter; quia parum pro nihilo reputatur in his rebus

quoad

quoad grauitatem, & leuitam peccati. Videri igitur potest quantitatem assignatam tanquam sufficientem ac necessariam ad obligat onem grauem restituendi, seu non nocendi esse definitam iuxta communem prudentum hominum existimationem, ac proinde regulam traditam esse legitimam. Cui nihilominus plusculum lucis, qua indiget, atque determinationis adijcietur q. 30.


Ad 1. Labor diurnus cum circumstantijs & modificationibus quæ adiuncta illi sunt, quæque communiter subintelliguntur sub nomine laboris diurni absolutè prolato est vniformis ac inuariabilis vbique æstimationis ac proinde eo modo sumptus rationem regulæ & mensuræ habere optimè potest.

Ad 2. Dictum est mensuram quantitatis grauis esse laborem diurnum & quidquid æquiualet labori diurno. Quicumque autem peccat lethaliter furando aut rapiendo cognoscit necessariò, formaliter, vel æquiualenter se inferre nocumentum æquale iacturæ laboris diurni, nec peccare lethaliter potest, quin æstimet iniustitiam suam in hunc vsque gradum esse nociuam. Cognoscit igitur necessariò laborem diurnum, eo modo quo is habet rationem regulæ.

Ad 3. Patet satis ex dictis circa circumstantias laboris diurni mensurantis iacturam pecuniarum grauem.

Ad 4. fieri potest vt aliquid ab aliquo differat parum entitatiuè quoad quantitatem, intensionem, propinquitatem; & tamen eo ipso paruo discrimine entitatiuo differat quamplurimum quoad vim vltimo complectam ac determinatam producendi magnum effectum, vt patet ex igne quàm minimum fieri potest distante vel non distante à massa pulueris tormen-

tarij, ex calore vt septem vel ut octo; ex pondere opprimente aut occidente propter differentiam vnius pomi vltra pondus vltimo sustentabile, & sic de similibus. In hunc igitur modum quantitas præcisè necessaria & sufficiens ad peccatum lethale differt parum entitatiuè à quantitate quæ est summa infra ipsam; distat tamen plurimum in ratione vltimo completæ ac determinatæ ad magnum effectum propter illud exiguum additamentum. Sicut enim vires corporis tandem aliquando deficiunt, propter exiguam additionem vltimo complentem pondus intolerabile atque ita concidit aut occiditur homo; ita propter exiguam additionem vltimò complentem iniuriam in ratione intolerabilis opprimitur tandem hominis patientia, concipitur ira, & dissoluitur pax, & trãquillitas mutua. Qui planè est effectus magnus secutus facta additione illa vltima parua, & non secuturus eadem non facta. Est igitur magnum discrimen inter laborem diurnum, & laborem immediatè minorem diurno quoad vim inductiuam magni effectus vltimò completam licet entitatiuè, & materialiter sit paruum discrimen. Iniustitia autem grauis & leuis differunt formaliter quoad vim inductiuam talis effectus completam vel non completam vltimò, vt liquet ex quæst. præcedenti.



QVÆ-

QVÆSTIO XXIX.

Vtrum infamatio de lethali sit mensura quantitatis grauis in materia honoris?

VIDETVR non esse 1. Quia contingit alicui exprobrari, atque de eodem manifestari peccatum lethale, quin propterea peccetur lethaliter. E conuersò contingit quibusdam alijs exprobrari peccatum veniale, aut idem de ijsdem manifestari, minimè posse quin peccetur lethaliter. Ergo infamatio de lethali non est mensura peccati grauis in materia honoris.

2. Sunt quædam peccata venialia quibus imputatis & manifestatis magis vilescit homo apud proximos, quam imputatione & manifestatione quorumdam lethalium; idq; per se. Quia quædam venialia, vt mendacia, magis nocent commercio & communicationi humanæ quam quædam lethalia, ideoque magis odio habentur & minus æstimantur illorum quam istorum auctores manifesti. Ergo pro statuenda regula grauis dehonorationis discernendū est inter peccata tum venialia, tum lethalia.

R. Quæstio proposita resoluitur triplici conclusione communiter recepta cum totidem notationibus. Prima conclusio. Infamatio de peccato lethali est sufficiens ad peccatum lethale, & inducit grauem obligationem restituendi, loquendo per se. Patet hoc, quia omnes ægrè ferunt imputari

sibi peccatum lethale, & censent magnum ea de causa nocumentum se accepisse, si nondum illud passi erant; nec nisi admodum difficulter pacem, & beneuolentiam retinēt erga talem infamatorem.

Confirmatur, quia omnes subsunt præcepto habendi curam sui boni nominis; atq; huic præcepto grauiter contradicit, qui non habet curam, ne incurrat infamiam de peccato lethali. Si quidem per talem ac tantam famæ & honoris iacturam incidit in magnam quandam facilitatem peccandi lethaliter disiecto honoris freno, quod est potentissimum ad vnumquemque in officio continendum: atque vnusquisque tenetur sub lethali ad vitandam facilitatem, vt incidat in lethale. Ergo etiam tenetur non inferre alijs tale nocumentum. Nec enim magis cuiquam licet, aut minus prohibetur minuere bona aliorum, quam sua; sed magis è contra.

Additur autem in conclusione loquendo per se; & in probatione, si nondum illud passi erant. Quia fieri potest per accidens aliquem esse in tali gradu prauæ communis existimationis constitutum, vt minimam lesionem, & facilè dissimulandam, aut condonandam patiatur imputatione peccati lethalis, saltem in certo quodā genere. Quod potest esse diuersum pro diuersis quoad mores & constitutionem naturalem, & præuiā circa ipsos notitiam. Regula igitur data directè viget circa eos homines, qui non induxerunt alterationem circa se notabilem communis eius existimationis, quæ concipitur de naturali, & plerunque contingenti hominum constitutione ac modo agendi. Cæteros verò eadem regula comprehendit indirectè, quatenus quantitas infamationis

eorum metienda est per æquiualētiam iacturæ nouæ ad nocumentum, quod infertur per imputationem peccati lethalis illi, qui communem, eiusmodi existimationem nondum notabiliter vulnerauit ac depressit.

Secunda conclusio: Infamatio de peccato veniali est sufficiens ad peccatum veniale loquendo per se, & inducit obligationem leuem restituendi; sequitur ex præcedenti. Quia eadem est proportio sufficientiæ huius infamationis ad peccandum leuiter, & ad obligationem leuem restituendi; quæ est infamationis de lethali ad peccandum lethaliter, & ad obligationem grauem. Et insuper confirmatio adhibita conuincit id clarè. Quia alias peccans venialiter coram alijs, eo ipso peccaret lethaliter per se loquendo, quatenus indè incurreret infamiā de peccato veniali, & pateretur iacturam boni nominis circa peccatum veniale, ad quam iacturam vitandam tenetur in genere ex lege Dei.

Dicitur autem hic etiam per se loquendo. Quia per accidens fieri potest, vt nullum sit peccatum imputare alicui nōn solum peccatum veniale in genere, cuiusmodi imputatio nullum respectu cuiusquam peccatum est iuxta legem ordinariam; sed etiam imputare peccatum veniale talis vel talis generis determinatè, atque vt commissum tali tempore, & in talibus circumstantijs ob iacturam boni nominis, quam is iam antecedenter fecerit in tali genere. Quapropter huic conclusioni applicanda est proportionaliter comparatio & consideratio, adhibita in præcedenti.

Tertia conclusio quælibet & sola alia læsio famæ & honoris in quouis genere perfectionis ac excellentiæ, siue naturalis, siue

moralis

moralis æquiualens infamationi de peccato læthali, est sufficiens ad peccatum læthale, & ad obligationem grauem restituendi: æquiualens verò infamationi de veniali est sufficiens ad veniale, & ad obligationem leuem. Res est clara ex dictis, quia non potest non esse eadem ratio ac æstimatio de eo quod æquiualet, & de eo cui æquiualet; cum ipsum non valere, fundare eandem obligationem, ac æstimationem, tollat formaliter æquiualentiam. Æquiualentia porro ista pensanda est iuxta dicta quæst. 27. quoad vim perturbandi animum, & impediendi statum mutuæ beneuolentiæ & tranquillæ pacis.

Notatio 1. Quod dictum est de infamatione, & æquiualentibus infamationi, in honoratione etiam commune est. Quia licet fama & honor distinguantur inter se realiter quatenus honor occultus & purè interior est assensus bonitatis seu perfectionis & excellentiæ conuenientis alteri in aliquo genere. Exterior verò & perceptibilis ab alijs est manifestatio talis assensus verbo vel opere facta; & necesse nequaquam est, vt famam præsupponat: fama autem, prout opponitur infamiæ, & ad præsentem spectat considerationem, interior quidem est notitia honoris conuenientis alicui apud aliquem alium, præscindendo ab assensu & dissensu; Exterior verò est eiusdem notitiæ manifestatio, & propagatio verbo vel opere facta; ac propterea necesse est vt fama præsupponat honorem eiusdem personæ seu verè seu falsò, prout contigerit famam esse veram vel falsam ex quibus facile liquet quid sint infamatio & dehonoratio tam purè negatiua quam positiua. Licet inquam fama & honor hoc modo differant inter se, & consequenter

quenter infamatio, ac dehonoratio differãt inter se eodem modo; subsunt tamen vniformiter, aut ferè eidem regulæ iam datæ. De discrimine inter famam & honorem vsque adeò breuiter concluso, videri quãplura possunt si placet, quæ tamen placeant difficulter, apud Cardinalem de Lugo disput. 14. sect. 1.

Notatio secunda; nocumentum paruum in ratione honoris aut famæ potest esse magnum quoad rem pecuniariam; Atq; è conuerso. Si enim viro nobili in medio foro violenter rapiatur flos, quem manu gerit, aut teruntius, quem habet in crumena, iactura honoris est grauis, licet pecuniaria sit exigua ac ferè nulla. Si verò de medico dicatur deficere ipsi sensum tactus in extremis digitis, iactura pecuniæ poterit esse maxima, tametsi minima sit honoris. Idem est de aulico, quem amat Princeps, & est paratus conferre illi ingentia beneficia, si apponatur illis impedimentum manifestatione defectus in se quidem exigui, maximè tamen displicentis Principi. In his autem & similibus euentibus aderit obligatio grauis reparandi damnum sub ea ratione, sub quã magnum fuerit; leuis verò sub ea ratione, sub qua fuerit leue; siquidem altera reparatio fuerit separabilis ab altera. Quod si separabiles non fuerint vel absolutè, vel respectiuè, vtraque simul reparatio erit debita sub læthali quoad alterum directè, & indirectè quoad alterum.

Notatio 3. quò quis magis abundat honore & fama, eò magis peccatur aduersus ipsum vniuscuiusque defectus imputatione, maiorque oritur obligatio restituendi. Quia videlicet eò est maius nocumentum quod patitur infamatus, seu dehonoratus. Ascensus

sus enim eiusdem deffectus circa duos inæqualis honoris & famæ, vtrumque redigit ad eundem in eo genere gradum, ideoque plus amittit, qui magis antecedenter excedebat eum gradum. Neque in hac materia est locus præsumptionis, qualis quæst. 31. dicetur sæpe adesse in re pecuniaria de cōdonatione maioris materialiter nocumenti; tum quia præsumptio voluntatis cedentis iuri suo quoad pecunias est honorifica diuiti, quà diues est, ideoque concipitur cum aliquo eius lucro in alio genere; præsumptio verò cessionis quoad honorem, nec est honorifica, nec lucrosa honorato, qua honoratus præcisè est, saltem nisi aliundè sit specialiter ordinata ad maius honoris & probitatis emolumentū: tum quia qui abundat honore, tenetur per se conseruare honorem, dum illum in alium maiorē aut æqualem non commutat, iuxta illud: *curam habe de bono nomine*: tum quia voluntas cedendi honori & famæ, dum non est circumstantionata modo dicto est nulla vt supra ostēsum est in quæst. 16. Qua de causa vltrà alias voluntas, & desiderium sanctorum patiendi infamiā nullatenus potest honestare actiones infamatorias aliorum aduersus ipsos. Constat igitur ex his veram esse & quo sensu vera sit absolutè, & per se regula grauitatis in materia honoris & famæ constituta per infamationem de lethali, & leuitatis per infamationem de veniali.

Ad 1. Illa vicissitudo contraria regulæ traditæ contingit per accidens, ideoque non est contraria eidem regulæ, prout communiter accipitur atque exposita est.

Ad 2. Illa diuersitas peccatorum plus, aut minus nocentium humanæ communicationi cōtraria magnitudini malitiæ ipsorum

non efficit vt infamatio de minori peccato noceat magis quoad honorem; quam infamatio de maiori peccato; sed quod noceat magis quoad emolumenta alia pendentia à facilitate communicationis, & familiaritatis conueniente vnicuique respectu aliorum, iuxta dicta in 2. Notatione. Vndè nihil indè habetur ad propositum.

Superest post hæc vltimo loco explicanda quantitas circa nocumentum salutis. Intelligitur verò nomine salutis communiter non solum integritas corporis, & quidquid ad corporalem sanitatem, ac bonam eius dispositionem pertinet; sed etiam omne genus perfectionis, ac bonitatis, tum physicæ tum moralis afficientis hominem intrinsecè. Videndum igitur est an damnum illatum in huiusmodi bonis animi aut corporis tale sit, vt possit ex sua natura inducere tantum doloris sensum, tantam excitare iram, & tantum afferre impedimentum mutuæ beneuolentiæ ac paci, quantum inducere, excitare, aut afferre potest frustratio laboris diurni, subtractio stipendij correspondentis tali labori, aut imputatio peccati lethalis. Si quidem tantumdem quoad hæc valebit, erit quantitas nocumenti sufficiens ad peccatum læthale; sin minus erit insufficiēs, solumque sufficiens ad veniale; dummodo patiens sit inuitus rationabiliter; vt liquet ex dictis in hac & in duplici præcedenti quæst. Nempè nihil occurrit, quo melius, quam istiusmodi comparatione quantitas in hoc genere sufficiens & necessaria vniuersaliter determinetur. Nihil enim vnum apparet intra proprium genus, quod ita sit notum quoad quantitatem nocumenti sufficientem ac præcisè necessariam ad obligationem grauem, vt possit melius subire ra-

sionem regulæ respectu cæterorum. Ideò visum est rem hanc ita hic concludere per modum appendicis, relicta felicioribus ingenijs expositione magis exacta intra proprium genus.

QVÆSTIO XXX.

Vtrum quantitas sufficiens ad iniustitiam grauem, consistat in indiuisibili ex parte iniustè agentis?

VIDETVR consistere in indiuisibili. 1. Quia iustitia cõmutatiua, ad quam pertinet præcauere iniurias, & illatas reparare constituit æqualitetem Arithmeticam inter omnes homines, vti expositum est quæst. 9. Eam autem constituere minimè posset, si quantitas sufficiens ad iniuriam grauem non consisteret in indiuisibili ex parte agentis. Quia is respectu cuius ea quantitas esset maior, quam respectu alterius, non tantundem pateretur ab hoc altero peccante grauiter contra ipsum, quantum ip e illi alteri noceret, dum contra eum peccaret grauiter. Quæ est manifesta inæqualitas.

Sed contra est. Quia vnusquisque peccat grauiter vel leuiter prout iudicat de sua actione. Non autem omes vniformiter iudicant, sed multiplici de causa sunt varia humana iudicia, vt in alijs rebus, ita & intaxanda quantitate determinata in materia præsenti, idque euenit per se respectu to-

tiue

tius multitudinis, licet in singulis possit adesse tantum per accidens tale determinatū iudicium.

R. Videntur affirmatiuam sententiam tenere in quæst. proposita Cardinalis de Lugo, & alij communiter apud ipsum loco superius indicato. *Distinctione* autem opus *est*. Dicendum namque est quantitatem sufficiētem ad iniustitiam grauem non consistere in indiuisibili absolutè, & quoad omnes vniuersim homines; consistere tamen in indiuisibili respectiuè quoad singulos seorsim homines. Explicatur & suadetur *hæc assertio* exemplo iusti pretij rerum vendibilium. Istud namque pretium non consistit in indiuisibili simpliciter & quoad omnes absolutè, sed ex communi consensu agnoscitur summum, medium, & infimum; atque intra limites iustitiæ discrimen istud existere posse inter contrahentes communis existimatio est; idque independenter ab ignorantiæ inuincibilis excusatione. At si inter duos contrahentes conuenerit determinatè de pretio, aut infimo, aut medio aut summo, iam pretium debitum ex iustitia consistet inter illos in indiuisibili; ita vt neuter aut plus exigere, aut minus soluere deinde possit absque iniustitia vtcunque exiguum ac minimum id sit, penes quod quæritur excessus aut diminutio; tametsi initio vtrumuis intra certos limites licuisset. Ergo similiter in furto, aut rapina, & consequenter in restitutione admittenda est simpliciter quantitas summa, media, & infima intra limites quantitatis sufficientis ad obligationem grauem vel leuem; licet respectu vniuscuiusque determinatè non detur talis latitudo eiusdē quantitatis. Ratio paritatis est; quia vt dictum est quæst. 25. ex Philosopho & D. Thoma

ma actiones iniuriosæ habent ratione commutatiuam. In commutationibus autem id, in quod conuentum est, debetur in indiuisibili prout subest conuentioni; conuentio verò ipsa potest fieri diuersimodè, & cum inæqualitate materiali, absque læsione iustitiæ. Ergo simile quid admittendum est in actionibus iniuriosis modo dicto.

Verùm quia quando commutationes sunt inuoluntariæ, quales sunt omnes, quæ fundantur in actione iniusta, non datur conuentio singulorum cum singulis hic & nunc determinatè; & insuper is qui patitur iniuriam plerumque est ignorans eius quod agitur, necesse est vt determinatio eius quantitatis committatur saltem vt plurimum iudicio solius iniuriantis, vtque is dirigatur regula illa; *quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Per quam regulam iubentur singuli metiri cæteros ex seipsis; atque adeò obseruare legem obligantem vniformiter difformiter; vnumquemque videlicet iuxta sensum suum. Itaque quod quisque iudicauerit se grauiter læsurum ex natura rei, si ab alio subtraheretur sibi, erit quantitas, cuius subtractione ipse grauiter peccabit. Hoc autē iudicium non esse vniformiter vniforme in omnibus patet; tum à posteriori, ex mirabili auctorum discrepantia superius notata quoad taxandam quantitatem grauem; tum à priori ex multiplici hominum genio atque ingenio, moribus, affectibus, latitudine & angustia cordis. Quare consequenter ad principia superius posita, & eorum fundamenta concludendum videtur, summam eam quantitatem in re pecuniaria esse laborem diurnum fossoris terræ impensum tempore æstatis; impensum tempore hiemis esse infimam quantitatem grauem; medium verò

qui

qui temporibus intermedijs impenditur. Probatum nimirum efficaciter fuit laborem diurnum, & quæ illi æquipollent conuerti cum quantitate sufficienti ac necessaria ad læthale. Is autem labor est longior aut breuior, maioris aut minoris pretij cum morali diuersitate iuxta assignatas temporis differentias facta æstimatione solius laboris secundum se.


Inter istos igitur limites continget variare per se singulos quosque in taxanda quantitate graui; extra eosdem vero non nisi per accidens, non solum spectata natura rerum secundum se, sed etiam spectata eadem relatè ad humanum ingenium, atque ad eius vires absolutè & simpliciter existentes in vno quoque homine. Facta verò in hunc modum taxatione determinata ab vno quoque ex consilio alterius, vel ex proprio marte, ad eam vnusquisque tenebitur in indiuisibili. Ideo autem labor fossoris terræ potissimum proponitur vt regula ex P. Molina & alijs, quia est præ cæteris maximè corporalis, maximèque vniformis vbiuis, idemque in sacris litteris, quarum supputatio facta est, assumitur in exemplū. Dies porrò intelliguntur, quales sunt Romæ, vbi hæc scribuntur. Vnde ad alias regiones, in quibus est diuersitas moraliter magna temporis diurni, traduci facilè poterit doctrina tradita seruata proportione quoad numerum horarum per quas ordinariè durat labor diurnus. Facilè similiter est accommodare materiæ honoris, & famæ, nec non salutis quæ dicta sunt de re pecuniaria. Est enim de omnibus eadem proportionalis ratio.

Ad rationem dubitandi partis affirmatiuæ; iustitia commutatiua constituit æquali-

tatem

tatem Arithmeticam inter vnumquemlibet comparatum cum singulis quibusuis alijs iuxta sensum cuiusque quoad cōmutationes inuoluntarias, & iuxta cōuentionem vtriusque commutantis quoad voluntarias; non verò constituit æqualitatem Arithmeticam vniformiter vniformem inter omnes vniuersim homines; neque id est possibile etiam per se respectu conditionis humanæ, vt apparet ex dictis.

Ad rationem partis negantis: vnusquisque est expositus disparibus aliorū iudicijs, atque inde operationibus erga se, sicut cœteri sunt expositi arbitrio ipsius quoad operationes eiusdem erga cœteros. Vnde qui plus nocere poterit alicui quin peccet lethaliter, quam idem nocere ipsi possit absque peccato læthali, est expositus oppositæ computationi respectu alicuius alterius. Quapropter lex vniformis difformitatis superius exposita est absolutè æqualis respectu omnium præsertim considerando omnem vniuersim materiam iustitiæ; contingit enim latiorem in vna materia esse strictiorem in alia, ideoque facta comparatione vniuersali vnicuilibet vnicuilibet euadit absolute æqualis, vt patebit considerandi cum magna, & exacta attentione, huius rei cuius examen in præsenti euaderet longius iusto, esset curiosum magis, quàm vtile.



QVÆ-

QVÆSTIO XXXI.

Vtrum Grauitas quantitatis consistat in indiuisibili, ex parte patientis?

VIDETVR non consistere in indiuisibili; quia grauitas iniustitiæ pendet ex grauitate nocumenti inducti per actionem iniustam. Furtum autem scuti e.g. quod grauiter nocet pauperi, nequaquam grauiter nocet prædiuiti. Ergo non eadem quantitas sufficit & est necessaria ad peccatum graue iniustitiæ respectu vtriusque. Eadem est contraria ratio in materia honoris quia infamiatio de mendacio nihil vel leuiter nocet infami; nocet verò grauiter ei, qui est in magno honore constitutus: & similiter in materia salutis. Ergo in tota materia iustitiæ variat quantitatem conditio patientium.

R. Quæstio proposita solum proponitur ab auctoribus circa rem pecuniariam: an videlicet regulâ superius data æquè vigeat respectu valde, & mediocriter diuitum; necnon & pauperū; eademq. Arithmeticè quātitas debeat sub læthali nō auferri, aut ablata restitui habenti maximas, & mediocres diuitias, nec non ei qui non est diues? an verò debeat esse eadem tantum Geometricè; vt sit eadem distantia quantitatis, quā peccatur læthaliter aduersus valde diuitem, à quantitate, qua peccatur læthaliter

ter aduersus mediocriter diuitem; quæ est inter eorum diuitias. Communior auctorũ sententia est non esse eandem Arithmeticè quantitatem respectu omnium, sed proportionalem modo dicto, idque censet indubitatum Cardinalis de Lugo disp. 6. sect. 2. Fundamentum est ratio dubitandi modo proposita.

Verum hæc opinio saluâ auctorum reuerentiâ, quæ illis debetur maxima præsertim in re morali, pendenti à prudenti arbitrio, videtur valdè difficilis tum ad hominem tum simpliciter. Ad hominem quidem quoad duo, quorum alterum est ratio illa dubitãdi qua vnicè nitũtur; alterũ est quod ijdem auctores docent dari nihilominus quantitatem quandam sufficientem ad lethale respectu cuiuslibet; eandemque necessariam respectu plurium inter se inæqualium quoad diuitias, tametsi notabilissimè inæquales sint.

Quod ad rationem illam attinet vel indigentia consideratur quoad ea præcisè quæ sunt necessaria ad commodam conseruationem vitæ; vel quoad ea etiam quæ sunt necessaria ad splendorem, & delicias, aliosque fines. *Si primum*, nullum nocumentum illatum erit, ideoque nullum committetur peccatum iniustitiæ aduersus prædiuites, si relictis, quæ sufficiunt ad commodam conseruationem vitæ, surripiantur cætera omnia. Si secundum, nullum erit discrimen nocumenti respectu magis, & minus diuitis: Certè quod erit necessarium ad maiores delicias, maioremue splendorem, & sic de alijs finibus minoris, & maioris, eripietur cum minori peccato. Quæ sunt absurda.

Iam quoad quantitatem sufficientem respectu

ſpectu cuiuslibet; ſimulque complectentem indiſcriminatim plures inæqualiter diuites committitur manifeſta inconſequentia. Quia eadem eſt differentia facultatum inter potentiſſimum habentem tot milliones annuos, quot habet millenarios mercator ditiſſimus; quæ eſt inter hunc, & habentē totidem centenarios; & ſic de cæteris ſimiliter; & conſequenter non redigetur in ſtatum miſerum potentiſſimus Princeps, niſi per ablationem quantitatis centuplo, aut etiam millecuplo maioris, quam ſit ea quantitas, cuius ablatione redigetur in ſimilem ſtatum mercator ditiſſimus, & ſic de cœteris; eademque eſt ratio de eadem quantitate ſæpius, aut non tam ſæpè ſublata, omniſque alia eiuſmodi comparatio incommodorum, ad quæ recurrit Cardinales de Lugo, euadet ſemper ſimiliter proportionata. Ergo vel eſt ſtatuenda vna determinatè quantitas pro omnibus indiſcriminatim, vel nulla eſt admittenda vniformis regula aliquorum inæqualiter diuitũ; ſed omninò proportionata cuiuſque diuitijs, incipiendo à quantitate reſpiciente pauperrimum vſque ad ditiſſimum omniũ in orbe terrarum. Hoc autem poſtremum nemo admittit, & ſanè meritò.

Eadem difficultas abſolutè oſtenditur, prætermiſſo vitioſo affectu auaritiæ, qui ſæpè creſcit, quo magis diuitiæ creſcunt; vnde reſultat ſenſus ingens parui etiam nocumenti, quorum iam ante aduertimus nullum habere rationem quod ad iuſtitiam attinet. Oſtenditur inquam aliunde. Primò, quia vt infra dicemus ex communi ſenſu iuxta primam rerum diuiſionem, & primæua iura gentium nemini licet, vt fiat ditior alijs, quin plus iiſdem contulerit in bonum

publicum vel per se ipsum, vel per eum, a quo primum transmissæ sunt diuitiæ ad eundem cum eodem iure. Æquum autem est leges indemnitatis ac restitutionis non minus fauere in quantitate æquali magis bene merito de Republica. Neque verò iniquè diues est punibilis, aut tractabilis vt iniquus priuata auctoritate.

Deindè sequeretur commutationem alias æqualem, & iustam fi rei inæqualem & iniustam commutantibus inuicem ditissimo, & non ita diuite. Quia quod transmitteretur in ditissimum, eo ipso redderetur facilius, & cum minori onere auferibile per furtum, aut rapinam, ac proindè minus æstimabile, vtpotè magis expositum periculo omissionis; & è conuerso. Vnde ditior dum vellet emere deberet dare minus pretium, & malus qui non esset ita diues, vtroque inuicē contrahente.

Tertiò: Quo quisque est ditior, eo magis est expositus furto, & rapinæ cæteris paribus, expectata tota collectione bonorum, vtpote patentium latius, & obuiorum ad plurium manus. Ergo si simul esset minus protectus per leges quoad æqualem quantitatem, esset planè deterioris conditionis, quam minus diues; nec esset vterque æque dilectus Reipublicæ.

Prætereà qui sunt potentissimi, ac ditissimi habent, certè possunt habere præstātissimos fines proximos diuitiarum; vt tueri patriam tempore belli; eidem subuenire tempore famis, propagare religionem; erigere, & ornare templa, & similia proportionaliter: atque potestas proxima ad hos fines est valde æstimabilis, consequenter quælibet eius diminutio potest perturbare animum, & dissoluere beneuolentiam, ac

tran-

tranquillitatẽ pacis eodem prorsus modo, quo æqualis diminutio, seu diminutio quoad çqualẽ partẽ potestatis proximę ad finẽ minus præstantẽ, qui est proprius minus diuitis, id ipsum præstare potest. Patet igitur ditissimum posse rationabiliter æque affici ad æqualem quantitatem rei pecuniariæ, & non minus ægre ferre eius ablationem, quam possit minus diues, & vtcumque opum tenuis fine videlicet, ac potentia proportionaliter præstantiori acuente affectum erga singulas partes, quantum posset eundem tepefacere similium abundantia. Dictum autem est supra inde sumi mensuram quantitatis sufficientis ad lethale.

Denique, qui iustè & honestè acquirit aliquid de nouo, non fit propterea deterioris conditionis quoad ea, quæ prius habebat. Nihil enim peccauit, nec demeruit fauorem legislatoris, imo meruit illum magis, si quidem ditescere nemo iustè potest, nisi promouendo bonum commune aliqua sua operatione honesta, vt suppositum est suprà & infrà ostendetur. Fieret autem deterioris conditionis etiam quoad bona prius habita, si eo ipso posset eripi aliqua pars illorum, cũ minori difficultate, & onere lædentis; & quidem minori propè infinitè, quam posset ante nouam acquisitionem. Tanta nimirum differentia est peccandi lethaliter & peccandi tantum venialiter attenta natura rei secundum se.


Rationes istæ videntur profectò efficaces; neque verò est contemnenda auctoritas in contrarium, quæ initio præmissa est. Suppetit autem idonea distinctio, qua vtrisque satisfiat. Dicendum primò est eandem quantitatem esse sufficien-

tem, & necessariam ad peccatum lethale, respectu omnium, seu minus diuitum nulla facta suppositione voluntatis, qua quis cedat iuri suo, aut præsumptionis satis fundatæ de tali voluntate. Hoc omninò euincũt argumenta nuper proposita, nec quidquam euincit in contrarium ratio illa vnica dubitandi. Quia ditior habet tantum ius ad cõmoda maiora, & fines prestantiores, & ad potentiam proximam vtrorumque; quantũ habet minus diues ad minora, & minus præstantes, eorumque potentiam proximam, vt liquet ex dictis. Magnitudo autem nocumenti prout consideratur in ordine ad iustitiam pendet ex magnitudine iuris læsi. Aliæ namque considerationes, & mensuræ nocumenti pertinent ad charitatem, misericordiam & similes virtutes.

Dicendum rursus est facilius, & in pluribus circumstantijs præsumi voluntatem ditioris, quam minus diuitis cedentem iuri suo quoad quantitatem absolutè sufficientẽ ad lethale, & quoad maiorem quantitatem quo diuitiæ fuerint maiores, & quò res determinatæ, circa quas versatur actio iniusta, sunt minus conferentes minusque applicabiles proximè vel remotè ad fines præstantiores supra descriptos. Facilius namque, & pluries contemnuntur, ac ceduntur alijs quæ sint minus necessaria ad conseruationẽ simpliciter vel ad commodam conseruationem indiuidui, quam quæ sunt necessaria ad alios fines atque ob hũc vsum inter alios sunt æstimabiles diuitiæ; idque est verum semper proportione seruata inter quosuis magis, & minus diuites, & quoad maiorẽ, minoremque necessitatem sub eadem finiũ comparatione. Hinc enim proficiscuntur donationes faciliores, & plures, ac maiores

ditiorum, atque facillimæ plurimæ, & maximæ ditissimorum, si comparentur cæteris paribus, cum ijs qui sunt minus diuites. Quia verò voluntas præsumpta sufficit ad excusandum à peccato, & obligatione restituendi, vt infra dicetur ac exponetur. Fit planè, vt sæpè sit necessaria maior quantitas ad peccandum lethaliter per iniustitiam exercitam aduersus magis diuitē. quam per iniustitiam materialiter æqualem exercitam aduersus minus diuitem.

Pronum porrò est suspicari auctores superius indicatos confudisse, quod sæpe accidit, & facilè est vt eueniat, cum eo quod semper, & ex natura rei verum est; cuiusmodi confusionem esse facilem, & multis obrepere notauit alicubi Philosophus, & frequens experientia docet. Quia verò fundamentū talis præsumptionis nō datur semper. nec vniformiter apud homines etiam ditissimos, nec æqualiter circà omnium rerum genera, & pro omni tempore ac circumstantijs, obseruanda erunt diligenter pro praxi huius conclusionis quæ infra dicentur de voluntate præsumpta. Ad rationem dubitandi iam nuper dictum est. Et ea quæ addun-tur satis superque patēt ex dictis quæst. 29.



QVÆSTIO XXXII.

Vtrum ex peccato veniali iniustitiæ resultare possit grauis obligatio restituendi?

VIDETVR numquam id accidere posse. Quia ad eandē virtutem pertinet non lædere iniustè; & reparare læsionem iniustam; & obligatio ad vtramque fundatur in eodem iure patientis iniustitiam; ac proindè vtrumque opus subest eidem regulæ ex parte agentis & patientis. Ergo fieri non potest vt læsio sit venialiter peccaminosa, & eius nihilominus non reparatio sit peccaminosa lethaliter vtque teneatur ad restituendum sub lethali, qui ad id tenetur ratione solius peccati iniustitiæ quod veniale tantum fuerit.

R. Explicata quantitate rei explicanda iam est quantitas culpæ. Quod pertinet ad examen solius restitutionis, quæ debetur ratione iniustæ acceptionis, quatenus differt ab ea, quæ debetur ratione rei acceptæ, tametsi accepta fuerit absque vlla culpa. Videndum itaque est, quænam nocentis culpa obliget ad reparandum damnum iniustè illatum, tametsi res ablata non extet nec in se, nec in suo effectu, aut quasi effectu. Dictum nimirum est quæst. 24. hoc vnum esse specialiter proprium acceptionis iniustæ.

Certum est peccatum lethale esse sufficiens ad obligationem grauem restituendi; nec est minus certum si peccatum sit veniale solum ex parte materiæ ad solam sufficere

rere obligationem restituendi sub veniali. Dictũ namq. est q. 25. in casu nocumẽti iniustè illati dari contractum cõmutationis inter damnificantem, & damnificatũ, ex quo damnificans manet obligatus ad reparandũ damnum; si quidem contractus sit validus. Certum autem est validitati contractus nihil obesse paruitatem materiæ; nec est minus certum libertatem sufficientem ad lethale, sufficere ad valorem contractus ex genere suo. Difficultas igitur est; an quando materia nocumenti est in se grauis; & nihilominus peccatum nocentis est leue, ex defectu deliberationis resultet obligatio grauis, aut saltem leuis reparandi damnum.

Dicendum est ex communi, nullam inde resultare obligationem restituendi. Suadetur primo, quia homines vel mediocriter cordati, ac prudentes non dissoluunt amicitias, nec perturbantur ira, aut dissensionem tranquillæ paci contrariam concipiũt propter offensas ex defectu deliberationis veniales in vlla materia. Et quidem meritò, quia in actibus venialibus ex defectu deliberationis præualet is defectus ei, quod in tali actu adest deliberationis; præualet verò quasi infinitè, cum de mortali faciat veniale, ideoque perinde potius æstimantur atque si nihil prorsus deliberationis, nullaque culpa intercessisset; & damnũ cõputatur perinde, atque si fuisset omninò fortuitum.

Probatur deinde, quia deliberatio ex sua ratione insufficiens ad lethale, est etiam insufficiens ad valorem contractuum ex communi, & recepta auctorum sententia. Obligatio autẽ restituẽdi prouenit ex contractu commutationis vt dictum est. Ergo deliberatio insufficiens ad lethale, eo

ipso est insufficiens ad inducendam aliquam obligationem restituendi. Confirmatur quia peccatum iniustitiæ, est lethale ex genere suo, vt constat ex disp. 17. Ergo defectus deliberationis auferens ex sua ratione formaliter actioni iniustæ hoc, quod ipsi est essentiale ex genere suo, sufficiet non minus, quin & multo magis ad auferēdam proprietatem istam actionis iniustæ, vt relinquat post se onus reparandi nocumentum; si quidem hæc proprietas est separabilis ab illa, alijs etiam de causis, vt infra dicetur.

Accedit fore inæqualem conditionem lædentis, & læsi, si ex nocumento non satis deliberato resultaret obligatio aliqua restituendi. Quia qui læsit teneretur ad sustinēdum cum deliberatione perfecta nocumentum materialiter æquale nocumēto alterius non satis deliberato; & ob delectationem vix perceptam teneretur ad sustinendum dolorem, qualis consequitur ad perfectam deliberationem iacturæ; hoc est ad dolorem non modo multo maiorem delectatione intra eandem speciem; sed etiam genere diuersum. Quæ inæqualitas est contra rationē iustitiæ & inducit nullitatē contractus.

Difficultatem facessit aduersus hæc, quod ex paruis læsionibus plenè deliberatis, & sæpè repetitis resultare potest obligatio grauis restituendi siue vnus vni, siue vnus pluribus, siue plures vni nocuerint; idque etiāsi, quod fieri potest, totum nocumentum illatū fuerit nullo interueniente peccato lethali, vel ob ignorantiam inuincibilem existentē in vnoquoque lædente de læsionibus cæterorum; vel ob defectum cooperationis respectu cæterorum; vel ob inaduertentiam actualem priorum læsionum; dum committerentur posteriores. Alias enim posset ac-

cidere, vt inferretur proximo cum perfecta deliberatione ingens nocumentum centum v.g. millium aureorumm, similiterque in honore & salute absque vllo onere restituendi; quod non est dicendum, neque vllus vnquam ausus est dicere in omnibus vniuersim propositis casibus. Quod autem peccatum lædentis sit veniale, vel ex defectu deliberationis, vel ex defectu alicuius aduertentiæ actualis, aut cognitionis circa aliquid aliud distinctum ab actione præsenti, nihil interesse videtur. Quæ enim perindè se habent ad venialitatem, vel grauitatem iniustitiæ, perinde quoque se habeant necesse est in ordine ad leuitatem vel grauitatem obligationis restituendi; cum sit eadē prorsus obligatio reparandi damni iam illati, & non inferendi damnum. Ergo leuitas peccati iniustitiæ proueniens ex defectu deliberationis non excusat saltē semper, ac necessariò ab obligatione graui restituendi.

Pro dissoluenda ista difficultate, & ijs omnibus exactè exponendis ac determinādis, quæ tanguntur in ipsa agnoscendum imprimis est ab omnibus magnum discrimen quoad concitandam iram, & perturbandam mutuam pacem inter peccatum iniustitiæ leue ex defectu deliberationis, & id quod leue quidem est, sed cum perfecta deliberatione commissum est. Plus enim mouet ad iram si quis cum perfecta deliberatione eripiat ab aliquo vnum iulium; aut eum dicat non admodum prudentem, aut pugno percutiat, quam si semisomnis aut semiebrius comburat segetes in magna copia, appellet fatuum, aut mutilet. Dictum autem est supra quæst. 27. iniustitiam, & obligationem restituendi mensurandam esse ex vi cōturbandi iram, & perturbandi pacem; si non

fiat restitutio, aut fiat iniuria. Nulla igitur est consequentiæ ratio in difficultate modo proposita, idque facilè conijcere quisque potest à priori ex fundamentis prius positis.

Consideranda deinde sunt singula seorsim, quæ assumuntur in antecedente. Continent enim difficultates diuersas, nec pendentes ab eadem penitus ratione. Primum itaque, si vnus vni per minutas læsiones sæpè repetitas & moraliter vnitas inferat graue demum nocumentum, & admodum ægrè ferendum à patiente, tenetur sub lethali ad restituendum tametsi non peccauerit lethaliter. Tenetur verò ex contractu simpliciter inuoluntario actualiter hic & nunc; valido tamen per mutuum absolutum lædentis, & læsi consensum ex suppositione eiusmodi læsionum cum plena circa singulas delibera ione. Qui enim sic lædit, habet, quoties lædit, voluntatem superaddendi omni suæ anteriori obligationi erga patientem eam, quæ consurgit ex noua læsione. Vndè cum accedit ad nouam læsionem, qua vltimo completur grauitas nocumenti, & qua proinde grauiter peccaret, si meminisset actualiter læsionum antecedentium, habet voluntatem superaddendi sibi obligationem vltra omnes obligationes præcedētes, eaque illis superaddita imponit sibi obligationem grauem restituendi. Nempe imponit obligationem reparandi nocumentum graue conceptam, & acceptatam cū perfecta deliberatione, & quantum fert materia contractus.

Explicatur hoc, & confirmatur exemplo paruarum promissionum. Quia si quis sæpius promittat Iulium alio atque alio tempore, & cum diuersa occasione, atque mo-

tiuo promittendi immemor priorum promissionum, dum facit posteriores promissiones; tenetur proculdubio sub lethali ad adimpletionem illarum, cum ventum fuerit ad magnam summā pecuniæ promissæ. Quod non alia profecto de causa verum est, quam quia quoties promittit de nouo, vult nouam sibi obligationem adijcere erga promissar. ū ultra omnem obligationem antecedentem. Si enim non haberet voluntatem adjiciendi nouam obligationem, sed solum renouandi obligationem præcedentem, post quamlibet nouarum promissionum multitudinem, deberet solum illum iulium, ad quem se obligauit per primam promissionem. Similiter ergo contingit in præsenti. Constitit nimirum superius dati eiusmodi contractum vltrò citròque acceptatum in omni actu iniustitiæ; & patet eum esse validum, quando adest perfecta deliberatio. Peccatum itaq; veniale iniustitiæ, tunc solum inducit obligationem grauem restituendi, cum includit in se contractum validum reddendi quantitatem notabilem, seu sufficientem quantum est de se ad peccatum lethale. Vnde n°h 1. deducitur pro simili obligatione ex contractu contento in peccato, quod est veniale ob defectum deliberationis. Quia hic defectus impedit valorem contractus, quoad vltimum eius complementum, quod adijcit voluntas iniusta nocendi. Pro intelligentia porro huiusmodi contractus, eiusque ineuitabilitate quoad omnes, & singulas partes respectu lædentis iniustè, obseruanda sunt diligenter, quæ dicta sunt in illa quæst. 25.

Eadem ferè ratione contrahit obligationē grauem restituendi, qui per leues singulorum ciuium lesiones spoliat communitatem quantitate notabili, ex. g. qui vendendo vi-

num aut triticum aufert singulis ementibus ex mensura æstimationem oboli, atque inde congerit triginta aut centum scuta vltra iustum pretium; aut componit libellum infamantem leuiter singulos communitatis, sed eo genere infamiæ, qua serpente per singulos absque vlla exceptione, cōmunitas redatur notabiliter contemptibilis, aut minus æstimabilis quam esset antea; aut simile quid perpetrat in negotio salutis, ij inquam contrahunt obligationem grauem restituendi; tametsi quod, difficillimum est, vt accidat; nec ab initio conceperint propositum inferendi eo modo nocumentum notabile communitati; neque dum exequuntur posteriores læsiones leues, quibus nocumentum completur in ratione grauis ac notabilis, meminerint priorum læsionum, nec de illis dubitauerint, ideoq; numquam lethaliter peccauerint; dummodo in singulis læsionibus, aut erga singulos peccauerint venialiter cū plena deliberatione. Probatur eadem ratione, quæ adhibita est pro euentu præcedenti. Nam qui lædunt hoc pacto, habent quoties lædunt voluntatem superaddendi nouam obligationem omni suæ anteriori obligationi erga communitatem, ideòque, cum postremo peccant, consentiunt obligationi circa materiam grauem, quantum ea materia est capax. Est verò capax eo ipso obligationis sub lethali; atque hæc obligatio contrahitur valide, & acceptatur, vt liquet ex eadem quæst 25.

Mirum itaque non est, si etiam in hoc posteriori euentu consurgat obligatio grauis restituendi ex solo peccato veniali plenè deliberato; tametsi talis obligatio resultare non possit ex vllo peccato, quod est veniale ex defectu deliberationis, quandoquidem illud

Illud peccatum continet in se contractum validum de re graui; istud verò inualidum. Apparet igitur clarè quantum intersit quo ad istos duos casus inter venialitatem iniustitiæ prouenientem ex solo defectu deliberationis sufficientis ad lethale; & venialitatem aliundè prouenientem; & quænam sit ratio discriminis à priori inter vtrunque hoc extremum quoad obligationē restituendi; nec perindè se habere quoad istam in genere, quæcumque perindè se habēt quoad illam in genere;

Obseruandum, autem est circa istum posteriorem euentum vnius leuiter lædentis singulos communitatis, & indè grauiter ipsam communitatem, quantitatem nocumenti debere esse multo maiorem; quam si vnus vni noceret. Quia vt plurimum & per se plus afficiuntur homines erga propria, quā erga communia, & magis perturbantur ac mouentur ad iram nocumento æquali proprio, quam communitatis; Quapropter quātitas nocumenti illati communitati modo dicto sufficiens ad inducendam obligationē grauem restituendi, oportebit, vt sit tanta, quanta sufficit, ad commouendum & excitandum tantumdem ad iram communitatem, & singulos in illa contentos prout contentos in illa, quantum vnusquisque commouetur, & excitatur quantitate nocumenti proprij, & particularis, quam superius dictum est sufficere ad peccatum lethale respectu cuiusque seorsim sumpti. Quod si ij quorum singuli leuiter læduntur, nulla societatis colligatione sunt specialiter inuicem coniuncti, sed ita affecti: vt nullus doloris & iræ sensus, aut vix vllus tangat singulos de nocumento cæterorum; & hoc nocumentum tale sit, vt indè non resultet aliud rursus

nocu-

nocumentum graue aduersus personam determinatam, vel aduersus alios societate ciuili specialiter coniunctos; nulla aut vix vlla quantitas damni inde consurgens sufficit ad peccatum lethale, aut ad grauem obligationem restituendi. Quia eo ipso cessat ratio grauis iniustitiæ supra explicata ex D. Thoma quæst. 27. Vnde pro hoc euentu approbanda venit opinio vniuersaliter asserta ab Angelo Medina, & Nauarra, atque vniuersaliter reprobata tanquam improbabilis à cæteris cum de Lugo disp. 15. sect. 3. nu. 48. cum tamen neque hanc censuram mereatur pro isto postremo euentu, nec illam approbationem nisi pro eodem. Verum tales euẽtus, prout hic propositus est, videtur moraliter impossibilis. Certè exempla abominationis diuinæ aduersus lædentes per paruas læsiones adhibẽtur prouerb. 11. & Deuter. 25. solum in statera dolosa & ponderibus diuersis, quorum vsus complectitur, vt patet etiam directè conciue lædentis, vel saltem eos, qui inter se tales sunt. Videatur Cardinalis cum istiusmodi obseruatione ac distinctione.

Vltimus euentus indicatus in difficultate de cuius expositione agitur, de pluribus nocentibus vni seu personæ, seu communitati dupliciter contingere potest. Primo ita vt omnes communi consilio inferant nocumẽtum magnum iuuantibus singulis reliquos, impellentibus consilio, nutu, aut exemplo; vel reddentibus seu absolutè, seu magis inimpedibiles eosdem a concursu simultaneo ad nocendum, tametsi singuli exiguum nocumentum per se ipsos immediate exequantur. Et tunc omnes & singuli lethaliter peccant tenenturque ad reparandum totum damnum in defectum cæterorum. Quia tunc singuli

singuli sunt causa totius damni totalitate effectus, licet non totalitate causæ. Vnde ex hoc modo lædēdi nulla est difficultas pro re præsenti, neque est vlla apparentia paritatis pro casu indeliberatio. is. Fieri secundo potest, vt nullus seorsim & secundum se leuiter nocentium habeat notitiam similiū læsionum, quas cæteri exequuntur; vel ita se gerat vnusquisque, tametsi habeat eā notitiam, vt nullo ex dictis modo, vel etiā aliquo alio æquiualēti cæteris cooperetur formaliter, sed tantum purè materialiter, & per accidens: vt si aliqua multitudine iniquè deuastante vineam Caij, aliquis alius furetur obolum in domo eiusdem, vel racemum ex alia eiusdem vinea. Et si quidem hoc modo res euenerit, non tenetur sub lethali ad restitutionem, qui sic executus est paruam læsionem. Quæ est communior auctorum sententia quam docet Cardinalis de Lugo, & multipliciter suadet ab incommodis oppositæ opinionis; quam tamen tradunt non pauci, nec ignobiles auctores apud eundem vbi supra.

Ratio à priori quoad vtramque partem huius resolutionis reddēs discrimen itidem à priori inter illas est, Quia vnusquisque iniustè lædens alterum eo modo paciscitur cum illo de reparando damno, quo modo damnum infert, vt colligitur ex sæpe citata quæst. 25. vtpote ex qua hæc omnia pendēt. Igitur qui damnum infert inita cum reliquis nocentibus societate nociua, eo ipso cōsentit communi obligationi ad reparandum totum damnum à se simul cum cæteris illatū. Voluntas enim sese inuicem iuuandi, indiuisim est voluntas sese inuicem implicandi obligatione reparandi totum nocumētum; perinde omninò, atque si omnes & singuli no-

centes

centes dicerent patienti; nos tibi totũ istud nocumentum reparabimus; atq; patiens cõsentiret in totum nocumentum, sub ea conditione; aut certè absque isto consensu in nocumentum, vti semper accidit respectu iniustè nocentium, acceptaret promissionẽ reparationis. At qui nocet, quando alij nocent, aut postquàm illi nocuere, seu ad nocendum sunt parati nulla; cum illis inita societate, nullaque facta conuentione nociua cum ijsdem, nullatenus consentit obligationi reparandi totum damnum. Quia nullum celebrat contractum reparationis sibi & cæteris nocentibus communem cum patiente damnum; sed perindè omninò se habet atq; si cæteris paciscentibus expressè, & in particulari de magna quantitate; ipse seorsim paciscceretur de solo obolo, vel racemo, siue conscius, siue non conscius, pacti per alios initi. Patet igitur ex neutro modo nocendi peccando venialiter cum plena deliberatione quidquam inferri posse pro simili obligationi graui ex peccato veniali ob defectum deliberationis, atque consurgere posse grauem obligationem restituendi ex peccato veniali iniustitiæ si hoc insuper contineat consensum, vel implicitum, vel explicitum in talem obligationem.

Superest tamen adhuc alia difficultas eodem pertinens, & egens explicationis peculiaris. Videtur nimirum oriri sæpè obligationem non solum leuem, sed etiam grauem restituendi ex culpa leui, imò & leuissima, idque non vi contractus tantum, aut officij atque consilij, de quibus apparet in vtroque iure ita expressè dispositum esse, sed etiam seclusis his circumstantijs, vt colligitur ex capite vltimo de iniurijs, vbi Gregorius IX. dicit *imperitiam, & negligentiam non excusare*

cà repa-

(à reparatione videlicet damni dati) *sed solum nihil de contingentibus omisisse*. Quæ pro fecto est diligẽtia opposita culpæ leuissimæ. Culpa autem leuis, & leuissima non sufficiũt ad peccatum lethale. Ergo absque peccato lethali, datur grauis obligatio restituendi; neque id omne excusat ab hac obligatione, quod excusat ab eo peccato, tametsi eæ circumstantiæ non interuenerint, quæ in superiori discursu ponderatæ sunt pro consensu grauiter obligati in obligationem grauem.

Pro intelligentia huius textus exponẽdæ in primis sunt culpa lata, leuis, & leuissima. Culpa lata cõmuniter definitur omissio eius diligentiæ, & circunspectionis, quam plerũque homines eiusdem conditionis adhibere solent; vt si liber commodatus foris antè ostium relinquatur. Culpa leuis est omissio eius diligentiæ & circumspectionis, quam diligentiores illius artis & professionis adhibere solent; ideſt qualis plerumque non adhibetur. Leuissima verò culpa est omissio eius diligentiæ, quam non nisi diligentissimi, & prudentissimi adhibere solent; ideſt qualis non adhibetur nisi admodum rarò. Poteſt hoc ipsum paulo aliter exponi in hunc modum. Culpa lata est omissio eius diligentiæ, ad quam omissionem plerunque, ac ferè semper consequitur damnum, seu interitus rei: nec prudenter sperari poteſt consecuturũ non esse. Culpa leuis est omissio, ad quam non ita frequenter consequitur damnum, seu interitus rei; atque prudẽter sperari poteſt, licet cum aliquo timore consecuturũ non esse. Leuissima culpa est omissio, ad quam rarissimè cõsequitur damnum, seu interitus, nec prudenter timeri poteſt consecuturum esse. Verum standum potius est prioribus expositionibus ac vocibus

quæ videlicet subintelliguntur apud omnes auctores, dum nominant triplex istud culpæ genus.

Obseruandum deindè est, cum Cardinali de Lugo, eandem omissionem, quæ in vna materia, & respectu vnius personæ obligatæ ad diligentiam adhibendam est culpa leuis aut etiam leuissima; in alia & respectu alterius esse latam; nec easdem omissiones pro omnibus rebus, & personis pertinere ad eũdem culpæ gradum ac genus. Quia prudentes, & prudentissimi homines pro diuersitate rerum, & status sui diuersam diligentiam, & circunspectionem adhibere solēt. Nec enim eadem diligentia custodiuntur à prudentibus gemmæ, & globuli vitrei, sed omissio diligentiæ quæ pro custodia vitri esset leuis culpa, pro custodia gemmæ esset culpa lata, & sic de alijs eiusmodi. Et quidem pro culpa Theologica, & foro interiori obseruandum omninò est istud rerum, & personarum discrimen. Constat enim non leuiter peccaturum esse qui non adhiberet maiorem circumspectionem, ac diligentiam, quando adest periculum occidendi hominem, quam quæ sufficit ne peccet, quando adest periculum occidendi canem, aut equum alienũ. Pro culpa igitur Theologica graui, aut leui ponderandæ sunt necessario conditiones personarum, & rerum.

At Iuristæ pro culpa iuridica, & foro externo non obseruant vsque adeò istas differentias, sed eandem omissionem, dicunt culpam seu latam, seu leuem, seu leuissimam circa quamlibet rem, & relatè ad personas cuiuslibet promiscuè conditionis. Vnde dicere solent commodatarium, ex. g. si contractus cedat in commodum domini teneri ad restitutionem solum ex culpa lata; si in

com-

commodum solius commodatarij teneri etiam ex culpa leuissima; si in commodum vtriusque commodantis scilicet, & commodatarij teneri ex culpa lata, & leui; non verò ex culpa leuissima, & sic de similibus iuxta legum ciuilium dispositionem pro foro externo.

Dicendum iam est ad difficultatem propositam. Vbi omissio diligentiæ vacat culpa lethali, ideoque non datur culpa lata respectiua; hoc est spectata rei & personæ conditione; nunquam datur obligatio grauis restituendi, nisi fortè ob repetitum sæpè peccatum veniale plenè deliberatum iuxta dicta circa difficultatem præcedentem, aut ob contractum validum quo quis implicitè vel explicite se obligauerit specialiter ad præstandam summam diligentiam, & ad reparandum damnum ex culpa etiam leuissima secutum. Quæ duæ exceptiones ab omnibus admittuntur. Prior quidem de peccato veniali sæpè repetito ob ea quæ superius dicta sunt, circa prædictam anteriorem difficultatem; Posterior verò de contractu speciali, quia per contractum speciale potest quis se obligare validè, prout libet, ad reparandum damnum etiam purè fortuitum, & eueniens absque vlla prorsus culpa, seu Theologica, seu legali.

His igitur prætermissis suadetur assumptum. Quia omnis obligatio restituendi ducit originem ab hominum mutua inter se conuentione vniuersali, vt sæpè dictum est ex doctrina quæst 25. confirmanda vlterius infra. Fieri autem non potuit, vt omnes in hoc vniuersaliter conuenirent, vt ex vnico peccato veniali resultaret grauis obligatio restituendi. Quia peccatum veniale est de genere malorum moraliter ineuitabiliū, &

& quilibet facillimè incidit specialiter in illud, quod in omissione diligentiæ consistit. Diligentia namque contraria requirit attentissimam plurimarum circumstantiarum obseruationem, & præcautionem. Restitutio è conuerso, quæ est materia obligationis grauis, est opus difficile ac arduum, cuius grauamen plerosque homines male vexat; Non potest autem omnibus hominibus vniuersaliter, ac vniformiter placere, vt sit facilè, ac penè ineuitabile incidere in obligationem vsque adeò grauantem, & cui difficillimè satisfiat; maximè cum ex eiusmodi obligatione vniuersali prouentura minimè foret vnicuique spes indemnitatis in bonis suis, æqualis periculo magni grauaminis. quandoquidem posita etiam eiusmodi obligatione adhuc peccatum veniale negligentiæ foret vitatu difficilè, & restitutio itidem difficilis. Quotus autem quisque est, qui velit spem coniunctam cum periculo valde præponderanti? connaturalius igitur fuit, & conuenientius, vt omnes in eam voluntatem conuenirent, quæ reputarent tanquam malum purè fortuitum, quod ex veniali omissione, diligentiæ processisset in materia graui. Facilius nimirum est patientem esse in tolerando damno proprio adueniente extrinsecus per leuem alterius iniuriam; quam diligentem esse in reparando damno alieno ex bonis proprijs.

Quapropter in capite illo vltimo de iniurijs nomine imperitiæ, & negligentiæ intelligitur peccatum lethale, vt asserunt Lessius, & alij. Nec nomine contingentium intelligitur indiscriminatim quiduis absolutè possibile euenire, sed quod frequenter contingit. Id quod vltra datam rationem

vni-

vniuersalé, hoc specialiter persuadet quod suggerit ibidem Pontifex: *scire debuisti ex facto tuo iniuriam verisimiliter posse contingere.* Nec minori cum fundamento subintelligitur culpa lethalis in Can. *Consuluisti* 2. quæst. 4. vbi agitur de homicidio parentum collocantium secum in lecto filios tenellos, vnde eorum suffocatio, ac oppressio facilè consequatur. Iam leges ciuiles præcipientes in nonnullis casibus reparationé damni secuti ex culpa leui, aut etiam leuissima, vel sunt accipiedæ, vt vult Cardinalis de Lugo, de culpa absolute quidem leui, aut leuissima, sed quæ respectiué sit culpa lata, & coincidat cum peccato lethali; vel potius dicendum est cum Soto, Lessio, & alijs eas leges non obligare in conscientia ante iudicis sententiam; idque eadem fere ratione, qua idem in simili dictum est quæst. 26.

Adde fieri non posse, vt omissio diligentiæ in re graui, & capaci quantum est de se grauis obligationis, sit venialiter tantum peccaminosa, nisi ex defectu deliberationis sufficientis quantum est de se ad lethale. Si enim sufficienter aduertas ex tua diligentiæ omissione graue nocumentum imminere proximo, teque teneri ad eam diligentiam peccas vtique lethaliter eam omittendo. Absurdum namque est dicere te nonnisi leuiter offendere proximum ea diligentiæ, ad quam ille habebat ius, omissione perfectè deliberata, quæ ipsi creat iacturam centum millium aureorum, aut regni. Si autem desit deliberatio sufficiens ex se ad lethale, est ille ipse casus de quo ab initio disputatur, ideoque nulla in auctoritatibus propositis adducitur difficultas specialis. Concluditur igitur postremo nunquam ex-

ex peccato veniali iniustitiæ resultare posse obligationem grauem restituendi, nisi actus quo peccatur consentiat cum plena deliberatione in obligationem grauem; posse vero si in illam ita consentiat modo superius explicato.

Vnde patet ad rationem dubitandi quia licet obligatio non nocendi, & obligatio reparandi damnum spectent ad eandem virtutem, & pendeant ex eodem iure; potest tamen variari obligatio ex voluntate nocētis imponentis sibi obligationem imposterum maiorem quam sit illa, ad quam aduertit explicite, cum committit peccatum iniustitiæ; atque variata suppositione, variatur opus pertinens ad iustitiam, & exactum à iure.

QVÆSTIO XXXIII.

Vtrum necesse sit, & sufficiat restituere quantum ablatum fuerat?

VIDETVR nec semper id esse necesse, nec semper sufficere 1. quia fieri potest, vt tempore intermedio post iniuriam illatam, & antequam fiat restitutio, mutetur fortuna læsi, aut lædentis, aut vtriusque; nempe vt qui tunc erat diues, postea sit pauper; aut è contra. Atque ex vtrouis capite subsequitur inæqualis obligatio respectu cuiusque.

2. Qui læsit iniustè vltra restitutionem rei ablatæ tenetur præterea reponere quantum

quantum sufficit ad sedandum dolorem patientis prouenientem ex iniuria vltra eum qui consurgit ex re amissa. Quia ad id cogunt iudices per sententiam. Quod esset iniquum, si ea obligatio superogandi non resultaret ex formali lædentis iniustitia. Necesse igitur est, vt iniustè accipiens restituat vltra id, quod ablatum fuerat.

R. Certum imprimis est ex dictis supra ratione rei acceptæ debere restitui totam rem, quæ accepta fuit, siquidem tota superfit; sin minus quatenus extiterit vel in se, vel in suo effectu. Effectus autem rei sunt tum res accipientis, cuius loco consumpta est res accepta, quæque consumenda erat, si hæc illi substituta non fuisset; Quia nemo per damnum alterius locupletior fieri debet: tum fructus prouenientes ex re accepta, siue percepti iam sint, siue pendentes, quia res quælibet domino suo fructificat. Eius videlicet est virtus fructifera cuiusque rei, & quidquid in ea causaliter continetur, cuius est ipsa res.

Porrò inter fructus restituendos censentur non solum purè naturales, seu qui spōtè proueniunt nulla aut vix vlla concurrente industria, aut labore, vt fœtus animalium, & arborum poma; sed etiam mixti, seu ad quos æqualiter, aut fere virtus naturalis & industria, aut labor concurrunt; idque siue natura præualeat, vt in segetibus, vino, oleo & similibus, qui à Theologis dicuntur fructus naturales; siue præualeat industria, vt in pretijs rerum locatarum, & similibus, quæ à Iurisperitis dicuntur fructus ciuiles. Verum fructus mixti, non nisi deductis expensis, & æstimatione laboris, restituuntur. At fructus purè industriales, seu quorum res ipsa ferax non est de

se

se, sed sola hominis industria parit. licet, ad illos deseruiat res aliena tanquam instrumentum, non subiacent obligationi restituendi; sed fiunt eius, qui adhibet industriam, siue bonæ, siue malæ fidei possessor is fuerit. Quia sua vnicuique industria vtilis esse debet. Vnde ad dominum rei solum pertinebit quantum æstimabitur vsus eiusdem rei, seu instrumenti.

Certum deindè est omnia eadem debere restitui ratione iniustæ acceptionis, seu læsionis; idque non tantum quatenus extiterint in se, vel in suo effectu, verum etiam si interierint, nec vllam indè cæperit vtilitatem realem, qui nocuit. Quia nemini debet nocere iniquitas alterius in rebus absolutè suis. Quapropter qui iniustè læsit, debet præterea restituere omne lucrum cessans, & damnum emergens secundum prudentem æstimationem spei circa vtrumque omnibus hinc indè consideratis. Idque debet siue lucrum cessans, & damnum emergens contineatur in eodem illo genere bonorum, in quo læsio directe facta fuit, siue in diuerso. Omnium namque indiscriminatim reparationem esse debitam, ratio data æque persuadet, dummodo nocumentum consecutum sit ex actione iniusta; nec illud erat aliunde nihilominus euenturum absque cuiusquam iniustitia. Nempe res similiter interitura apud dominum, nemine etiam ipsum iniustè lædente, nullius est pretij. Dicitur autem nemine iniustè lædēte, quia nocumentum illatum ab vno, inferendum fuisse ab altero; nihil excusat lædentem de facto. Is enim de facto in se suscipit onus restituendi, quod similiter ad alium pertinuisset, si alius de facto læsisset, vti contingit in re empta ab aliquo, quæ

vel

vel facultas eam destruendi emenda fuisset ab alio. Dictum nimirum est supra quæst. 23. perinde commutationem vtrobique interuenire, quod ad hoc punctum attinet.

Difficultas igitur solum superest an qui iniuste læsit, teneatur præterea ad aliquid ratione culpæ. Respondet cum distinctione D. Thomas quæst. 62. art. 3. ante sententiam quidem iudicis sufficere si restituatur quantum iniuste ablatum fuerat; post sententiam verò iudicis consurgere insuper obligationem in conscientia id adijciendi, quod iudex censuerit. Subdistinguit ibidem Caietanus, Vel pœna stabilita per legem indiget ad executionem sui aliqua actione, vt mutilatio, verberatio, & similia: vel nulla præterea indiget actione, quia in sola priuatione consistit, vt excommunicatio, suspensio, interdictum & similes. Prior pœna ait non obligat in conscientia ante sententiam iudicis; posterior obligat.

Verum subdistinctio illa Caietani tangit punctum latius patens, quam sit hoc de quo hic agitur, & agit ibi D. Thomas. Dantur nimirum leges pænales non solum aduersus actiones iniustas, & offensiuas proximorum in suis iuribus, sed etiam aduersus alia peccata nihil nocentia proximis vel non nocentia aduersus ius, & iustitiam. Deinde non est vniuersaliter vera ea doctrina, quia lex spolians in pœnam iuribus circa bona pecunia æstimabilia non indiget ad sui executionem vlla actione positiua, nec tamen obligat in conscientia ante iudicis sententiam. Præterea D. Thomas non agit de qualicumque pœna actionis iniustæ, sed de ea tantum, quæ imponitur in fauorem iniuriam passi, vt ipsi satisfiat, & tollatur ex eius animo offensio

O præ-

præconcepta supe raddendo pœnam cedentem in eius vtilitatem, & lucrum; pro qua re adest ratio specialis independens ab vniersali legum pœnalium consideratione.

Nēpè offensionē, & perturbationē animi, quā iniustè passus est qui passus est iniuriā, nō esse cōpēsabilem ad æqualitatē, vti paulo post ostendetur, sicut est compensabilis ad æqualitatem iactura bonorum; quæ ablata fuere per injustam actionem. Ergo satisfit obligationi iustitiæ antecedenti sententiam iudicis, & consequenti ad iniuriam ex natura rei constitutā æqualitate inter ablatum, & restitutum, atque de reliquo quoad compensandam offensionem animi, & rationem formalem iniuriæ standum est arbitrio iudicis, nec est vlla ante eius sententiam obligatio specialis restituendi, ac superaddendi vltra quantitatem nocumenti illati in bonis exterioribus; quandoquidem in nouo Testamento nulla datur lex diuina aut humana de superaddenda determinata aliqua quantitate pro offensione animi, & ratione formali iniuriæ vt aduertit D. Thomas ad primum; atque hæc est legitima quæstionis propositæ resolutio: sufficere nimirum si tandamdem restituatur quantum ablatum fuerat, dum nihil vltra præcipit Iudex.

Ad 1. Constat ex quæst. 30. & 31. ex neutro illo capite variari quantitatem singulis debitam. Qui verò ex vtroque vel altero docent illam variari hoc insuper difficultatis habent aduersus se, vt componāt eam suam sententiam cum doctrina modo tradita quæ est communis, & indubitata apud omnes.

Ad 2. patet ex nuper dictis cum D. Thoma, & videri insuper possunt quæ in eam-

rem dicta sunt quæst.23. circa differentiam inter restitutionem, & satisfactionem propriè talem.

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrum Restitutio facienda sit iuxta existimationem nocentis.

VIDETVR obligationem plus, vel minus restituendi nunquam pendere ab æstimatione nocentis. 1. Quia hoc est discrimen virtutum quæ versantur circa passiones, & earum quæ versantur circa operationes, vt obligatio illarum mensuretur existimatione operantis, istarum verò nequaquam. Quia virtutes quæ versantur circa passiones intendunt medium rationis; quæ verò circa operationes medium rei secundum se vt dictum est quæst.9. Ergo quātitas restituenda semper, & vnicè dependet ab inæqualitate causata à parte rei, nec potest vnquam variari propter varietatem præexistentem in existimatione, & iudicio nocentis.

2. Si quantitas restituenda aliquando esset mensuranda dependenter ab existimatione nocentis, semper deberet taxari iuxta eandem. Quia lex restitutionis semper est vna, & eadem. Sequela autem est absurda apud omnes.

R. Non est dubium, quin si quantitas nocumenti reipsa illat fuerit minor, quam existimauit, qui nocuit, non teneatur is ad

O 2 resti-

restituendum iuxta suam æstimationem, sed præcisè quantum re ipsa nocuit. Quia hoc solum restituto constituitur æqualitas intenta per iustitiam, & ad nihil vltra æqualitatem tenetur ex iustitia, loquendo per se, & nisi error præuius perseueret &c. Quando autem euentus nocumenti superat inculpabilem existimationem nocentis, non conueniunt auctores circa quantitatem restituendam.

Cardinalis de Lugo respondet post alios non paucos cum distinctione; vel enim nocumentum superans existimationem nocentis fuit realiter indistinctum ab eo, quod præcognouit, qui iniuste nocuit. vt si proiecit in mare gemmam alienam existimans esse vitrum, & sciens esse alienum quidquid esset. Vel fuit idem nocumentum realiter distinctum, & resultans deinde præter opinionem; vt si combussit segetes, & indè factum est, vt combureretur etiam domus præter omnem opinionem, & suspicionem comburentis segetes. In priori euentu docet deberi restitutionem iuxta quantitatem nocumenti reipsa illati: in posteriori vero nonnisi quatenus præuisum fuit. Reddit rationem discriminis, quia qui proijcit gemmam, tamet si existimet esse vitrum, vult reipsa proijcere gemmam, & volitione executiua vult perdere, quod habet in manu quidquid illud sit. Ergo tenetur ad reparandum damnum, quale reipsa fuit, quia sic reipsa voluit. Qui verò apposuit causam damni reipsa subsecuturi ignorans inuincibiliter illud esse subsecuturum, nec realiter, nec formaliter vult damnum reipsa subsecutum; nec illud magis amplectitur volitione executi-

ua,

ua, quam intentiua; sed respectu vtriusque se habet merè per accidens; & moraliter perinde æstimatur, atque si nocumentum omninò inopinatum, & distinctum realiter ab eo, quod præuisum est, non esset re ipsa subsecutum.

Verum hæc ratio discriminis nequaquã satisfacit. Quia ignorantia quoad vim damnificandi perinde omninò est, atque ignorantia quoad valorem rei. Tota namque vis damnificandi est indistincta realiter ab actione, seu re nociua inferente reipsa maximum nocumentum, non minus, quam sit indistinctus maximus valor à re plurimũ valente in seipsa. Quare si is qui perdidit gemmam, aut verum aurum æstimans esse vitrum, aut aurum falsum, tenetur ad valorem gemmæ, aut auri veri; similiter is qui dedit cibum re ipsa lethalem existimans inculpabiliter esse causatiuum solius insomnij, aut leuis doloris in capite, tenebitur de toto damno consecuto reipsa per se ad mortem hominis. Nempe voluisse causam necessariam damni, perindè moraliter est, atque idem damnum immediatè, & in se voluisse, maximè cum priuatio boni sit indistincta à quolibet incompossibili cum eodem bono, ideoque per se ipsum immediatè priuet eodem bono pro eo tempore, pro quo est imcompossibile cum illo de quo alias; nec enim ad præsens multum refert præter quam ad hominem aduersus auctores distinctionis, quæ directè impugnantur.

Ratio igitur paritatis à priori independens ab ea opinione de priuatione, desumitur ex eo quod ad æstimationem, & effectus morales actuum, tam bonorum, quã malorum perinde valet distinctio rationis,

atque distinctio realis, vt dictum cum D. Thoma aliorumque communi & indubitata sententia quæst. 2. de virt. Theol. & alibi non semel. Ergo damnum esse distinctum realiter, vel indistinctum realiter ab eo damno, quod præmissum est, seu existimatum formaliter, nihil variare potest æstimationem, & effectus morales actionum; sed quantitas præcisa per rationem à quantitate damni realiter subsecuti perinde reputabitur, atque si identificata realiter minimè cum illa fuisset: sicut reputatur ab omnibus quoad quantitatem seu magnitudinem malitiæ actus.

Dicēdum itaque est vniuersaliter in nullo euentu deberi restitutionem vltra quantitatem in ocenter existimatam à nocente, nullamque obligationem resultare ex quantitate damni, & valore rei inuincibiliter ignoratis ita, vt ne dubitauerit quidem de vlteriori valore, aut vi nociua.

Ratio est, quia inhumanum est, vt homines contrahant obligationem ex actione sua modo minimè humano; Obligatio autem consequens ad ignorantiam inuincibilem, contracta eatenus esset modo minimè humano, quia homo quatenus ignorat, nihil differt a bruto, & agente inanimato. Caret enim eatenus libertate, quæ est discretiua humanitatis, & à qua pendent obligationes contrahendæ per actionem propriam.

Confirmatur ratione superius indicata quæst. 32. versus finem. Quia nemo creditur consentire in contractum maioris periculi, quam spei. Voluntas autem consentiens reparationi damni minimè præuisi, & superantis existimationem conjcit in maius periculum, quàm spem. Grauius nā-

que

que procul dubio est spoliare se scientem bonis suis in compensationem erogandis, quam ijsdem ab alio ignoranter priuari. Quare communis hominum consensus, antecedens euentus æque possibiles respectu cuiusuis, hic potius est, vt reputentur pro damnis purè fortuitis quæ ab aliquo minimè existimante illata fuerint, quatenus inculpabilem existimationem, & opinionem nocentis excesserint, quam vt spem aliquam maiorem concipere, ac fundare voluerint non patiendi nocumentum inito contrario pacto.

Confirmatur rursus, quia nemo rationabiliter irascitur aduersus nocentem cum ignorantia nocumenti quatenus ignorauit, ac proinde non ageret rationabiliter cum eo, si hostiliter eatenus ageret cum eodem. Ageret autem hostiliter, si compelleret ad subeundum magnum damnum, pro placatione sui, nec aliter vellet redire ad pristinam pacem, ac beneuolentiam mutuam. Quare ad rationem discriminis suprà assignatam dicitur in actione, siue mediatè, siue immediatè plus nocente, quam putauit auctor actionis, excessum se habere purè materialiter quoad prudentem operis æstimationem, atque ideo nullum eatenus effectum moralem specialem resultare; neque realem ignoti cum noto identitatem quidquam in contrarium valere.

Dictum autem est vniuersaliter neminem teneri ad reparandum damnum, quatenus fuit inopinatum, ac inexcogitabile seu non non timendum prudenter. Quia nullum quoad hoc admittendum est discrimen inter eum, qui nocuit putans quantitatem nocumenti esse sufficientem ad lethale, & eum qui putauit esse sufficientem solum ad ve-

niale;


niale; cum vterque putauerit esse minorem, quam re ipsa fuit, nec de opposito dubitauit, quod rarò cõtingere potest. Licet enim qui putauit quantitatem esse sufficientem ad lethale, eo ipso hostiliter egerit ideoque meruisse videatur, vt etiam cum ipso hostiliter agatur exigendo ab eo quantum reipsa nocuit, Quod meritum nequaquam inest existimanti quantitatem esse venialem. Hæc nihilominus differentia, cui plurimum insistit Cardinalis de Lugo disp. 8. sect. 5. nulla ex parte labefactat vim superioris nostræ rationis vniuersaliter concludentis. Solum enim persuadet facilius, ac rationabilius condonari venialiter, quam lethaliter peccanti restitutionem quantitatis ab vtroque existimatæ. Si enim exigatur vltra existimationem, ac prudentem dubitationem, non hostiliter solum agetur, sed etiam tyranicè ac inhumanè.

Opponit Cardinalis paritatem ex incursione pœnarum excedentium sæpè existimationem peccantis. Sed retorquetur facilè & efficaciter paritas. Quia quantitas pœnæ iustæ non potest excedere per se quantitatem culpæ formalis; nec culpa formalis potest excedere existimationem peccantis circa grauitatem culpæ. Ergo similiter quantitas rei restituendæ non potest excedere per se quantitatem nocumenti existimatam à nocente. Nempè restitutio correspondet nocumento proximi sicut pœna culpæ quatenus imputabilibus; idque simili prorsus modo pro culpa, & nocumento siue leui, siue graui. Quæ ipsa vniformitas quoad leue & graue in pœna & culpa nocet specialiter intentioni Cardinalis volentis tueri discrimen inter iniustitiam leuiter, & grauiter peccaminosam; cum tamen æquè contingat

fingat pœnam per accidens excedere culpam leuem ac grauem; neutram verò vnquã excedere possit per se. Quæstio autem præsens est de obligatione per se vltra nocumentum existimatum. Concluditur igitur quantitatem restituendam nunquam posse esse maiorem inculpabiliter existimata; posse tamen aliquando esse minorem.

Ad 1. Dictum est eo in loco, & sæpè alias medium rei quod intendit iustitia: considerari relatè ad ius eius circa quem operatur ipsa iustitia. Ostensum autem est non competere ius patienti, vt sibi restituatur quantum re ipsa fuit nocumentum, quod passus est, sed quantum inculpabiliter existimauit, qui nocuit; Atque eatenus tenetur ad medium rei qui nocuit; neque si postea per nouum errorem restituat bona fide minus quã existimauit quando nocuit, propterea liberatur à tota obligatione, sed tenetur super erogare, cum primum innotuerit posterior error. Cuius nihil simile est in alijs virtutibus quæ versantur circa passiones.

Ad 2. Satis superque patet ex dictis supra ratio differentiæ ob quam qui minus nocuit quam putauit non debeat restituere quantum putauit, sed minus; non verò similiter plus debeat restituere, quàm re ipsa nocuerit, qui minus nocuit, quam putauit, ideoque, neque semper, neque nunquam standum sit mensuræ existimationis, quæ præluxit nocenti. Quia semper satisfit iuri patientis si recipiat quantum amisit; & aliquando etiamsi minus recipiat.



QVÆSTIO XXXV.

Vtrum sola nocentis intentio possit variare obligationem restituendi?

VIDETVR variare posse. 1. Quia in materia aliarum virtutum sola diuersitas intentionis ex parte operantis potest inducere dispares obligationes ex.g.si actio vtilis alteri fiat animo benefico, obligat ad gratitudinem; si minus non obligat; idemque apparet in pluribus alijs aliarum virtutum exemplis quæ prosequitur latè Cardinalis de Lugo disp.8. sect.6. Ergo id ipsum accidere potest in materia iustitiæ. Nec enim apparet vlla quoad hoc punctum differentia inter ipsam, & alias virtutes.

2. Sola diuersitas intentionis efficere potest, vt quis constituatur, vel non constituatur in ratione causæ moralis respectu effectus consecuti ad eius actionem, vt patet in eadem tentatione denominante dæmonem vel hominem causam peccati ex tentatione suborti, minimè verò Deum; quia illi intendunt peccatum, Deus verò minimè intendit. Ergo eadem sola diuersitas intentionis efficere poterit, vt aliquis sit causa moralis nocumenti resultantis proximo ex sua actione, tametsi non sit inductiua illius ex sua natura. Causalitas autem moralis in damnum proximi inducit obligationem restituendi. Qua ratione mouetur Vasquez.

3. Videtur insuperabile hanc in rem argumentum

gumentum desumi ex lege, secunda §. *idem Labeo ait. ff. de aqua pluuia arcenda*. exque alijs similibus præcipientibus reparationem damni secuti, si tale damnum intentum fuit ab auctore operis, ad quod consecutum est, minime verò seclusa intentione damni. Vndè hoc idem vt certum supponere videtur quamplures auctores apud Thom. Sanchez lib. 2. consil. cap. 1. dub. 5. recurrentes ad intentionem operantis, aut omittentis pro obligatione, aut de obligatione restituendi. Ergo dubitari non potest, quin intentio nocentis se sola sufficiat ad variandam hanc obligationem.

R. An intentio nocendi possit aliquando inducere, vel augere obligationem restituendi, non ad futuram, si illa non adfuisset, tametsi cætera omnia adfuissent eadem; maximè verò si adfuisset præcognitio possibilitatis nocumenti coniuncta cum persuasione moraliter certa illud non esse subsecuturum ad talem actionem; & tamen de facto subsecutum est ad ipsam? Affirmant, & negant graues, nec pauci auctores. Dicendum autem est intentionem nocentis se sola nihil ad rem facere, nec variare posse obligationem restituendi. Cui sententiæ fauent Thomas Sanchez, Lessius, Nauarra, Turrianus, & alij. Quia ius proprietatis vnicuique conueniens respectu suorum bonorum tantum indirectè extenditur ad actus internos voluntatis, quatenus sunt causatiui alicuius actionis directè contradicentis eidem iuri. Ergo quando actio exercita, ex intentione vtcunque alias mala, non fuerit contraria iuri alterius, ea intentio non erit mala malitia iniustitiæ, sed inuidiæ, nimic iræ, vel alterius similis vitij. Confirmatur quia sola diuersitas intentionis non potest efficere,


te, vt desit æqualitas bonorum, per iustitiã intenta, vt per se patet. Ergo non potest facere, vt actio exterior, alias non futura iniusta, sit iniusta, adeoque inductiua obligationis restituendi; hoc est vt sit inductiua inæqualitatis, & obligationis reparãdi æqualitatem.

Ad 1. Hoc est discrimen inter iustitiam, & alias virtutes morales, vt illa in medio rei, istæ in medio rationis consistant, vti expositum est quæst. 9. eamque medietatem respicit iustitia relatè ad ius alterius, eoque solo eam metitur; cum aliæ virtutes alijs rationibus nitantur. Peruersitas autem intentionis solùm recedit à medio rationis, quando seclusa intentione, nulla est iniustitia in actione secundum se, tametsi fiat cum perfecta alias rei ipsius cognitione, ac deliberatione, nec intentio secundum se præcise considerata subest iuri alterius, vt per se patet. Aliæ virtutes respiciunt alia motiua, & medietatem aliam variabilia ex intẽtione operantis, ad quam etiam immediatè & secundum se referuntur. Nulla igitur est paritas obiectionis.

Ad 2. Distinguitur antecedens, sola diuersitas intentionis efficere potest, vt quis constituatur in ratione causæ moralis iniustè agentis formaliter, negatur antecedens; agentis contra caritatem amicitiam, beneuolentiam, misericordiam, & similes virtutes conceditur antecedens. Ratio discriminis patet ex fundamento veritatis, & ex respõsione ad 1 Comparatio illa Dei & dæmonis, aut hominis nihil vrget. Quia illud discrimen non oritur ex sola diuersitate intentionis, sed etiam & maximè, atque radicaliter, quia dæmon & homo tenentur ad non tentandum; Deus verò non tenetur, vt non tentet

tentet eo modo & sensu quo id illi est possibile; ideoque illis tribueretur peccatum secutum ex tentatione, tametsi illud minimè intendissent, sed tantum contempsissent secuti alia motiua.

Ad 3. Leges illæ ciuiles nihil continent contra conclusionem positam sub terminis quibus ea notificata est, & sub quibus examinatur à Theologis quæstio præsens. Quia Iurisconsulti non respiciunt ad intentionem purè internam secundum se; sed ad actionẽ vel omissionem, quæ talem intentionem nociuam præsupponit per se. Talis autem, seu actio, seu omissio est iniusta ex se, & inductiua obligationis restituendi, tametsi absit intentio formalis nocendi. Quia est inductiua damni alieni, vel absque vllo commodo proprio, vel cum eo commodo, quod est contra ius alterius. Nemo enim nisi per accidens ex præsumptione benè fundata grauatur per leges quando facit aut omittit id ad quod secundum se habet ius; hoc est id, in quo fauent ipsi leges, quamcunque demum intentionem gerat purè interiorem actione exteriori existente conformi ad leges quoad omnia exteriora secundum se. Auctores verò indicati in obiectione, vel hunc eundem sensum secuti sunt, vel aberrarunt à vero.



QVÆ-

QVÆSTIO XXXVI.

Vtrum restitutio partis debiti possit liberare ab obligatione graui restituendi.

VIDETVR liberare posse. I. Quia eadem lege, eodemque modo tenetur vnusquisque ad reparãdum damnum illatum, qua & quo tenebatur ad illud non inferendum; siquidem dictum est supra vtrumque actum esse eiusdem infimæ speciei, eodemque iure patientis moueri adæquatè. Ergo nemo peccat lethaliter retentione eius præcisè partis, cuius solius ablatione non peccasset lethaliter. Ergo liberari potest ab obligatione graui per restitutionem solius partis debiti retento reliquo, cuius ablatio non fuisset peccatum lethale.

2. In materia honoris qui nocumentum graue prius illatum ita imminuit, vt amplius non sit graue, non subest deinde obligationi graui restituendi, ac reparandi partem damni quæ superest. Ergo similiter dicendum est in re pecuniaria.

3. Qui alias non obligatus obstrinxit se voto ad dicendum officium diuinum; &, si aliquando intermisisset, ad illud dicendum bis die sequenti, liberatur ab obligatione graui, si die sequenti dicat secunda vice vsque ad paruam quantitatem, quæ prætermissa die præcedenti, pro quo compensat, non peccasset lethaliter. Est autem eadem prorsus proportionalis ratio de restitutione, & compensatione pecuniæ sublatæ.

R. Valde

R. Valde percrebuit apud auctores modernos sententia affirmans eum, qui restituit partem debiti, qua sublata non peccasset initio lethaliter, liberari ab obligatione graui restituendi, quam contraxit per peccatum iniustitiæ in re pecuniaria. Dicendum tamen est non propterea liberari ab obligatione graui ex natura rei. Quia qui læsus fuit quoad quantitatem sufficientem ad lethale, eo ipso acquisiuit ius aduersus lædentem ad exigendam totam illam quantitatem simul, potestque proinde vtendo iure suo nolle acceptare partem, si seorsim offeratur; vel etiam acceptare, sed sub ea conditione, vt tali deinde tempore, aut opportunitate superaddatur quod deest; & non aliter. Cum enim absolutè debeatur tota quātitas simul, seu simultanea totius quantitatis redditio, non excedet creditor limites iuris sui; nec iure suo cadet siue adæquatè, siue etiam inadæquatè, si totam simul quantitatem & non aliter velit. Vult enim quod debetur, & vti debetur; & licet ipsi velle carere tota quantitate, dum non potest habere nisi partem ob iniquitatem debitoris.

Vnde fit vt non possit censeri creditor cōdonare eam partem, quam non vult acceptare absque reliquo. Quia nemo censetur cedere iuri suo quoad substantiam rei ex eo præcisè, quod velit indiuisim vti iure suo, etiam quoad modum debitum ipsi simul cum substantia. Quapropter qui restituit partem debiti parte alia retenta, saltem si hæc sit notabilis comparatione facta cum ea quæ restituitur, nihil fecisse reputandus est; nisi cum sufficienti speciali fundamento præsumatur in creditore voluntas acceptādi partem, quæ seorsim redditur, tametsi reliquum absolutè negetur.

Verum

Verum istiusmodi præsumptio non est facilis, & indiget speciali fundamento. Quia plerunque contingit creditores magnarum quantitatum nolle acceptare partem debiti oblatam cum voluntate nunquam reddendi reliquum, præsertim si hoc sit notabile respectu partis oblatæ. Illud nimirum ipsum, quod si solum deberetur acceptaretur libenter; recusatur communiter si sit pars debiti, maximè verò si sit parua pars, vt patet esse quæ quantitatem rei pecuniariæ sufficientem ad lethale redigit ad insufficientem. Præsumptiones autem non licet facere absque speciali fundamento, nisi secundum plerunque contingentia. Adde lædentem iniustè quoad quantitatem sufficientem ad lethale, eo ipso agere hostiliter cum læso, & insuper agere fraudulenter cum eodem, dum vult liberari à magno onere per paruam compensationem. Non autem facilè præsumitur per se impetitum hostiliter velle nihilominus amicabiliter excipere redeuntem in gratiam fraudulenter, & diminutè retenta materia offensionis quoad partem notabilem; sibique potius tentans prouidere quam læso. Difficilior namque est reditus in beneuolentiam, ac pacem quam beneuolentiæ & pacis conseruatio; ideoque non præsumitur prudenter sub eadem conditione. Tenetur autem qui læsit satisfacere iuri patientis, quatenus per se sufficit ad reditum mutuæ pacis, & beneuolentiæ, vt liquet ex dictis quæst. 27.

Concluditur igitur eum, qui iniustè intulit damnum sufficiens ad lethale non liberari ab obligatione graui reparandi illud per reparationem eius præcisè partis, qua dempta quantitas nocumenti non fuisset ab initio sufficiens ad lethale; sed necesse esse

ad eam liberationem, vt reparet totum no cumentum, vel saltem vt tam exigua sit comparatiuè pars relicta absque reparatione, vt existimari prudenter possit, eo non obstante acceptare absolutè creditorem eam partem, quæ sibi redditur, tametsi reliquam partem non propterea condonet, atque hæc profectò videtur communis hominum existimatio naturalis, quam non ita communiter contingit esse falsam ac inanē, quoad res vsque adeo palpabiles, & pendentes ex animi dispositione vnicuique notissima per experientiam, quam commune est, vt auctores nonnulli deludantur, ac implicentur consequentijs, & ratiunculis, ac paritatibus apparentibus.

Ad 1. Non ita contingit, nolle vnumquemque retinere reliquas omnes res suas quando ei aufertur iniustè pars earum aliqua, sicut contingit nolle acceptare partē debiti præsertim exiguam absque reliquo; maximè verò quando ea pars offertur à debitore merito exoso, & de nouo prouocante ad iram modo restitutionis malignò, & per versutiam corrupto. Ergo non tenet paritas. Deinde creditor acquisiuit nouum ius ratione iniuriæ, & hostilitatis exercitæ aduersus ipsum. Vndè ante & post iniuriā est idem ius quoad quantitatem rei, sed diuersum quoad modum illam habendi, & variato iure, variatur eatenus obligatio.

Ad 2. In materia honoris alia longè ratio est, vt colligi potest ex dictis quæst. 29. necnon quæst. 16. de natura & conditione honoris. Constat enim ex ijs locis honori, & famæ renuntiari validè minimè posse nisi cum lucro spirituali aliundè maiori, vel saltem æquali; idque neque quoad totum neque quoad partem. Vndè qui grauem honoris

noris iacturam passus est; nullam potest validè refutare partem restitutionis, seu compensationis, tametsi alia quantalibet pars nequaquam restituatur ab obligato ad totalem compensationem. At in re pecuniaria potest creditor nolle acceptare partem debiti seiunctam à parte altera, & licet ipsi carere interim tota quantitate ob contrariā naturam, & conditionem rei pecuniariæ substantis magis liberæ eiusque facultati quoad iacturam vel actualem eius defectum licitum respectu damni. Quare concesso antecedente negatur consequentia.

Ad 3. Negatur similiter posse non acceptari à Deo partem officij quæ persoluitur. Quia recitatio eius partis est bona, & laudabilis; atque fieri non potest, vt non placeat Deo quod est bonum & laudabile quatenus bonum & laudabile est; in Deo autem idem est acceptare bona opera nostra, eademque illi placere. Non ita se res habet in voluntate hominis quoad pecunias, quarum videlicet pars potest valide, & licitè non acceptari, si offeratur seiuncta ab altera parte æquè sibi debita. Conceditur igitur similiter hic etiam antecedens & negatur consequentia, his tamen non obstantibus non est vsqueadeo reprobanda contraria sententia circa restitutionem debitam præcisè ratione rei inculpabiliter acceptæ. Quia non militat pro hoc euentu confirmatio superius adiuncta; nec fundamentum principale vsque adeo concludit, apertè.

QVÆ-

QVÆSTIO XXXVII.

Vtrum impotens restituere in proprio genere teneatur supplere ex bonis alterius generis?

VIDETVR teneri. 1. Quia absurdum est eum qui furatus est obolum obligari ad reparandum damnum illatũ; eum autem, qui occidit hominem, ad nihil ea de causa teneri. Ad nihil autem tenetur, si nulla esset obligatio supplendi ex bonis alterius generis. Quia vita hominis est irreparabilis in proprio genere.

2. Qui non potest reparare adæquatè totum damnum illatum in re pecuniaria, non propterea excusatur à restitutione eius partis, quam exhibere potest. Ergo neque is qui læsit in honore & salute, & non potest satisfacere in proprio genere, excusabitur aperte restitutionis per pecunias, quatenus eam exhibere poterit.

3. Potest iudex saltem ex æquo, & bono præcipere, vt fiat compensatio per pecunias pro honore & sanitate, quatenus ipsi visum fuerit, quando non potest fieri reparatio damni in proprio genere: Ergo hoc ipsum committi potuit arbitrio lædentis; etsi quidem potuit, credendum est commissum ita fuisse de facto ex cõmuni, & naturali hominum consensu, ne frequenter accideret, vt iniustè læsus omni prorsus compensatione careret; & ne impotentes ad restituendum in proprio genere pergerent iniustè agere absque fræno.

liter est, posito arbitrio iudicis eiusq. iussione circa cõpensatione facienda pro iniuria per bona diuersi generis, teneri in consciẽtia condemnatum ad exhibendam quantitatem ab eo determinatam; si quidem præcipit quod iuxta leges conducit ad bonum commune, & ad emendationem iniuriantis, atque ad lenimentum doloris in patiente.

His igitur præsuppositis probatur de reliquo conclusio à nonnullis. Quia quantulacumque pars honoris, & salutis præpõderat quibusuis diuitijs, ac proindè nulla etiam minima illarum iactura potest per istas vnquã ad æqualitatem compensari, vel etiã ex parte, quia nulla datur pars totius intrinsece repugnantis. Vbi autem æqualitatas est impossibilis per se, nullus est locus intentioni iustitiæ tendentis per omnes suos actus, vel ad conseruandam, vel ad reparandam æqualitatem adæquatè si possit, sin minus saltem inadæquatè.

Verum hæc ratio si quid probaret, concluderet planè, vel nullam iniuriam vtcunque magnam in re pecuniaria esse lethaliter peccaminosam, vel quamlibet vtcumque leuem cõtra honorem, & salutem esse sufficientem ad lethale. Quia quod est maius eo quod usfficit ad lethale, sufficiens plane est ad lethale; insufficiens verò quod est minus, quam quod est insufficiens

Deinde, vt quæuis pars minima honoris & salutis præponderet absolutè quibusuis diuitijs in ordine ad vltimum, aut ad aliquẽ alium finem; certè non præponderat in ordine ad permouendum animum, & quoad vim dissolutiuam mutuæ beneuolentiæ, & societatis ciuilis. Patet enim magnum quoad hæc momentũ esse positum in pecunijs; & in plerisque hominibus maiorem doloris

doloris, & iræ sensum excitari propter magnam illatam iacturam, quam propter leuē infammationem, aut percussionem. Neque verò est per accidens quoad humanas cōmutationes, quod plerumque euenit, estque conforme iudicio, ac appetitioni communi hominum circa res præsertim naturales, nullaque facta suppositione circa singulos accidentali. Cum ergo iustitia cum in finē immediatè respiciat, vt liquet ex quæst. 27. patet, quod ad hanc virtutem attinet, non præponderare quamlibet partem honoris, & salutis quibusuis diuitijs; imo posse aliquam istarum quantitatem alicui illarum gradui preponderare; eaque ratione; fieri, vt aliquæ iniuriæ aduersus honorem, & salutem sint leues ac veniales, aliquæ verò aduersus diuitias sint è conuerso graues ac lethales.

Apparet præterea ex his insufficientem similiter esse quandam aliam aliorum probationem ab inconuenienti. Ex eo videlicet, quia si deberetur compensatio per bona alterius generis, fieret vt, passim depauperafecerent homines, & quam facilimè ex magnis fortunis deciderent in summam miseriam, redderenturque infelices propter culpas admodum leues, quia infamationes, dehonorationes, ac percussiones leues sunt admodum frequentes, atque est difficillimum ab illis omninò abstinere. Est verò sæpè impossibilis compensatio illarum adæquata in proprio genere, ac proinde frequenter fieri deberet, per pecunias, & cum nullæ aut vix vllæ adæquent iacturam vtcunque paruam honoris & salutis, sequeretur inconueniens propositum Vndè vlterius fieret, vt plures sponte, dataque opera excitarent rixas, & prouocarent proximos

ximos maximè pecuniosos ad iram hoc animo, vt accepta iniuria parua in honore, vel salute acciperent deinde in compensationem vim magnam pecuniarum.

Apparet inquam probationem istam non esse sufficientem. Quia iam ostensum est summam pecuniarum non vsque adeo magnam, & quæ non sufficiat ad mutandam notabiliter fortunam hominis posse quoad finem intentum a iustitia præponderare paruæ iacturæ honoris, ac salutis. Idque non leuiter confirmat postrema pars inconuenientis propositi de frequenti ambitione eiusmodi iniuriarum prohabendis in compensationem pecunijs. Nec enim frequenti ambitioni expositum est, quod minus æstimatur, comparatione eius quod æstimatur plus iuxta communem ac vulgarem hominum appretiationem. Quid quod neutra ex his ratione probatur non posse honore, & salute compensari iniuriam factam in pecunijs? de quo tamen eadem debet esse ratio.

Legitima igitur probatio conclusionis est. Quia bona diuersorum generum non possunt sibi inuicem substitui in ordine ad placandum animum, & ad sedandum iram prouenientem ex iactura vtrorumuis eorũ. Affectus enim erga vnum genus diuerti potest; minui, aut a ferri non potest ex affectu ad aliud genus; ideoque neutrum loco alterius subintrare potest pro temperando, ac reordinando affecto. Nempe quod philosophus dixit 8. ethic. *impossibile est plures intensè diligere*; optimè D. Thomas qu. 7. de malo, quæ est de peccato veniali art. 2. ad 12., restrinxit ad amorē eiusdem rationis. Nec enim si quis habeat multos amicos, propterea minus diligit filios, aut fratres,

minus

minus singulos diliget. Eadem ratione singuli amici diliguntur minus ab habente plures amicos. Vnde prouenit, vt dolorē de iactura vnius aut filij, aut fratris aut amici, possit abolere alius aut frater, aut filius, aut amicus; nō possit tamē abolere dolorem de iactura filij aut fratris amicus illi substitutus & sic de ceteris eiusmodi. Similiter ergo dolorē, & iram conceptā ex iactura salutis, abolere non potest honoris substitutio; neque substitutio pecuniarum eam, quæ concepta est ex iactura famæ, & honoris; aut è conuerso. Nec enim minus hæc inter se differunt, quam illa alia, siue quoad entitates, & prædicata essentiala, siue quoad vtilitatem in ordine ad finem proximum, & immediatum cuiusque illorum. Cum ergo iustitiæ finis, vt dictum est, sit conseruatio societatis ciuilis, & communis pacis, ac tranquillitatis, cum depulsiuo iræ & discordiarum; patet nec pecunias honori, neque honorem sanitati, aut è conuerso substitui per iustitiam posse ex natura rei, licet per alias virtutes substitui vtcumque possint.

Confirmatur validè hic discursus ex Philosopho cap. 5 huius quinti post medium. *Etenim neque societas*, ait, *fuerit sine permutatione; neque permutatio sine æqualitate, neque æqualitas sine communi mensura*. At ea quæ sunt diuersi generis modo dicto, communē mensuram nullam habent, vt liquet ex definitione initio præmissa, quæ est communis omnium auctorum; & præterea quia nūquam quisquam definierit quotus honoris gradus, aut quæ pecuniæ quantitas brachium vel oculum adæquet; eademque est ratio de pecunijs, & honore inter se collatis Ergo actus iustitiæ obiectum suum & scopum

scopum inuenire inter hæc extrema nullo pacto potest.

Agnouit Philosophus ibidem quam esset difficile inuenire æqualitatem inter res tā diuersas inter se, quam sunt ea omnia, quæ veniunt in commutationem ex communi hominum consensu, vt animalia, & res inanimatæ; & tamen necesse habuit eam inuenire, vt esset locus aliquis exercitio iustitiæ *atque re quidem vera*, subiungit *fieri nequit, vt ea, quæ adeo differunt, conueniant communi mensura: attamen indigentiæ ratione satisfieri potest*. Hoc est absolutè & secundum se non possunt adæqualitatem redigi, quæ specie, imo & genere differunt. Comparatiuè tamen & relatè ad indigentiam hominis possunt redigi ad æqualitatem, & sic terminare actum iustitiæ commutatiuæ. Ergo quæcumque ad eam pertinent necesse est vt communem eiusmodi mensuram subire possint. At neque vllus honor indigentiam salutis ex. g. quæ est ex defectu brachij; neque indigentiam vtriusuis ex his vllæ pecuniæ adæquare possunt; neque vlla salus, aut honor vllus indigentiam pecuniarum. Ergo inter hæc commutatio & exercitium iustitiæ intercedere nequaquam potest.

Confirmatur rursus ex communi hominū sensu. Quia qui infammauit, aut vulnerauit, aut furatus est, & postea vult satisfacere obligationi conscientiæ, conatur famam reparare honorando mederi vulneri, & tantuudem pecuniarum reponere. Quod si id assequi non possit, neque medicinis agit pro honore; neque honore pro sanitate neque pecunijs pro alterutra lex illis; sed perinde cōquiescit, atque si nihil prorsus agere posset in fauorem eius, qui passus est iniuriam. Ergo hic est communis homi-

num sensus inditus à natura; hæc in commutationem, & mutuam iustam compensationem venire minimè posse. Igitur impotens restituere in proprio genere, non tenetur ex natura rei supplere ex bonis alterius generis quod ad obligationem, & virtutem iustitiæ attinet.

Ad 1. Absurdum id videri potest, cui absurdum videri poterit pro obolo deberi compensationem æqualem; pro vita verò hominis similem compensationem non deberi, vti certe non debetur. Hoc est absurdum id videri potest non cognoscenti naturas rerum. Nam qui illas cognoscit, scit quædam esse penitus incompensabilia, vt vitam. alia verò incompensabilia per pecunias, vt honorem, & sanitatem; atque è conuerso. Scienti autem hoc, & aduertenti nulla apparet absurditas in hac doctrina; sicut nec vlla apparet in eo, quod quis vino emere possit frumentum, & vtrouis equum; & quiduis horum, atque similiis absque vlla etiam vllius vtilitate destruere pro pecunijs ac corrumpere possit: non possit tamen honoris, aut membri iacturam pati pro aliquo eiusmodi, nec eam iacturam in pretium deducendo subuenire sibi, & de alijs rebus, quibus indiget prouidere, cùm honor, & membra sint bona tam sua cuiusque, quam quælibet alia.


Ad 2. Concesso antecedenti negatur suppositum consequentis; nempe erogationem pecuniarum posse esse partem compensationis pro iactura honoris aut salutis, quia pars dicitur quod coniunctum cum alia, vel alijs partibus potest complere totum. Ostẽsum autem est nulla pecuniarum additione compensari posse iacturam honoris ad æqualitatem; nulloque honore iacturam pe-

niarum; eandemque esse rationem de salute comparata cum vtrouis ex *illis* extremo, in ordine ad finem specialem quem respicit iustitia. Nihil igitur horum est pars compensationis iustæ, ac reparationis pro damno illato quoad aliquid aliud eorumdem; sicut quælibet quantitas pecuniæ etiam minima est pars cuiuslibet alterius etiam maximæ ob rationem contrariam; & manifestum est eum, qui debet totum aliquod, debere singulas partes eiusdem totius inuicem separabiles, ac æstimabiles seorsim; idemque dicitur de parte honoris, & de parte sanitatis.

Ad 3. Conceditur antecedens, & negatur consequentia. Quia iudicis arbitrium non iniqui, est prudens, & vniforme respectu omnium. Arbitrium autem singulorum ergà singulos ciues vltra imprudentiam, quæ plerisque inest, foret admodum difforme, pro vt quisque affectus esset ergà vnumquodque genus bonorum. Vnde frequenter fieret, vt compensans plurimum alijs, parū admodum ab alijs in compensationem acciperet; & vice versa. Vnde vlterius fieret, vt amore iustitiæ, & æqualitatis aperiretur via maximæ ac valdè notabili inæqualitati, & iniustitiæ; atque inuersio potius ordinis, quam ordo congruus in rempublicam induceretur. Deinde nolunt homines sui honoris ac salutis æstimationem cuiusuis promiscuè alterius hominis, maximè verò iniuriosi arbitrio committere.

Demum quidquid hoc esset compensationis non pertineret ad virtutem iustitiæ. Quia non pertineret ad æqualitatem, aut totaliter, aut partialiter constituendam, vt dictum est. Neque verò vel ipse iudex eā

intendit; quia non intendit quod est impossibile; sed inducit nouum ius actiuum in fauorem læsi, & aduersus lædentem, atque is qui læsit parendo iudici constituit æqualitatem non respectu damni illati, sed respectu eiusdem iuris noui. Imploratur nimirum officium iudicis non ad abolendum sensum doloris, & iræ subortum ex iactura in vno genere per lucrum in alio genere; sed ad eius doloris diuersionem, & aliquale solatium. Bona enim diuersi generis valent inuicem ad diuersionem animi, & ad aliquod eius eo modo lenimentum. Hoc videlicet pacto amici, vt eo exemplo concludatur hæc quæstio, ex quo cœperat cum D. Thoma eius resolutio, leniunt iacturam consanguineorum; & peccata venialia, licet non sint opposita charitati, minuunt tamen feruorem eius, non remouendo directè animum a charitate, aut ab aliquo eius gradu, sed diuertendo, & sic impediendo eius exercitium, ac intensionem, vt docet eodem illo in loco, D. Thomas.



QVÆ-

QVÆSTIO XXXVIII.

Vtrum ex iudicio temerario resultet obligatio restituendi?

VIDETVR non resultare. 1. Quia intellectus est potentia necessaria, ideoque non potest non iudicare de vno quoque secundum indicia quæ videt. Quæ autem necessario accidunt, nulla implicant obligatione auctorem actionis.

2. Videtur nunquam posse suboriri obligationem saltem grauem restituendi ex vllo iudicio purè interno. Quia quælibet iniuria exterior nocet magis quam quælibet existimatio purè interna, vtcumque sinistrè iudicantis. Sunt autem iniuriæ aliquæ exteriores, vsque adeo leues in omni genere, vt nullam inducant obligationem grauem. Ergo nullæ iniuriæ purè internæ valent illam inducere.

3. Restitutio instituitur ad sedandam iram iniuriati, vtque redeat pristina pax, & beneuolentia mutua. Iniuriæ autem internæ, nec excitare iram possunt, nec dissoluere pacem, & beneuolentiam mutuam. Quia dum sunt purè internæ non possunt innotescere iniuriato. Ergo ratione iniuriæ pure internæ nulla est necessaria, nullaque debetur restitutio.

R. Post examen iniuriarum exteriorum, quæ sunt notiores, ac manifestiores, succedunt iure suo iniuriæ purè internæ, quæ

sunt occultiores; rediguntur verò ad iudicium temerarium, suspicionem, & dubitationem temerariam; atque tria sunt circa ipsas communiter recepta apud auctores cũ D. Thoma quæst. 60. art. 3. & 4. Primũ est iudicium temerarium de peccato graui proximi est peccatum graue iniustitiæ. Quia lædit ipsum grauiter in honore debito homini ex sua natura, & nondum amisso per sufficientem manifestationem malitiæ ipsius. Et præterea disponit efficaciter iudicantem, vt agat exterius contemptibiliter cum iudicato. Ac demum si peccatum, de quo temerariè iudicatur, sit offensiuum respectu indicantis; vt respectu mariti adulterium vxoris respectu donatarij, & amici mala intentio donantis, & amicabiliter agentis; idem iudicium dissoluit amicitiam, turbat pacem; & gignit odium aduersus iudicatũ, idque nulla illi relicta potestate ad auertendum tantum malum. Quis enim occludet aditum temeritati iudicandi, vtcumque bene ac circumspectè operetur? Aut quomodo auferetur fundamentum iudicandi iudicanti sine fundamento?

Secundum est: suspicio peccati etiam grauis est peccatum leue ex genere suo. Quia ob debilem & facile mobilem adhæsionem censetur exiguum proximis malum, non secus ac iudicium firmum de peccato leui. Quantum enim demitur in hoc iudicio ex parte obiecti, tantumdem demitur in suspitione ex parte cognitionis.

Tertium est: dubia interpretanda sunt in meliorem partem. Quia quilibet in dubio est conseruandus in possessione naturaliter sibi conueniente boni nominis, & famæ. Nec solum turpe est aliquem ab ea posses-

sione

sione deturbare absque ratione cogente; sed etiam indignum eum iudicare, qui in eadem conseruetur positiuè.

Iudicium porrò temerarium est ex D. Thoma ibidem cum Augustino *definitiua & firma sententia nitens leuibus indiciis*: id est, est assensus perfectè deliberatus coniunctus cum voluntate non inquirendi amplius veritatem, & operandi interim dependenter ab ea cognitione, idque sine fundamento sufficienti ad probabilitatem. Quale fundamentum est, quod plerumque non fallit, & cui absolutè ex sua naturā difficilius est dissentiri, aut non assentiri, quam assentiri. Inquam vero non habens fundamentum sufficies à posteriori ex signis peculiaribus datis à iudicato. Quia indicium à priori ex difficultate innocentiæ, & ex maiori numero malorum hominum, & lethaliter peccantium non est liberum iudicato, & est coniunctum cum possibilitate, ac spe aliqua victoriæ eo commendabilioris, quo maior est difficultas vincenda, & minor numerus vincentium. Nemo autem condemnandus est ex eo, quod non est sibi liberum, nec spoliandus maximo honore, dum est liber ad eius meritum.

Suspicio est iudicium admodum debile, accedens maximè ad puram dubitationem, & coniunctum, cum voluntate amplius inquirendi, nec procedendi interim ad opus. Denique dubitatio est suspensio iudicij directi in vtramque partem. Interpretatio eius in meliorem partem fit per iudicium reflexum adhærens dignitati hominis secūdum se ad integritatem sui honoris, dum non adest ratio cogens in contrarium. Ex his igitur concluditur iudicium temerariū

cte peccato graui proximi fundare obligationem grauem restituendi; cætera nonnisi leuem per se, & ex sua natura. Quia iuxta mensuram iniuriæ resultat obligatio proportionalis restituendi, vt dictum est suprà in genere.

Ad 1. Licet intellectus sit potentia ex se necessaria; est tamen ita subordinata voluntati, vt possit flecti in vtramuis partem; certè possit impediri, quo minùs alterutri assentiatur; dum pro neutra apparet ratio euidens, vti certissimè non apparet pro iudicio temerario.

Ad 2. Ex fundamento primæ conclusionis, & exemplis ibi propositis cernitur manifestè judicium internum de peccato graui proximi plus illi nocere, quam iniuriam exteriorem leuem; atque periculum magnorum malorum est ipsum secundum se magnum malum; sicut spes bonorum, & id in quo ipsa continentur tanquam in radice, computatur inter bona minimè contemnenda. Apparuit autem eiusmodi esse iudicium temerarium.

Ad 3. Restitutio instituitur non solum ad sedandam iram actualem, sed etiam ad auferendum fundamentum, & occasionem ipsius, si notesceret patienti malum quod ei accidit contra ius suum. Quod ius est causa immediata obligationis ad non inferendum damnum, & ad reparandũ, postquam illatum fuerit. Ira verò, & perturbatio mensurat iniuriam grauem, & leuem ex suppositione, quod innotescet. Iudicium autem temerarium de peccato graui habet vim excitandi iram dissolutiuam mutuæ pacis, ac beneuolentiæ ex suppositione quod innotescat iudicato. Resultat igitur ex eo obligatio

ligatio restituendi etiam dum manet puræ internum non secus ac ex iniurijs exterioribus, quæ etiam ipsæ sæpè sunt ignotæ patienti.

QVÆSTIO XXXIX.

Vtrum Præceptum restituendi sit negatiuum obligans semper, & pro semper?

VIDETVR esse affirmatiuum 1. Quia non præcipit omissionem, sed actionem; quippè restitutio consistit in actione; & peccatum nō restituendo committitur nihil faciendo. Vndè cum præceptum affirmatiuum obliget quidem semper, non tamē pro semper, videtur præceptum restituendi non obligare pro semper.

2. Præceptū pœnitētiæ & satisfactionis est affirmatiuū nec obligat sēper & pro sēper ratione iniuriarū cōtra Deū; nec peccatur de nouo si non exhibeantur in instanti immediatè sequenti ad peccatum commissum. Quæ est communis & vera sententia aduersus Patrem Suarez & nonnullos alios. Eadem autem quoad hoc videtur esse ratio de restitutione; quæ videlicet est genus quoddam pœnitentiæ, & satisfactionis, & hoc habet cum vtraque commune, vt debeatur ratione iniuriæ.

R. Dicendum est cum Navarro, Molina Vasquez, Medina, & alijs aduersus Sotum, Valentiam, Lessium, & alios præceptum

restitutionis esse negatiuū, licet habeat formam, & concipiatur ad modum affirmatiui, vti dicit D. Thomas quæst. 62. art. 8. ad 1. Quia de ratione præcepti affirmatiui est, vt ei satisfieri, aut eius obligatio cessare non possit absque aliqua actione eius qui per illud obligatur. Eiusmodi autem non est præceptum restituendi. Quia obligatio aufferentis rem alienam cessat eadem re ad dominum vtcumque redeunte. Potest autem ad dominum redire per actionem eiusdem Domini, aut cuiuslibet alterius, vel etiam per seipsam si sit brutum, aut seruus, nihil prorsus agente, aut etiam volente agere per se vel per alium eo, qui læsit.

Rursus vt impleatur præceptum affirmatiuum requiritur actio positiua ratione sui; vt vero impleatur præceptum negatiuum, vel nulla requiritur actio positiua, vel requiritur præcisè quatenus est impeditiua alterius actionis, vndè fit, vt præcepto positiuo satisfieri non possit, nisi per actionem secundum se honestam; negatiuo vero secundum se præcisè consideratò satisfieri possit etiam per actionem minimè honestam secundum se, dummodo sit impeditiua alterius actionis inhonestæ secundum se, & cuius proinde impeditio secundum se, & quatenus impeditio est, sit honesta. Istud videlicet est discrimen quidditatiuum inter præceptum positiuum, & negatiuum ex quo aliæ omnes inter vtrumque differentiæ suboriuntur. Vt autem satisfiat præcepto restituendi solum requiritur actio positiua quatenus est impeditiua alterius actionis, nimirum actionis retentiuæ rei alienæ, seu perseuerantiæ huius eiusdem actionis. Quapropter huic præcepto æquè satisfit, eiusque obligatio æquè extinguitur per quamlibet actionem impediti-

ditiuam dictæ retentionis, siue honestam siue inhonestam secundum se: vt si pecuniæ furtiuæ insumantur à fure de consensu Domini cooperando ipsi in opere secundum se inhonesto.

Demum in sententia negante puram omissionem liberam, quam sententiam ostensum est esse verã in quæstionibus de actibus humanis, quoduis præceptum obligat ad aliquem actum, & ad omissionem alicuius alterius; & differentia consistit tantum in hoc, quod præceptum affirmatiuum obligat determinatè ad talem actum, & indeterminatè ad omissionem talis alterius actus incompossibilis cum priori; Certe obligat cum maiori determinatione actus quã omissionis: præceptum verò negatiuum è cõtra obligat determinatè ad omissionem talis actus, & ad actum omissiuum non nisi indeterminate; vel certè cum minori determinatione. Præceptum namque negatiuum obligat tãtum vagè quantum est de se ad quemlibet cuiuslibet generis actũ incompossibilem cum omittendo, & determinatè ad omittendum talem actum: affirmatiuum è conuerso. Præceptũ autem restituendi obligat determinatè ad omissionem actionis retentiuæ, & indeterminatè ad quemlibet actum incompossibilẽ, cum eadem actione retentiuã. Solum namque postulat vagè quemlibet ex actibus incompossibilibus directè, vel indirectè cum actione retentiua rei alienæ. Igitur hoc præceptum est negatiuum re ipsa, & obligat nõ solum semper, sed etiam pro semper; neque ista quæstio potest esse de voce, vt nonnulli dicunt, nisi apud ignorantes significationes vocum, & definitiones rerum significatarũ.

Ad 1. Præceptum restituendi directè, & per se solam præcipit omissionem; actionem

vero, vel nullam vel præcisè quatenus est impeditiua alterius actionis. Vnde restitutio consistit materialiter in actione vti plerumque fit, & forma præcepti accommodatur communiori obediendi modo. Cæterum id non est de essentia eius, & ratione formali, nec consistit in actione, vt actio est formaliter, sed vt est omissio, & impeditio alterius actionis. Quapropter peccatum non restituendi committi quidem potest nihil faciendo de nouo; non tamen nihil absolutè faciendo. Quia committitur continuando actionem aufferendi, seu retinendi rem alienam inuito domino. Nempe peccatum furandi, & peccatum non restituendi, idemque dicitur suo modo de reliquis peccatis contra iustitiam, differunt ad eum modum, quo differunt conseruatio, & prima productio rei; idest differunt extrinsecè tantum. Vnde colligitur vlterius, sicut non cõmittitur peccatum furti per acceptionem rei alienæ cum animo protinus aut intra breue tempus reddendi eam domino absque aliquo eius damno; ita non committi nouum peccatum differendo restitutionem, si differatur cum animo restituendi protinus, aut intra breue tempus. Exoritur tamen ratione moræ obligatio reparandi omne damnum consecutum ad quamlibet dilationem absolutè culpabilem. Est autem dilatio culpabilis leuiter quidem; quæ est causatiua noui doloris, & iræ paruæ, ac facilè deponendæ; grauiter verò quæ est causatiua noui doloris, & iræ inimicabilis, atque dissolutiua absolutè mutuæ pacis, ac tranquillitatis iuxta dicta quæst. 27.

Ad 2. Dictum est quæst. 20. peccata hominum non habere rationem iniustitiæ simpliciter, & strictè talis aduersus Deum, atque omnia eius præcepta ad nostram, & non

ad ipsius vtilitatem ordinari. Præceptum autem de pœnitentia peragenda pro instanti immediato ad peccatum, cum obligatione vrgente pro omnibus, & singulis instãtibus, non cederet in nostram vtilitatem; sed potius in maximum nostrum nocumentum. Si quidem exponeret omnes vel saltem plerosque cum maximo ac fere insuperabili periculo nouorum peccatorũ post quoduis peccatum, vt exponetur fusius in quæstionibus de pœnitentia. Neutrum autem horum reperitur in peccatis commissis contra iura proximorum, circa quos versatur restitutio, vt satis patet ex dictis supra. Quod ad satisfactionem attinet, innotuit iam quæst. 23. discrimen eius à restitutione; neque vllam esse paritatem inter vtramque quoad punctum præsens; sed præceptum satisfaciendi esse affirmatiuum, nec obligare pro semper; cum ad restitutionem teneatur qui læsit pro omni, & qualibet differentia temporis.

Tempori restitutionis annectitur communiter locus, de quo vix est vlla controuersia disputabilis, eiusque ratio habetur solum, aut fere pro rebus corporalibus, & pecunia æstimabilibus. Possessor bonæ fidei sufficit, si rem restituat in loco, in quo eam habet; nec tenetur suis expensis illam alio traducere. At possessor malæ fidei tenetur rem eo in loco reponere proprijs sumptibus, vbi futura erat, si non interuenisset iniuria. Primum ne innocens grauetur in bonis suis ob commodum alienum. Secundum, vt iniustitia soli noceat auctori suo, nec iniuriam passus ius aliquod suum amittat ob iniquitatem alterius. Quæ autem debentur ex contractu reddenda sunt in loco, de quo implicite vel explicitè conuentum fuit. Quod si dubitetur, electio erit penes debitorem, vt potè

Potè liberum nec ligatũ vllo iure certo creditoris pro aliquo determinatè loco ex his inter quos dubitatur. Porro si creditor non compareat in loco, & pro tempore legitimo, debitor paratus quantum est ex se ad soluendum non est amplius in mora, nec tenetur de vllo damno secuto ex dilatione.

QVÆSTIO XXXX.

Vtrum detur aliquis ordo inter obligatos ad restituendum?

VIDETVR nullũ inter eos ordinem esse posse. 1. Quia quicumque accipit de bonis alterius, tenetur de parte accepta independenter ab omnibus alijs, & absque vlla relatione, aut ordine ad aliquem alium. Qui autem nihil accipit, ad nihil tenetur neque ante alios, neque post alios. Nemo enim ex iustitia tenetur refundere de bonis suis, vt alius bene habeat, vtque redintegret bona sua. Ergo nunquam dari potest ordo aliquis prioris, & posterioris inter obligatos ad restituendum.

2. Impossibilis est ordo prioris, & posterioris inter obligatos ad restituendum, nisi dentur plures obligati ad restituendam eandem quantitatem eidem personæ. Impossibile autem est plures esse obligatos ad restituendam eandem quantitatem eidem personæ. Inde enim fieret patientem iniuriam melius habere, & fieri ditiorem; & è contra aliquos restituentes deterius habere, & fieri pauperiores post restitutionem, quam

antè iniuriam. Quod non permittit iustitia. Constituit enim æqualitatem.

R. Ordo restitutionis ex parte restituentium communiter præscribitur his versibus.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, nō manifestans.

Inter quos hic ordo seruandus est, vt primo loco obligentur, qui positiue cooperati sunt ad damnum; deinde qui negatiuè. Quia illi plus influunt quam isti; & quidem eo genere excessus, vt licet omnes absolutè sint causæ morales, quibus damnum illatum imputetur ad culpam; tamen influentes negatiuè comparatione facta cum influentibus positiue vix videantur habere rationem causæ.

Inter influentes positiuè prima obligatio est iubentis. Quia comparatione huius habet rationem instrumenti potius, quam causæ moralis, qui immediate exequitur damnū; atque videtur velle in se suscipere totum onus, qui iubet, & vult agere, vt causa principalis siue alias sit superior, siue non sit; eamque volūtatem videtur pariter acceptare, qui vult agere vt instrumentum siue esset ex se antecedenter inclinatus, siue non esset; & siue velit siue nolit damnum proprio etiam odio ac iniquitate. Post iubentem sequitur exequens; idemque est absolutè primus, si à nemine iussus exequatur damnum. Quia cæteri cooperantes omnes submittunt vltimæ ipsius deliberationi illationē damni. Inter istos duos hoc præterea discrimen consequitur, quod creditore condonante iussori, absoluitur eo ipso executor. Quia hic continetur in illo moraliter ob rationem datam; non tamen è conuerso. Ob quam similiter rationem, si executor restituat, vti debet, in defectum iussoris, adquiritur

itur ipsi actio aduersus iussorem; non autem è conuerso.

In tertium locum succedunt ex æquo cæteri positiuè influentes: Consules nimirum primo, qui consilio promouit executorem, aut iubentem; eumue reddidit audaciorem; nec suasionem, preces, aut quid simile adhibuit iam superuacaneum pro reali damni iniusti subsecutione: Secundo consentiens, adhibensque suffragium pro damno iniustè inferendo: Tertio palpo, qui similiter promouit executorem, aut iussorem ponderando circumstantias inferentis, ac patientis damnum magnificando illum, atque hunc vilipendendo, quo animus disponatur, ac alliciatur ad aggressionē iniquam: Quarto is ad quem patuit recursus, præstititque patrocinium recipiēdo domi damnificatorem vt talem, aut celando damnum, & pecunias sublatas, vel exercendo officium aduocati pro causa manifestè iniusta, aut alio simili modo: Quinto participans subministrando instrumentum damnificādi physicum vel morale, reddendo animosiorem auctorem principalem damni assistentia, & comitatu suo; vel alio simili modo eum iuuando, ac fouendo opera, & auxilio non superuacaneis; idest non talibus, quibus etiam non præstitis inferendum nihilominus erat damnum, vel totum vel ex parte. Nempe auxilium hoc modo superuacaneum, seu non necessarium in nullo ex his genere obligat auxiliatorem ad restituendum iuxta probabiliorem, & veram sententiam. Quia eatenus auxilium est pure materiale, nec æstimatur à patiente iniuriam pro iræ & discordiæ incitamento, si sit prudens rerum æstimator.

Dictum autem est cum plerisque auctoribus contra Nauarrum, & paucos alios, istos omnes.

omnes teneri ex æquo. Quia licet influxus eorum non sit efficaciæ mathematicè æqualis per se, atque per accidens fieri possit, vt quiuis eorum præemineat cæteris quoad inducendum effectum: differentia tamen ista efficacitatis est exigua, & difficile discernibilis cum certitudine saltem vt plurimum, propter maximam similitudinem; & quæ sũt eiusmodi nihil censentur differre moraliter, seu quoad iudicium prudens, quando agitur de inducenda vniuersaliter obligatione aliqua. Qua itidem ratione affirmatur eadem æqualitas respectu efficacius, ac appositius; & minus efficaciter, ac appositè suadentis, & consiliantis; & sic de cæteris proportionaliter.

Circa consilium & consensum duo specialiter obseruanda sunt. Primum est eos consiliarios, qui habent potestatem vltimò determinãdi damnum iniustum per sua suffragia, censeri potius inter eos, qui iubent, & tenentur primo loco. Ex quo nihilominus excipiuntur, qui dedère suffragium non necessarium; præeunte videlicet realiter, & non tantum præuiso numero aliorum consiliariorum, & suffragiorum sufficienti ad effectiuam damni iniusti illationem, ijsque certò non recessuris à suscepta sententia ob renitentiam subsequentium. Dubitatur tamen; an isti posteriores eò non obstante peccent; si non renitantur vel nolint adesse? Dicendum est non peccare contra iustitiam commutatiuam, aut distributiuam respectu eius, cui inferendum est damnum; cui videlicet nihil mali prudenter æstimabilis accrescit ob ea suffragia iam superflua: peccare tamẽ contra iustitiam legalem, quatenus reddunt faciliorem publici regiminis perturbationẽ, dum non exprobrant renitentia sua Consi-

liarijs

liarijs iniquis iniquitatem ipsorum, cum ad eos alia vice continendos in officio, & ad erigendam spem innocentium, ac bene merentium, plurimum momenti habeat constantia tenax recti etiam paucissimorũ, etiam vnius, manifesta palam omnibus, atque per publicã experientiam comprobata.

Alterum est dantem consilium noxium, vel dolo, vel lata culpa teneri de damno secuto, non solum tertiæ personæ, sed etiam ipsi, qui consilio acquieuit, & deceptus fuit cum damno proprio vel alieno; si talis consiliarius ratione muneris vel status tenebatur legitimum consilium adhibere, vt Confessarius, vel aduocatus. Quia tunc Consiliarius vtitur executore tanquam instrumẽto irrationali, ipseque solus est causa moralis, & rationaliter agens respectu totius dãni. Si verò ratione muneris, aut status non tenebatur scire, aut dare consilium legitimũ; nec peritiam præ se ferebat, aut iactabat, quanta sufficit, ad nihil tenetur, nisi dolosè egerit. Quia tunc tenebatur, qui consilio acquieuit, inquirere vlterius, cũ nemo prudẽs illi fideret, ac proinde executor sibi debet imputare damnum secutum respectu sui, vel tertiæ personæ.

Postremum in locum veniunt cooperantes negatiuè. Nimirum primo mutus, non monens, non consulens, non adiens Senatum, nec dissentiens suffragio suo, non obiurgãs, cum deberet ex iustitia, vt vitaretur damnum; Secundo non obstans, cum deberet ex officio, vel contractu operam adhibere impediendæ damnificationi: Tertio non manifestans, cum similiter debere t prodere paratum ad nocendum, vel iam reum nocumenti vt ille impediretur, hic cogeretur reparare, atque puniretur. Qui omnes tenentur simi-

liter

liter ex æquo ob rationem insinuatam circa cooperantes positiuè. Tenentur vero de omni damno ex tali omissione secuto, & præuiso vel culpabiliter ignorato. Quod tamen intelligitur, nisi forte aliquod damnum tale esset, vt oppositum emolumentum solum esset intentum ac debitum sub conditione, quæ posita non fuit, eiusque positio, aut non debebatur, aut non titulo talis emolumenti, & ex iustitia commutatiua, sed aliundè. Huius rationis sunt mulctæ delictorũ applicandæ fisco, quæ non vidētur intendi, nisi sub conditione quod deprehendatur reus, & iudicetur, aut sit iam proxime dispositum iudicium. Quare etsi negligentia culpabili ministrorum non deprehendatur reus, aut effugiat, ad nihil tenentur fisco pro mulcta; secus vero tenentur.

¶ In alium præterea vlteriorem obligationis ordinem reuocari possunt reflexè seu quasi reflexè cooperantes, siue positiue, siue negatiue. Qui videlicet iussione coegit ad iubendum; consilio impulit ad consulendum; silentio silentem fouit, & sic de cæteris. Hi enim tenentur de damno secuto eadem proportione ac ordine post eos, qui immediatius cooperati sunt vno excepto iussore. Hic enim eadem ratione vtitur vt instrumēto, eo qui immediate iubet, qua dictum est istum vti immediato executore. Vnde supremus princeps iniungens damnum iniustũ gubernatori ciuitatis, iudici aut Duci exercitus tenetur ante ipsos ad reparationem damni, eoque reparāte, aut absoluto à creditore liberantur cæteri eo ipso; non autem è conuerso. Quod similiter intelligendum est de alijs quibusuis, quos dictum est esse posteriores, si comparentur cum prioribus respectu ipsorum.

Cæte-

Cæterum in defectu reliquorum tenetur quilibet cooperantium ad reparationem totius damni; si quidem ad totum fuerit moraliter cooperatus; sin minus pro ea tantum parte tenetur, quam per se ipsum vel arripuit, vel perdidit immediatè. Censetur autem moraliter cooperatus non solum is, quo non cooperante physicè non fuisset illatum damnum; sed etiam qui ita adfuit in notitia & animo sociorum, vt eos reddiderit perceptibiliter, & vt ita dicatur, sensibiliter animosiores, obfirmaueritque sic in proposito nocendi; nec ita se habuit, in ordine ad erigendos ac fouendos eorundē animos, atque si non adfuisset. Quà de causa non tenetur priuatus quisque miles per se solum reparare totum damnum illatum ab exercitu numeroso agrum iniustè de vastante, aut diripente ciuitatem, solumq; teneтur quatenus per seipsum nocuit, dum nullus alius, vel alij admodum pauci restituere volunt. Quia vnusquisque miles seorsim consideratus, aut vt coniunctus cum paucissimis pro nullo reputatur respectu nocumenti immediatè illati per reliquos. Nihil etenim eos iuuisse, aut animasse censetur secundum prudentem æstimationem, & secundum computationem humana ordinaria consideratione, ac expensione discernibilem,

Quælibet nihilominus pars totius multitudinis sufficiens ad cooperationem moralem modo nuper explicatò, qualis pars videntur quingenti respectu exercitus viginti millium, tenetur ad reparandum totum damnum, quantum poterit contribuentibus singulis pro rata cum iure refusionis aduersus alios non soluentes. Consequenter tenetur vnus quisque ad perquirendos, ac

sol-

sollicitandos totidem vt minimum socios restitutionis, si spes inueniendi prudens affuerit; quæ tamen raro aderit. Hæc autem, ex quibus proportionaliter determinandæ sunt aliæ etiam circumstantiæ multipliciter comparabiles inter se. Hæc inquam satis apparent ex se consideranti superiora. Id mirum videri non debet; vnumquemlibet militem exercitus numerosi, ob solam iniquitatem aliorum nolentium restituere, liberari posse ab ea etiam parte restituenda, ad quam teneretur reliquis volentibus restituere. Quia id consequitur indirectè quatenus singuli ab alijs destituti, ac seiuncti reputantur pro nullis per fictionem iuris cum fundamento iam indicato. Non caret tamen probabilitate obligatio vnius cuiusque seorsim ad eiusmodi partē totius damni nullo etiam alio volente quidquam restituere. Per hæc igitur patet dari ordinem inter obligatos ad restituendum ex dispari cooperatione respectu damni iniuste illati & qualis ille sit.

Ad 1. Dictum est suprà obligationem restituendi non solum fundari in re accepta, sed etiam in iniusta acceptione seu in damno iniustè illato. Vnde non solum is tenetur restituere qui accepit rem alterius, sed etiā qui fuit causa iniusta damni, quod alius passus est. Vnde cum plures, & multipliciter possint esse causæ respectu eiusdē damni iniustè illati, patet plures, & multipliciter posse esse obligatos ad restituendam eandē rem vni eidemque personæ, atque teneri ad reparandum cum iactura bonorum suorum iacturam, quam culpa eorum ea persona passa est.

Ad 2. Vno aliquo restituente totā quātitatem debitam nullus nocentium est amplius

plius obligatus patienti, sed fortassis illi qui restituit, vt dictum, & explicatum est supra. Vnde non sequitur inconueniens.

QVÆSTIO XLI.

Vtrum Detur aliquis ordo restitutionis ex parte creditorum, & rerum debitarum?

VIDETVR neutra ex parte vllum ordinem prioris, & posterioris esse posse. Quia omnibus creditoribus, & respectu omnium rerum debitarum conuenit ius proprietatis eiusdem infimæ speciei, eiusdemq; prorsus rationis. Ius autem creditorum est totum motiuum & causa restituendi; atque impossibile est vt quod in multis est vniforme, eiusdemque prorsus rationis causet inter illos inæqualitatem, & ordinem disconformem prioris, & posterioris.

R. Ante ordinem creditorum, & rerum debitarum præmittendum est quibus debeat fieri restitutio eorum, quæ debentur. Qua de re tres regulæ obseruandæ sunt. Prima regula est: debita incerta, seu quorum creditor vel ignoratur, vel conueniri non potest, si per iniustitiam contracta sunt, pauperibus vel Ecclesiæ seu pijs locis restitui debent; si absque iniustitia potest debitor ea sibi retinere. Prima pars constat ex *c. cum tu* de vsuris, idemque esse de iure naturæ apparebit quæst.43. licet oppositum sit valdè probabile ob communio-

rem

rem doctorum consensum. Altera pars probatur, quia nullo iure, nullaque æquitatis ratione possessor innocens posthabetur alijs, aut constringitur sibi alios præferre, de cætero æquales. Ergo talia debita potest sibi retinere.

Secunda regula est: debita certa, quorũ videlicet creditor, scitur, & conueniri potest, siue is sit persona particularis, siue multitudo aliqua determinata, & discernibilis ab alijs non creditotibus, restituenda sunt per se ei à quo accepta fuit res, vel cui damnum illatum fuit. Quod patet quia ijs competit ius respectu talium debitorum, ac proinde si non adsit legitima aliqua exceptio contra tale ius, procul dubio illis fiet iniuria restitutione omissa, vel alteri facta.

Tertia regula est: fieri nihilominus potest per accidens, vt nulla sit obligatio restituendi immediatè verò domino, si videlicet is apud quem est res alterius, vel aliter aliquid alteri debet, acquirat ius prouidẽdi rei suæ rem alterius in alium, quam verum dominum immediatè transferendo, vt qui bona fide emit equum à fure; qui [sol-uit creditori sui creditoris, quod ex eadem causa vtique debebatur], quo pacto debetur pensio pro domo locatori, & illi, à quo is ipsam conduxerat prius: & qui emit ius, quod alius habebat aduersus suum creditorem; hi enim non tenentur quidquam immediatè restituere vero domino rei, aut suo aliunde creditori; sed satisfaciunt restituendo mediatè, & sic prouidendo rei suæ iuxta ius sibi quæsitum.

Iam quod ad ordinem attinet; certum optimo est debita certa quibusuis incertis præferri. Quia verum illorum ius compe-

tit ijs, quibus ea solui debent; secus verò ijs, quibus posteriora hæc soluenda sunt. Certum rursus est res, quæ extant in propria specie, & quarum dominium nondum acquisitum fuit debitori, quocumque demũ titulo apud illum reperiantur, restituendas esse ante omnia crditoribus earum. Quia ipsi habent, reliqui verò creditores non habent ius in talibus rebus. Dicendum denique est creditoribus personalibus non priuilegiatis omnibus æqualiter soluendum esse secundum proportionem debitorum, siue tempore priores, siue posteriores sint quia prior creditor nihil præiudicat; posteriori, cum persona debitoris æquè, & eodem modo omnibus ad sit, siue prius, siue posterius occurrat ijs, quibus obligatur.

Quare illa regula iuris: *qui prior est tempore potior est iure*; solummodo habet locum in creditoribus hypothecarijs concurrentibus in eodem pignore: quia creditor hypothecarius acquirit ius in re, à quo deijci non potest per posteriorem pactionem alterius absque adminiculo sui consensus impliciti vel expliciti. Quod additur propter hypothecarium, qui adijcit hypothecam specialẽ post generalẽ Eo namque ipso videtur cedere hypothecæ generali, dum non deficit specialis posterius adiuncta. Creditores priuilegiati, qui non ex natura rei, nec ratione aliqua vniuersali, cuius ductum sequunturquæstiones istæ, sed ex rationabili dispositione speciali legum præferuntur creditoribus non solum personalibus, sed etiam hypothecarijs, qui proculdubio sunt priores personalibus non priuilegiatis, recensentur à Cardinali de Lugo disp. 20. sect. 6. & ab alijs communiter

Lugo

in præsenti. Quoad reliquos constat ex dictis dari ordinem restitutionis, & qualis ille sit ex parte, tum creditorum, tum rerum debitarum.

Ad rationem dubitandi: sicut vnus habet ius ad magnas diuitias; alius ad paruas; alius respectu rei pretiosæ; alius respectu vilis; & tamen in vtroq. datur ius proprietatis formaliter vniforme, & materialiter tantum diuersum, ita contingit vnum habere ius, vt prius sibi soluatur, quam alteri, seu ad locum priorem, & alius tantum ad locum posteriorem, quin propterea habeant iura specie diuersa formaliter; cum omnia eiusmodi iura dent æqualem obligationem respectu rei & loci pertinentis ad vnumquemque, atque in hoc essentialiter consistat ratio formalis iuris. Causæ excusantes ab obligatione restituendi, de quibus hic erat immediatus agendi locus, commodius exponentur obiter in quæstionibus sequentibus, quatenus possunt esse aliqua disputationis materia.



Q QVÆ-

QVÆSTIO XLII.

Vtrum diuisio rerum sit de iure naturæ?

IMO Videtur esse contra ius naturæ 1. Quia quæ aliquo iure habent vnum commune dominium, non possunt manente eo dominio diuidi inter plures, quin fiat contra tale ius. Omnia autem quæ pertinēt ad homines habent vnum communem dominum Deum iure naturæ, vt patet ex 24. Iob. *quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* Et ex illo ps. 31. *Domini est terra &c.* Atque hoc dominium nec deficit, nec deficere potest. Ergo est contra ius naturæ, vt quæ pertinent ad homines diuidantur inter homines.

2. Omnia sunt omnibus communia, de iure naturæ. Deus enim, cuius voluntas rerum naturis conformis est, totum ius naturæ, præfecit vnum quemlibet hominem rebus omnibus, quæ ad vtilitatem hominum factæ sunt, vt patet ex ps. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*; Nempe hominis. 1. ad Corinth. 5. *omnia vestra sunt.* Gen. 1. *faciamus Hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris &c.* In quibus omnia promiscuè adscribuntur singulis; ac specialiter in loco Genesis; quod homo præsit piscibus maris, & sic de cæteris, refertur ad rationem imaginis, quæ vnicuilibet homini seorsim conuenit æqualiter ac

tota

aliter. Ergo diuisio rerum contradicit iuri naturæ.

3. De iure naturæ est, vt homines sint amore, & charitate inuicem coniuncti. Ergo est contra ius naturæ, vt habeant res inuicem diuisas. Patet consequentia, quia ex diuisione rerum nascitur diuisio personarum; sicut è conuerso ex indiuisione beneuola personarum, nascitur indiuisio, & communitas rerum juxta illud vulgare ex Philosopho ***amicorum omnia sunt communia.***

R. Ad maiorem, & magis intimam intelligentiam eorum, quæ huc vsque dicta sunt plurimum conferet indagare originem iurium, quæ ducitur ex primæua rerum diuisione; idque ipsum est omninò necessarium ad statuendum de his quæ deinceps dicenda sunt de specialibus iuribus, & specialibus tum iustitiæ distributiuæ, tum commutatiuæ obligationibus, & actibus. Sciendum itaque est bona vniuersim omnia, quorum homines sunt capaces duplici genere contineri, Alia namque sunt, quibus intrinsecè constituuntur, aut perficiuntur, vt anima & corpus, sapientia & probitas; sanitas & pulchritudo. Alia verò sunt extrinseca, vt agri, & domus, cibi, & vestes. Bona extrinseca sunt in duplici rursus differentia. Alia enim sunt, quorum mensura determinata respectu cuiusque dependet à magnitudine, & paruitate bonorum vnumquemque afficientium intrinsecè; vt fama, & honor; laus, & amor. Alia verò sunt, quorum mensura determinata est extra ipsum hominem; quæque proinde absque vlla eiusdem iniuria possunt esse plura vel pauciora nullà in ipso homine præexistente

diuersitate, vt patet in exemplis modo prælatis aliorum bonorum extrinsecorum.

Diuisio bonorum pertinentium ad intrinsecam hominis constitutionem & perfectionem descendit omninò determinatè ex iure naturæ. Cum enim homini, vt potè naturaliter libertate prædicto conueniat ex natura rei, vt sit gratia sui, patet animam cuiusque, & corpus, & vtriusque vnionem esse gratia eiusdem ex natura rei, ac proinde ipsum hominem esse finem, ad quem ea ordinantur ex sua natura; Quod est ea esse sua ipsius ex natura rei, iuxta expositionem suitatis traditam quæst. 3. Cætera, quæ hominem intrinsecè perficiunt, sunt accidentia ipsius, aut adhærent eidem admodum accidentium. Accidens autem ex sua natura est entis ens, & respicit tanquam finem subiectum, quod perficit, ac proinde eadem ratione est suum ipsius ex natura rei independenter à noua libera cuiusquam dispositione.

Non longe absimili ratione sunt sua cuiusque ex natura rei ea bona extrinseca, quorum mensura omninò determinata respectu singulorum sunt bona eorumdem intrinseca. Dictum namque est in eadem illa quæst. 3. ex D. Thoma ea etiam esse sua cuiusque, quæ eidem secundum proportionis æqualitatem debentur. Ea autem cuiusque bona extrinseca, quorum mensura omninò determinata ex natura rei, sunt bona eiusdem intrinseca, patet eidem deberi secundum proportionis æqualitatem. Alias enim non deberent inde mensurari omninò determinatè ex natura rei. Ratio vlterior horum est, quia bona cuiusque intrinseca, & quæ indè omninò determi-

natè mensurantur, ita sunt in eius vtilitatem ordinata, vt nulla hominum liberâ dispositione, aut mutua conuentione fieri possit, ne sint eidem vtilia, & aut in similem alterius vtilitatem conuertantur. Nec enim fieri potest, vt salus & honor alicuius, non sint vtiles eidem, aut vt alteri sint eodem modo vtiles, seu sint vsque adeo vtiles, & sic de ceteris à fortiori. Quæ autem ex natura rei hoc habent, vt vtilitati alicuius sint determinatè deuincta, necesse est ex natura rei esse sua eiusdem. Diuisio igitur vtriusque huius generis bonorum est constituta iure naturæ, & suum quisque illorũ peculium habet independenter ab hominum placito ex suppositione, quod existant.

Cætera bona, extrinseca homine inferiora ita sunt in hominum vtilitatem ordinata ex natura sua, vt nullum determinatè hominem potius, quam quemlibet alium; aut totam hominum collectionem potius, quam partem eorum, aut quam aliquem vnum hominem determinatè respiciant tanquam finem suum ex natura sua præterquam cælum & aer, quibus intrinsecum est, vt sint omnibus communia. Vndè fit vt nulla superaddita lege, ac dispositione vltra naturalem omnia ea bona mansura fuissent promiscuè communia. Qua de causa communiter dicitur omnia esse communia de iure naturæ. Ipsum nihilominus ius naturæ præscripsit mortalibus, vt fieret, præscribitque semper, vt conseruetur, ac propagetur eiusmodi rerum diuisio. Quod esse omninò conueniens, nec eam diuisionem honestè prætermitti potuisse, atque esse necessariam triplici ratione probat effi-

eaciter D. Thomas quæst. 65. art. 2

Primum nimirum, vt homines reddantur sollciti, ac diligentes. Omnes enim naturaliter negligunt, quæ sunt communia comparatione eorum quæ sunt propria. Et cuiuis durum est, laborem esse specialiter suum; bonum verò ex labore resultans esse alijs secum commune. Vnde facilè relinquit curam alteri, vt habeat commodum sine onere: singulis autem hac ratione propensis in otium, atque sperantibus meliora de socijs, aut si non sperent, nolentibus cum iactura propria prodesse alijs, aut inter hanc spem, ac desperationem hærentibus deseritur, ac dilapidatur bonum commune. At ratione contraria in bonum quisque proprium incumbit diligenter; certus quod sibi arat, sibi occat, & quod suum otium sibi nocet, nec ab alio supplendum sit.

Deinde confusioni vitandæ inter est plurimum, quód curas quisque suas seorsim habeat circa rem determinatam. Quare genus humanum pessimè haberet summa omnium inter se confusione implicatum, si omnibus æqualiter, & promiscuè incumberet cura circa omnia, accurrentibus multis ad eandem rem; vel si non accurrrant auertente singulos plurimorum exemplo, ne quis quidquam aggrediatur.

Denique inter eos qui communiter, & indiuisim aliquid possident, facile, ac frequẽter suboriuntur iurgia. Quapropter si omnia omnibus mansissent communia. pax & tranquillitas mutua hominum, subsistere minimè potuisset in statu absolutè tolerabili. Porro hæc tria malorum genera eò sũt

Maiora

maiora, quo maior est, eorum multitudo, quibus bona sunt communia.

Adde sublata rerum diuisione nullum, aut vix vllum superesse locum liberalitati, misericordiæ, beneficentiæ, gratitudini & similibus virtutibus, quarum opus est alijs erogare de proprio. Deesset itaque maximum humani generis decus, ac ornamentũ, & mutuæ beneuolentiæ, ac charitatis vinculum vel maximum. Adde rursus vitandis his omnibus malis imminentibus ex communione rerum omnium opus esse magna quadam eorum perfectione, quibus illæ essent communes, qualis perfectio de tota, vel etiam magna omnium hominum multitudine sperari minimè potest, saltem pro præsēti misero statu naturæ humanæ lapsæ vniuersaliter in peccatum, atque per illud corruptæ. Opus præterea foret superioritate, ac iurisdictione alicuius supra cæteros, qui congruenter diuideret opera, ac labores, confusionem tolleret singulorum in singula directione, & pacem ac tranquillitatem foueret diremptis iurgijs aut præoccupatis.

Ea autem ipsa superioritas ac iurisdictio dari non potuisset qualis in eos fines necessaria est, & sufficiens, si nulla facta fuisset diuisio officiorum, ac rerum per liberam hominum dispositionem. Officiorum quidem, quia nullus subest alterius superioritati, ac iurisdictioni ex natura rei, nec datur differentia purè naturalis, & vltimo determinata superioris & subditi; cum vnus quilibet sit æquè liber, ac sui iuris, & gratia sui ex natura rei; sintque præterea plures idonei ad regendum, & plures idonei ad parendum. Rerum verò, quia redirent eædem inconuenientia, si vel vnus tantum

homo præesset immediatè toti humano generi quoad omnia, vel plures haberent ex æquo, ius ingerendi se in earumdem omniũ rerum dispositionem. ita vt singuli diuersos quidem dirigerent homines, circa tamẽ res omnes easdem. Constat igitur ex his diuisionem totum fuisse & esse omnino necessariam, eamque quoad aliqua factam esse immediatè iure naturæ, quoad alia per liberam hominum conuentionem, ex præscripto iuris eiusdem naturalis.

Ad 1. Dictũ est quæst. præsertim 5. & 19. Deo non conuenire ius proprietatis quoad vtilitatem, & vsus vtiles rerum respectu sui, sed omnem earum vtilitatem relictam esse substantijs rationalibus creatis. Quapropter ita est rebus omnibus essẽtiale, vt subsint directioni, ac prouidentiæ diuinæ; vt nihilominus iura vtilitatum diuidi possint inter homines. Deindè quæ sunt propria vnius possunt diuidi inter plures ex cõsensu eiusdem quatenus ille consenserit. Deus autem vt dominus vniuersorum, quod in illis locis scripturæ manifestatur nõ solum consentit, sed etiam præcipit lege sua naturali quæ includitur essentialiter in iure naturæ, prout liquet ex eadem quæst. 5. & ex priori parte quæst. 7. Præcipit inquam, vt res omnes diuidantur inter Angelos, & homines, prout ipsorum interest, vt apparet ex discursu superiori. Ea igitur conformis iuri naturę diuisio rerum, & quoad partem earum inducta per ipsum est immediatè.

Ad 2. Ita sunt omnia exteriora indifferentia ex se ad quoslibet, communia de iure naturæ, vt ipsum ius naturæ præscribat singularum rerum ad singulos homines distributionem, ac diuisionem communi &

singu-


singulorum bono congruentem. Quapropter loca illa scripturæ accipienda sunt de subiectione rerum omnium respectu totius hominum collectionis cum distributione, atque appropriatione accommoda respectu singulorum. Hoc nimirum conuenit homini ratione suæ similitudinis specialis cum Deo, vt participet vim dominatiuam ipsius, cum partitione rerum, & iurium multiplicatione correspōdente multiplicitati numericæ eiusmodi similitudinem cum Deo consecuta ad multiplicationem hominum.

Ad 3. Vitio humanæ naturæ fit vt nulla arte omne incommodum tolli possit ab hominum mutua inter se coniunctione sociali. Cæterùm ex rationibus D. Thomæ, & alijs insuper adiunctis superius, manifeste apparet incommoda futura fuisse longè maiora etiam quoad mutuam pacem ac beneuolentiam, si nulla prorsus facta fuisset diuisio rerum exteriorum. Cum igitur ratio naturalis dictet inter mala incompossibilia, & copulatiuè ineuitabilia, eligenda esse quæ minora sunt, patet eadem ratione præcipiente factam esse rerum diuisionem. Quod dicitur amicorum omnia esse communia; accipitur de communitate ex affectu & inclinatione ipsius amicitiæ quoad vsus necessarios ad communem amicorū felicitatem; non verò de confusione iurium pertinentium ad vnumquemque eorum; si quidem ex eorum retenta distinctione suboriuntur, vt supra indicatum est, opera & officia mutua liberalitatis, misericordiæ gratitudinis, & similium, quibus amicitia fouetur, & quibus non esset locus subintrante iurium confusione, certè non pateret locus tam amplus, quam est necessarius respectu to-

tius omnium hominum multitudinis, mutuo beneuolentiæ fœdere vniuersaliter & particulariter copulandæ.

QVÆSTIO XLIII.

Vtrum diuisio rerum exteriorum fieri potuerit arbitrio hominum, vtcunque libuisset?



IDEDVR sita fieri potuisse. 1. Quia quod ad vtilitatē alicuius totaliter ordinatur, totaliter subiacet eius volūtati, vt disponat vtcunque libuerit, ita saltem, vt sit valida dispositio qualitercumque ipse disposuerit. Dictum autem est sæpè res omnes exteriores esse totaliter ordinatas ad vtilitatem hominum. Ergo homines potuere eas diuidere, atque de illis disponere saltem validè, vtcunque libuisset.

2. Quod viget consensu, & voluntate vniformi omnium vniuersim nationum, & gentium non amplius dubitatur, quin sit iustum ac honestum; certè non dubitatur de valore dispositionum nihil inde exorbitantium. Dubitari autem eo non obstante posset, si posset esse aut inhonesta, aut inualida dispositio, ac diuisio rerum facta communi omnium conuentione ac arbitrio, vtcunque libuisset. Quia videndum nihilominus superesset; an disposuissent, ac diuisissent eo determinatè modo quo solo licet, ac valet eorum dispositio.

R. Con-

R. Constat ex quæst. præcedenti diuisionem rerum exteriorum indifferentium ex se, tametsi de iure naturæ non sit formaliter, & immediatè, atque omninò determinate; esse tamen de iure naturæ præceptiuè ac vage. Ita videlicet, vt liberum hominibus fuerit talem, vel talem rerum diuisionem instituere pro libito, quin agerent contra ius naturæ, non tamen, vt nullam prorsus facerent diuisionem. Verum neque istam ipsam electionem diuisionis ac modi diuidendi vsque adeo liberam & indifferentem reliquit ius naturæ, vt nullas præscripserit conditiones, quibus non præstitis leges, ac conuentiones diuisionum cu aderēt inhonestæ, imo & nullitatis vitio laborarēt. Cum enim res istæ exteriores in omnium, ac singulorum hominum vtilitatem sint ordinatæ intrinsecè ex sua natura, sintque deuinctæ naturæ humanæ secundum se, quatenus easdem erogauit Deus æquali erga omnes homines amore ac voluntate antecedenti; siquidem omnes fecit æquè bonos in natura, neque eius amor inæqualis esse possit, erga obiecta æqualiter bona in se, quatenus æqualiter bona sunt: cumq; homini nihil facere liceat contra naturas rerum, & contra diuinam voluntatem antecedentem beneplaciti. Cum inquam hæc ita se habeant patet diuisionem rerū quatenus factam arbitrio hominum honestam, ac validam minimè esse potuisse, quin omnium, ac singulorum hominum vtilitati, & felicitati æquè consuleret.

Prima igitur eademque præcipua & cæteras in se continens conditio iustæ & validæ diuisionis est, vt omnes homines nulla facta exceptione eidem sorti committat, eandemque omnibus quouis tempore exi-

stentibus spem, ac facultatem faciat quantũ est de se augendi cumulum bonorum suorum. Alias enim lex humana faceret inæquales, quos lex naturalis, eademque diuina fecisset æquales, idque solum ex voluntate legislatorum ante omnem earum circumstantiarum varietatem, pro quibus lex naturalis à Deo lata esset, atque omnibus æqualiter prouidisset. Quapropter, si lex humana ex se præcisè inæqualis, respectu diuersorum hominum, posset esse valida, fieri posset vt voluntas hominis præualeret contra diuinam. Nec enim valida esse posset, quin redderet inualidam ac nullam, eam cui esset contraria. Quod autem voluntas diuina, per quam viget lex naturalis, æqualiter fauerit omnibus & quibusuis secundum se præcisè consideratis breuiter quidem, sed efficaciter demonstratum nuper est.

Secunda deinde principalis conditio eiusdem diuisionis est, vt nullum relinquat aditum inæqualitati bonorum præterquam ex inæquali ad bonum commune contributione, atque cooperatione. Cum enim bona hæc exteriora sint, vti præmissum est, communia omnibus ex sua natura; neque quod commune est fieri possit iuris priuati, quin tantumdem iuris, ac liberæ facultatis decedat cæteris quanta fuerit accessio priuato illi adiudicata, sequeretur planè iniuriosam fore atque nociuam, respectu cæterorum contentorum in communitate; appropriationem rei, quæ erat communis, respectu priuatæ personæ, nisi ipsa tantũdem in bonum commune contulisset. Quare permissa occupatione, & appropriatione bonorum cuilibet æquè patentium absq; aliqua eiusmodi contributione in bonum commune,

commune, non fieret solum vltra ius naturale, sed etiam contra. Nec enim ea diuisio esset, qualē ipsum ius naturale permittit, ac præcipit, sed qualem reprobat manifestè. Quod ex eo vlterius manifestatur quia nemo prudenter consentit puro suo damno, idest damno minimè compensato per aliquod aliud bonum saltem æquale, & incompossibile cum eo, cuius iacturam patitur. Ergo qui facit iuris ac liberæ facultatis priuatæ, quod erat commune, quin communitati aliundè refuderit tantumdem, habet contradicentes sibi reliquos omnes contentos in communitate, atque prudenter sibi prouidos, quales plerique sunt in hac parte, & præsumuntur omnes, ac proinde vsurpat rem inuitis rationabiliter eius dominis. Quod est contra ius naturæ.

Accedit fore, vt si diuisio rerum secus, quam dicitur, facta fuisset, aut permitteretur, non aufferrentur nec minuerentur inconuenientia proposita in quæst. præcedenti ex indiuisione rerum. Primum enim omnes facilè dimitterent curam, & sollicitudinem eorum, quæ iam haberent, in existente sibi facultate & libera potestate vsurpandi alia, atque alia de nouo absque vllo labore, nullaque adhibita industria cedentibus in bonum commune. Deinde sequeretur summa confusio plurimorum confluentium ad purum lucrum absolutum ab omni onere honestæ compensationis. Quod denique pacto, vitari possent simultates, & maleuolentiæ mutuæ inter videntes spoliari se bonis æquè suis accapientis, idque in perpetuum absque vllo suo emolumento speciali, vel communi?

Præte-

Præterea cuius, in finem suum vigoris esse possent virtutes humani generis mutuo conciliatrices, si ea tantum erogari possent, quæ, qui erogaret, habuisset, & qui acciperet habere posset sola habendi voluntate, eiusque voluntatis solum per verba aut nutus significatione, aut vtcumque aliter nulla superata difficultate promouendi bonum commune, nullaque adhibita eam in rem industria? Quæ omnia incommoda sunt manifestiora in vsurpatione iurisdictionis; si tamen iurisdictio esset aliqua, libera facultas supra alios absque vel idoneitate, vel obligatione promouendi bonũ commune. Cuiusmodi profectò facultatem quilibet sibi vellet, nemo alteri. Vnde fieret, vt nemo illam haberet posset, quin noceret alijs in re maximè sua ipsorum: hoc est in propria libertate & dispositione suarum actionum, idque inuitis rationaliter ijsdem. Quod clarè cõtradicit iuri naturæ.

Patet igitur iniquam & turpem futuram fuisse diuisionem rerum nõ grauantem singulos appropriaturos sibi partem earum necessitate cooperandi ad bonum commune per positionem rerum acquisitarum in statu magis idoneo ad vsus & commoda generis humani, vel physicè vel intentionaliter. Qui duo modi proficiendi communitati per spem, aut effectum physicum in occupatione, & sepositione rerum, ac personarum in vsum specialem propriæ liberæ facultatis infra clarius secernetur, ac exponetur, seponendo classes rerum quæ ad legitimam sui appropriationem respectu particularis personæ exigunt ex sua natura cooperationem physicam ad bonum commune, ab ijs quæ solam exigunt intentionalem

nalem, ac moralem cooperationem. Exponentur inquam, dum dicetur de modis acquirendi in specie. Nunc enim tantum decernitur in genere.

Tertia conditio est, vt quæ cuiusque propria facta iam semel fuerint, eidem maneant in perpetuum, quantum capacia perpetuitatis illa fuerint; nec in alium transire possint absque ipsius consensu, & quatenus, seu illo tantum modo, quo ipse consenserit. Hoc probat efficaciter prima ratio D. Thomæ supra producta, pro necessitate naturali diuisionis rerum. Non enim ea solum negligenter ab vno quoque administrantur, quæ sunt omnino communia, sed ea etiam, quæ solum habentur ad tempus, debentque aut possunt transire ad alium absque ipsius consensu, vel simpliciter, vel quoad aliquid.

Confirmatur præterea hæc conditio ex præcedentibus, quia quod quisque contribuisset in bonum cōmune pro appropriāda re aliqua, vel esset irreuocabile, vel reuocabile. Si primum, esset iniqua rem sibi acquirentis conditio, quia pro re sibi interitura impendisset aliquid nunquam rediturum. Si secundum, tam priuatæ personæ, quam communitas semper se inuicem haberent sollicitos, & de rebus suis minimè securos, imminente vtrimque dissolutione communium vtilitatum. Qua de re multa dici possent, sed possunt eadem ab vnoquoque facile considerari in consequētiam eorum, quæ iam exposita sunt. Confirmatur rursus, quia redderentur cōtemptibiles, ac minimè efficaces virtutes, quibus homines inter se maximè conciliantur, dū ea erogarent, quorum neque dans esset neque accipiens futurus esset permanens, & securus possessor.

Quod

Quod autem vnicuique debuerit relinqui libera facultas, vt partem quæ sibi obtigisset, posset in alium transferre quatenus ipsi libuisset, ex eo est manifestum. Quia ius cuiusque priuatum in parte sibi contingente succedit iuri communi, & indiuiduo, quod habebat simul cum omnibus alijs ad totum omnium bonorum cumulum. At iuri illi communi, & indiuiduo renuntiare homines potuissent suo libero consensu. Ergo par est vt possint etiam renuntiare iuri priuato; quod communi illi succedit. Patet consequentia. Quia ius naturæ præcipiens diuisionem non præcepit, vt homines fierent deterioris conditionis; siquidē ius naturæ, & quod ab eo præcipitur, constitutū ab eo est ex amore generis humani. Fierent autem deterioris conditionis, si non retinerent libertatem æque solutam, ac antea cæteris paribus.

Posterior ista pars huius tertiæ conditionis confirmatur vlterius comparatione cum parte priori. Quia sicut alienabilitas rei vnicuique contingentis absque eius consensu redderet infelicem diuisionem, vt ostensum est; ita impotentia alienandi cum libuisset, & quatenus libuisset, reddidisset eandem infelicem inter alia propter hæc duo. Alterum est, quia fieri non potuit vt in parte vnicuique appropriata, suppeterēt omnibus omnia necessaria pro omni tempore. Ergo si quod quisque haberet non posset alienando in alia commutare, constituerentur homines saltem plerique ratione diuisionis rerum in impotentia sibi prouidendi de omnibus necessarijs per commutationem eorum quæ haberent cum ijs, quibus magis indigerent. Alterum est quia impotentia alienandi impediret vsum virtutum

tutum socialium, & amicabilium liberalitatis, gratitudinis & similium in eo gradu, qui est necessarius respectu totius multitudinis hominum.

Postrema ex his consequens conditio est, vt pars bonorum vnicuique contingentium sit transferibilis in alios non ex qualicumque eiusdem consensu, sed vel gratioso, & bene merenti apud eum, in quem fieret translatio, vel constituente æqualitatem inter datum & acceptum. Ratio est, quia si translatio rei quæ, est vnius, in alium facta erit non constituta æqualitate inter datum & acceptum; nec excessus fuerit gratiosè collatus ab eo, cui minus contingit habere, is planè iacturam eatenus patietur coactus. Hoc autem sine iniuria ex parte cogentis contingere minimè potest. Cũ enim omnes homines essent æquales ab initio quoad terminos libertatis, tam materialiter, quam formaliter; & postea inæqualitas materialis inducta sit absque inæqualitate formali; nec secus fieri potuerit saluo iure naturali, vt liquet ex dictis præsertim circa primam conditionem; atque inter cogentem, & coactum manifesta intercedat inæqualitas formalis; siquidem qui cogit, plus sibi arrogat in retinenda amplitudine suæ libertatis, & restringenda libertate aliena, quam qui cogitur, is enim non plenè, ille plenè, immo & vltra limites vtitur sua libertate. Cum inquam hæc omnia ita se habeant cõsequens planè est, vt toties necesse sit interuenire iniustitiam primæuo iuri naturæ contrariã, nec alterabilem vlla vniuersali inter homines conuentione, quoties fiet translatio rerum, quæ sunt vnius, in alium absque æqualitate inter vtrumque, & simul absque

alte-

alterutrius gratiosa quoad excessum collatione, & consensu simpliciter libero.

Quapropter commutatio inæqualis non habens admixtam gratiosam collationem ex alterutra parte est iniusta; multo verò magis translatio rei, quæ est vnius, in alium absque vlla commutatione, & consensu domini; neque sine ista conditione potuit fieri rerum diuisio. Consensus porro intelligitur, vel implicitus, vel explicitus. Quia cum homines non possint vbicumque ipsorum interest adesse, nec ad omnia, & singula, vel simpliciter, vel prout oportet semper aduertere quæ similiter eorundem seorsim, aut communitatis interest, vt sic vel aliter disponantur de nouo, esset iniqua eorum conditio, si defectus singulorum quoad præsentiam, vel aduertentiam, & consensum explicitum suppleri non posset præsumptione aliorum, fundata in consensu dominorum] tantum vniuersali ac implicito, seu virtuali, aut mediato cum vtilitate vel speciali ipsorum, vel communitatis. Cuius rei clarior demonstratio exhibebitur in progressu.

Interim circà æqualitatem hoc præterea notandum est, non debere illam mensurari dependenter ab affectu speciali, quo quis rem aliquam prosequitur per accidēs. Quia ante rerum diuisionēm æque patebāt omnibus res omnes exteriores quocumque demum modo affecti essent erga illas. Ergo esset contra ius naturæ, si induceretur inæqualitas quoad res exteriores iuxta proportionalem interioris affectus inæqualitatem. Quem videlicet vnicuique permissum est qualem, & quantum libuerit concipere absque iactura rerum ad quas afficitur, & absque vllius iuris exinde acquisitione, quantum

quantum est ex vi iuris naturalis. quatenus comparantis hominem cũ homine, & præscribentis vnicuique terminos, propriæ liberæ facultatis. Ratio à priori est quia vt præmissum est sub initium quæstionis præcedentis, affectus, & cætera quæ hominem secundum se intrinsecè afficiunt, sunt sua, & propria cuiusque iure naturæ; idque proindè peculium potest quisque quãtumlibet augere vel minuere, quin ea de causa vllam iacturam patiatur, aut vllum emolumentum percipiat quoad ea, quæ idem ius naturæ fecit omnibus cum æqualitate communia, atque ex prescripto eiusdem iuris ius humana libertate constitutum, atque vltimo determinatum omnium industriæ, ac fortunæ æqualiter exposuit, vtcumque affecti essent.

Accedit incommodum ingens: quod ex opposita iuris ratione sequeretur. Sequeretur namque quo quisque sapientior esset ac maiori probitate præditus, eo per se loqnendo deberet in commutationibus minus accipere; & eo plus, quo insipientior esset ac deterior. Nempe quo quisque sapientior maiorisque probitatis est, eo magis afficitur ad æterna, & minus ad hæc temporalia, quæ comparatione illorum vilescunt animo rectè vtraque ponderanti; Indè demum fieret sapientiam, & probitatem, insipientiam, & improbitatem, vel certè affectum illis regulatum esse partẽ mercis aut pretij in commutationibus; & rem minimè transferibilem in aliũ constituere intrinsecè id, de cuius in alium translatione ageretur, atque tractari vt commutabile, fierique materiam contractus commutationis, quod essentialiter est incommutabile

bile, ac intransferibile. Æqualitas igitur pensanda est penes æstimabilitatem conuenientem rei independenter ab speciali, & accidentali æstimatione, ac affectu cuiusque erga illam & pendentem solum à naturali hominum constitutione, alijsque exterioribus rerum ipsarum circumstantijs variantibus mutuam earumdem rerum comparationem inter se.

Istæ omnes conditiones ac limitationes expositæ sunt seorsim maioris claritatis gratia, & quia earum intelligentia conferre plurimum potest ad expeditiorem determinationem quæstionum sequentium, nec non ad dirimendas ab vnoquoque quæstiones alias minutiores circa peculiares in vnoquoque genere iniurias, quarum sigillatim & in particulari prosecutio euaderet nimis longa, neque est pro disputatione vsque adeo idonea. Cæterum ea omnia quæ dicta sunt possunt quoad substantiã breuius expediri per definitionem dicendo: diuisio rerum iure naturæ præscripta est *designatio iuridica terminorum liberæ facultatis respectu singulorum circa res suapte natura communes, ac indifferentes cõferens ad propriam cuiusque, & communem omnium felicitatem*. Quia verò huiusmodi diuisio descendit ex præscripto iuris naturalis, & inducta est sẽsim sine sensu quoad præcipua eius capita per ius gentium conniuentibus singulis appropriationi, quam quisque præoccupando fecisset, atque ius gentium confunditur sæpe à Iurisconsultis cum iure naturæ, vt dictum est quæst. 7. propterea Institut: de rerum diuisione fere dicitur; *id quod ante nullius est naturali ratione conceditur occupanti*. Rursus quia plures

plures rerum diuisiones fiunt immediatè decretis & legibus Principum ex concessione iuris gentium, & naturæ, propterea Augustino dicere licuit tract. 6. in Ioan. *quod hæc villa sit mea, & illa tua, est ex iure Imperatorum.* Neutrum tamen horum fieri aut honestè aut etiam validè potuit siue per conuentionem gentium, siue per decreta & leges Imperatorum, siue vllo alio modo nisi dependenter à iure naturæ, & cum conditionibus ab eo præscriptis, & huc vsque explicatis; cum iisdem verò potuit, & potest fieri diuisio rerum per liberam hominum conuentionem, & statutum.

Ad 1. Quod est vtilitati alicuius, vel aliquorum deputatum, subiacet eius seu eorum voluntati solum quoad eas vtilitates quæ eidem vel eisdem concessæ sunt. Res autem exteriores concessæ sunt à Deo hominibus non quoad vtilitates qualescumque respectu singulorum, sed quoad eas, quæ bono communi congruunt & respiciunt æqualitatem respectu cuiusuis in particulari pro vt comparati cum cæteris. Eatenus igitur tantummodo concessum est hominibus vt honeste & validè de ijs rebus disponerent iuxta regulas datas.

Ad 2. Propterea non dubitatur de honestate, & validitate eorum quæ communi hominum consensu statuta sunt circa res istas exteriores sensibus obuias, & facilè intelligibiles perfectè; quia est moraliter impossibile, vt omnes, aut etiam plerique errent circa dispositionem earum quoad principia omnibus aut plerisque cõmunia. De ijs autem quæ sunt moraliter impossibilia perinde non dubitatur, atque de impos-

possibilibus physicè, quia perindè non eueniunt.

QVÆSTIO XLIV.

Vtrum Officia habentia iurisdictionem sint intrinsecè inuendibilia?

VIDENTVR non esse inuendibilia. 1. Quia D. Thomas interrogatus de hoc puncto à Ducissa Brabantiæ respondet opſ. 21. ad quæſt. 5. his verbis: *non video quare huiusmodi officia non liceat vobis vendere, dummodo talibus vendatis, de quibus possit præsumi, quod sint vtiles ad talia officia exercenda, & non tanto pretio vendantur officia, quod recuperari non possit sine grauamine vestrorum subditorum*. Ergo seruatis duabus illis conditionibus licitè, & valide vendi possunt officia habentia iurisdictionem. Nempe de talibus officijs est ea consultatio.

2. Officia secularia sunt in primis quid pure temporale, vt patet, Deinde sunt valdè appetibilia. Ambiuntur enim magnis expensis laboris & industriæ; & magnæ pecuniarum summæ à multis quam libenter erogantur pro illis obtinendis. Ergo sunt vendibilia. Patet consequentia quia non alia de causa panis, & vinum & eiusmodi cætera ab omnibus censentur vendibilia. Qua propter D. Thomas hanc

eandem rationem! vnicè præmittit suæ illi assertioni aiens: *Cum autem balinis & officialibus vestriis nihil committatis nisi temporalis officium potestatis non video &c.* Est igitur efficax ista ratio.

3. Marchionatus, Comitatus, Ducatus venduntur de facto carius à pijs & timoratæ conscientiæ principibus ob adiunctam illis iurisdictionem; qua seclusa non venderentur tanto pretio redditus, & alia emolumenta pecuniaria honorarijs illis titulis deuincta. Ergo iurisdictio etiam ipsa secundum se est vendibilis, & habet rationem partis mercis in venditione iusta. Quis enim audeat damnare tanquam iniustam tot iustissimorum Principum praxim, antiquam & quotidianam augentium pretium ob adiunctam præcisè iurisdictionem? Aut quæ ratio discriminis reperiri potest, ob quam iurisdictio simul cum re alia vendi eiusque pretium augere possit; seorsim verò vendi non possit præsertim cum sit eiusdem rationis ac iuris sit, siue illa aliæ res prius, deinde iurisdictio seorsim; siue vtraque simul ac indiuisim vendantur.

4. Licet iurisdictio primo ac principaliter sit ordinata in bonum communitatis; secundario tamen, & minus principaliter cedit etiam in vtilitatem eius, à quo habetur, quatenus confert præeminentiam quandam, & dignitatem prælatiuam respectu cæterorum, vt dictum est quæst. 3. & 4. Fieri autem potest, vt vtilitas secundaria & minus principalis alicuius rei sit æqualis toti alterius rei vtilitati ob maiorē æstimabilitatem vnius, quam alterius, ob quam quod est secundarium ac minus principale in vno adæquet, aut etiam superet quod

quod est primarium ac principale in altero. Confirmatur à posteriori, quia quod est secundarium & minus principale in iurisdictione communiter habetur pluris, & ambitur magis quàm quidquid vtilitatis simpliciter est in parua pecuniarium quantitate.

5. Si hæc officia essent inuendibilia secundum se essent etiam inuendibilia quoad emolumenta pecuniaria illis annexa. Quia quomodocumque vendantur, sequuntur eadem inconuenientia; nempe quod ciues postquam ea emerint grassentur in subditos non solum vt expensas factas restaurēt, sed etiam vt ad vlteriores in dignitatibus progressus viam sibi parent. Atque hoc est alterum inconueniens, quod nimirum inde fiat, vt ciues non se disponant ad obtinenda ea officia per virtutem & sapientiam, sed magis accumulando pecunias per bonas, vel malas artes præeunte ad hoc ipsius exemplo Reipublicæ seu suprem Principis docentis ea venditione venditionem functionum iurisdictionalium, & pecuniæ auiditatem.

6. Vt hæc officia vendi non possint digniori, cui debentur determinatè; saltem vendi poterunt indigno, & minus digno, quibus non debentur; certè venditio his facta erit valida, nullumque inde manebit onus restituendi, idque eadem ferè ratione qua iudex ex communi auctorum opinione facit suas pecunias acceptas pro sententia iniusta, licet non faciat suas, quas accipit pro sententia iusta. Est enim eadem vtrobique ratio. Ergo venditio istiusmodi officiorum non est intrinsecè inualida.

7. Saltem electio vnius præ alio, ex

æque.

æquè dignis vendi potest. Licet enim concurrentibus multis æque dignis debeatur electio al cui eorum vagè, & indeterminatè; non tamen debetur huic potius quam alteri determinate. Ergo pro electione huius determinatè potest accipi aliquod pretium. Qualibet enim res quatenus est indebita est vendibilis, si simul sit purè temporalis, atque æstimabilis; in quo genere continetur electio ad officia temporalia. Confirmatur ex opinione quorumdam auctorum asserentium obligatū ex testamento ad dandum centum pro dote alicui puellæ nubili relicta sibi libera determinatione personæ posse accipere pretium & retinere sibi partem dotis pro electione huius determinatè præ cæteris æque habentibus conditiones requisitas à testatore; & sic de alijs obligatis ad dandam quantitatem determinatam, aut etiam ad vendendum pro determinato pretio, sed, non determinantæ personæ.

R. Bona illa, quorum diuisio facta est libera hominum conuentione iuxta dicta in duabus proximè præcedentibus quæstionibus duplici summo genere cōtinentur. Alia namque sunt quæ pertinent ad iustitiam distributiuam tanquam propria eius materia proxima; alia quæ ad commutatiuam; iuxta dicta quæst. 18. Quia verò inter istas duas iustitias distributiua est præstantior, quatenus eius obiectum est ius, saltem inadæquate commune, quod præualet priuato, propterea primo loco accommodandæ illi sunt conditiones nuper assignatæ diuisionis legitimæ rerum. Inter quæstiones autem de iustitia distributiua ea censetur præcipua, qua quæritur: an officia saltem sæcularia habentia annexam iurisdictionem

ſint vendibilia. Affirmant Caietanus, Vazquez, Valentia & alij quamplures. Negant Adrianus, Medina, Angles, Turrianus & alij. Diſtinguit Leſſius: nimirum eiuſmodi officia, quoad obligationes ad certas functiones, quæ eſt eorum eſſentia, & quoad iuſtū ſtipendium, eiſdem obligationi & functionibus correſpondens, eſſe inuendibilia. vendibilia verò quoad dignitatem & præeminentiam reſpectu cæterorum, nec nō quoad occaſionem ac ſpem lucrandi vltra iuſtum ſtipendium.

Diſtinctio iſta Leſſij partim ſubſiſtit partim non ſubſiſtit. Subſiſtit quidem quoad obligationem ad functiones & quoad ſpem lucrandi. Quia hæc duo ſunt inuicem ſeparabilia, & conditionis ac æſtimationis longè diuerſæ. Non vero ſubſiſtit quoad eandem obligationem ad functiones, & quoad dignitatem, ac præeminentiam reſpectu ſubditorum. Quia hæc duo ſunt eſſentialiter inuicem inſeparabilia, & identificata mutuò in eiuſmodi officijs; atque diſtinctio rationis, ſi tamen & hæc ipſa eſt poſſibilis inter ea extrema, cum tales functiones ſint eſſentialiter ac formaliter propriæ præeminentis, vt præeminentis Diſtinctio inquam rationis nihil facit pro negotio venditionis, quandoquidem venditio eſt rei vt eſt in ſe, & non vt ſic vel aliter apparet in intellectu formaliter.

Quapropter diſtinguendum eſt vlterius duplex genus præeminentiæ, adiacentis officijs iuriſdictionalibus. Primum præeminentiæ genus eſt, quod eſt illis intrinſecū, ac eſſentiale, & conſiſtit in ſola ac præciſa poteſtate vnius, vt præcipiat, ac vetet alijs, eoſque dirigat, & in obligatione aliorum, vt illi pareant, ac conformentur. Alterum

terum præeminentiæ genus est separabile absolutè ab ijsdem officijs, illisque extrinsecùs superadditum per leges, & consistit in peculiaribus priuilegijs, conferentibus personæ in officio constitutæ peculiarem splendorem, ornatum, ac venerabilitatem vltra eam, quam confert ex natura rei iurisdictio nuda secundum se. Eiusmodi sũt, posse gestari specialem habitum & insignia, prohibita cæteris; præcedere loco in publicis & priuatis consessibus; interesse cõuentibus hominum præcipuorum pro negotijs maioris momenti; eximi ab officijs vilioribus, & seruilitatibus popularium, aut à circumstantijs earum grauosis tempore, pacis, & belli; tractari modo peculiariter honorifico in causis ciuilibus, & criminalibus; habere aditum frequentem, & facilem ad Principem; constitui in spe promotionum quoad aliqua maiora in hoc eodẽ ordine rerum, & similia. Secundum istud præeminentiæ genus non est vbique vniforme, sed multiplex, & varium in diuersis prouincijs, & apud diuersos Principes, habetque inæqualem æstimationis gradum iuxtam magnitudinem, & exiguitatem, amplitudinem, & restrictionem dominij, ac territorij, & iuxtà qualitatem ac numerum maiorem, vel minorem eorum, suprà quos euehitur, qui donatur officio; ideoque, nulli vniuersali ac vnisomi regulæ subijci potest. Qua de causa nihil de eo genere præeminentiæ in præsenti dicetur, aut subintelligetur in progressu, sed tantùm de, primo illo genere, quod est vbique vniforme, & inest officijs iurisdictionalibus intrinsecè ac per se.

Dicendum itaque absolutè est eiusmodi officia esse intrinsece inuendibilia, si se-

cundum se præcisè cõsiderentur, seu quoad ea quæ sunt eisdem intrinseca, & essentialia: vendibilia verò esse quantum est de se quoad emolumenta pecuniaria ex eisdem resultantia per se quidem quoad excessum iusti stipendij: per accidens verò quoad hoc ipsum stipendium. Hæc procul dubio est mens Diui Thomæ in opusculo illo 21. vt apparebit ex responsione ad 1. & 2. Probatur prima pars conclusionis. Quia officia habẽtia annexam iurisdictionem secundum se præcisè, & ex sua natura intrinseca non sunt primò, & principaliter ordinata in vtilitatem eius, cui conferuntur, sed potius in vtilitatem, & commodum communitatis eadem per se vel per alium conferentis, vt positum est ex cõmuni omnium consensu quæst. 3. & apparet clarè ex dictis quæst. 18. circa tertium genus bonorum communium. Pecunia è conuerso primò, & principaliter est ordinata ex sua natura in vtilitatem & commodum habentis illam tanquam suam, vt ex se satis patet, & expositum est in eadem quæst. 18. circa primum & secundum genus bonorum communium. Manifestum autem est non posse constitui æqualitatem inter datum, & acceptum, quando vtrumque primo & principaliter est ordinatum in vtilitatem, & commodum alterius ex commutantibus. Huic enim necessariò alter euadit inæqualis, ac inferior cum minori lucro, & maiori damno. Cum ergo venditio non possit esse iusta absque æqualitate inter datum, & acceptum; patet officia habentia annexam iurisdictionem esse prorsus inuendibilia, si secundum se præcisè considerentur.

Explicatur & vigetur hæc ratio: Quia communitas indiget aliquo iurisdictionem ha-

habente, à quo multitudo dirigatur; coerceatur ac defendatur, & in mutua pace, tranquilla, ac beneuola conseruetur; indiget vero non minus, si non & multo magis, quam indiget medico, magistro, & alijs eiusmodi, nec vllus ciuium determinatè ità indiget potestate cæteros gubernandi. Sicut igitur intrinsece iniquum & turpe esset communitatem vendere officium magistri, medici, & aliorum eiusmodi secundum se, præcisè, & seclusis omnibus emolumentis pecuniarijs, eorumque spe; ita intrinsece, & turpe est vendere officium habens annexam iurisdictionem secundum se præcise. Tenet paritas ob rationem iam datã. Quia videlicet vtrobique primo ac principaliter cedit communitati vtilitas non solum pretij, sed etiam mercis, seu eius, quod vendit. Quod manifestè est contra rationem iustæ venditionis. Augetur vis argumenti. Nam qui vendit ideo vendit, quia indiget pretio; non vero quia indiget, vt habeatur ab alio, quod ipse vendit. Alias enim venditor cogeret emptorem ad faciendos sumptus non vt subueniat indigentiæ propriæ ipsius emptoris, sed vt subueniat indigentiæ quam patitur vendens, non solum pretij, sed etiam, vt habeat apud emptorẽ quod illi vendit. Quo nihil inęqualius ac iniustius esse potest. Nempe emptor, & venditor, vt iustus & æqualis sit cõtractus, suæ quisque indigentiæ consulere debent, & permutare res æquè inuicem vtiles; & non vt alterutri tota vtrimque vtilitas primo ac principaliter cedat.

Altera pars conclusionis, nempe quod emolumenta pecuniaria officiorum sint vẽdibilia per se quoad excessum stipendij iusti nullo negotio conuincitur. Quia talia

emolumenta potest communitas, & qui vices gerit cōmunitatis subtrahere absque vlla iniuria, quantū est ex natura ipsius rei. Ergo & vendere potest. Patet consequentia; quia venditio est quidam subtractionis modus. Deinde ea emolumenta sunt eiusdem generis cum pecunia, qua ementur, potestque proinde constitui æqualitas inter ipsa, & pecuniam pro eis datam.

Postrema pars conclusionis, quod hæc officia sint inuendibilia per se quoad iustū stipendium; vendibilia verò per accidens, probatur. Quoad per se quidem, quia iustum stipendium est debitum ex iustitia exercenti iurisdictionem, non secus ac laboranti in vinea. Nemini autem vendi potest, quod ei debetur ex iustitia. Nec est locus æqualitati iustitiæ, quando solutio pretij, & obligatio, ac onus ex se æstimabile grauant solum ementē venditore vtrimque lucrante. Probatur item quoad per accidens, quia res publica potest obligare ciues, vt incumbant bono communi, tam in hoc genere, quam in quouis alio gratis, & absque vllo stipendio, quando in eas angustias redacta est, vt non sit soluendo; seu soluere non potest, quin patiatur aliud malum maius, quam cogere idoneos ad laborandum absque mercede, & constituere inæqualitatem, inter ciues sic laborantes, & alios nihil præstantes, quod æquiualeat illi labori quia non possunt, aut non expedit. Vendere autem anticipata solutione iustum stipendium dietim proueniens ex functionibus officij, nihil re ipsa est aliud quam obligare ad præstandum officium, seu functiones officij gratis, & absque stipendio. In hunc igitur modum, atque sub eiusmodi distinctione, sunt vendibilia & inuen-

inuendibilia officia sæcularia.

Ad 1. Imo ea verba D. Thomæ confirmāt veram sententiam; quia secunda conditio ab ipso apposita *vt non tanto pretio vendātur officia, quod recuperari nō possint sine grauamine subditorum*, nullum locum habere possset, si ista officia non solum essent vendibilia quoad emolumenta pecuniaria, sed etiam secundum se, & quoad nudam iurisdictionem. Quia tunc ementes per ipsam officij collationem reciperent partem cōpensationis, aut compensationem adæquatam pretij soluti & consequenter non liceret illis totum pretium recuperare, (vt supponit licere D. Thomas) neque cum grauamine, neque sine grauamine subditorum. Neque enim per emptionem officij secundu se posset acquiri ius ad rehabendum tantūdem pecuniarum vltra illud officium; nemo siquidem potest peremptionem acquirere jus ad mercem, & ad aliquid amplius. præsertim æquale toti pretio. Igitur Diuus Thomas solam approbat venditionem officiorum quoad emolumēta pecuniaria, quæ exigenda supponit per officiales à subditis.

Ad 2. Ratio illa desumpta ex D. Thoma nihil concludit, nisi cum limitatione ab eo adhibita, & nuper notata ad 1. atque in sēsu illam includente. Id quod demonstrari efficaciter potest; quia etiam mutuū est quid purè temporale, & est valde æstimabile atque pro eo obtinendo erogant mutuatarij multam pecuniam; & nihilominus est inuēdibile secundū se præcisè, vt d. cetur quæst. 45. Eadem est ratio vt ibidem apparebit de anticipata, & dilata solutione pretiorum, pro mercibus, quarum altera respectu vendentis & altera respectu ementis sunt valde æstimabiles, & vtraque est quid purè tē-

porale, vt patet, & quæritur ab alterutris, aucto & diminuto pretio; & tamen neutra est vendibilis. vt merito fatentur aduersarij fere omnes. Ergo ad iustam rei vendibilitatem non sufficit eam esse purè temporalem, simulque appetibilem & sumptibus pecuniarum quæsitam per aliquos. Sed aliquid præterea aliud requiritur; nempe vt possit constitui æqualitas inter mercem & pretium. Quæ æqualitas repugnat inter pecunias, & iurisdictionẽ vt ostensum est supra, & est possibilis inter easdem pecunias, & emolumenta pecuniaria secundum quæ præcise considerauit D. Thomas temporalitatem eorum officiorũ, vt visum iam est.

Ad 3. Iurisdictio adiuncta proprietatibus illas reddit magis securas à furto & rapina; minuit expensas operarum, & familiæ; accommodat pretia intra summum, & infimum pretium iustum in fauorem domini, seu vendentis, seu ementis; exigit efficacius, & magis tempestiuè nomina, & tributa; aliaque plura accumulat obsequij, & officiosæ contributionis emolumenta pecuniaria, quæ non negatur vendibilia esse ex sua natura. Eadem autem sola venduntur, siue seorsim, siue simul cum proprietatibus iurisdictio conferatur à Principibus conferentibus iustè; ex quo patet nullum argumentum deduci posse pro vendibilitate iurisdictionis secundum se, & cum separata fuerit ab eiusmodi emolumentis, vti separari absolutè potest per leges ea omnia abradentes.

Ad 4. Dignitas, & præeminentia iurisdictionalis essentialiter consistit in potestate dirigendi cæteros ad propriam ipsorum vtilitatem, ac fœlicitatem, eosdemqne eam in finem obligandi. Quæ quidem potestas,

quia

quia est participatio diuinæ potestatis, est perfectio valde æstimabilis, & subiectum suum reddit valde honorabile. Verum quia hæc potestas quatenus connaturaliter habita, & pertinens ad præsentem considerationem dependet essentialiter ab exercitio similis potestatis conuenientis communitati volenti obligare, & obliganti de facto habentes talia officia, vt cõsulant bono communi, eumque in finem omnem suam industriam, ac vires impendant; vnde fit vt quoties exercent potestatem cæteros obligãdi, toties, exerceant subiectionem erga communitatem obligantē ipsos vt ita obligent; idque cum hoc discrimine, quod cõmunitas obligat principaliter ad propriam ipsius vtilitatem; minimè verò habentes officia ad propriam ipsorum vtilitatem, cuius tamen sunt indigi non minus quam cæteri: & ex vtroque capite eius & subiectionis & indigentiæ deficit eorum potestas à participatione diuinæ. Quia inquam hæc omnia ita se habent, perspicitur clare dignitatem & præeminentiam hominum habentium iurisdictionem esse æquilibratam, immò & præponderatam subiectione erga communitatem diuertente vires animi, & corporis à proprijs vtilitatibus ad cõmunes. Patet autem bonum præponderatum onere essentialiter sibi coniuncto vendibile nequaquam esse. Quare argumentum decipit, quia considerat bonum secundum se absque malo sibi essentialiter connexo.

Confirmatio argumenti ab experientia refellitur duplici alia experientia contraria. Prima est omnes vbique communitates, quatenus non regunt se per seipsas, superaddere officijs iurisdictionē habentibus stipendia congrua, & plerumque alia præ-

terea emolumenta. Quod non fieret si onus eorum officiorũ non præponderaret præeminentiæ & æstimationi dignitatis. Altera experientia est non solere ambiri hæc officia, ab ijs, qui nullum inde emolumentum sugere volunt, nec in officio quidquã quærunt præter ipsum officium, & curam boni communis coniunctam cum sola præeminentia.

Dicendum igitur est ambientes hæc officia vel adhærere emolumentis, quæ modo dicebatur illis superaddi, & possunt absolute ab ijsdem separari, suntque vendibilia modo dicto; vel quærere eorumdem officiorum abusum, & impunitatem pro peccatis in posterum committendis, quæ patet, esse inuendibilia, cum sint intrinsecè nociua habenti; vel denique affici erga dignitatem & præeminentiam affectu speciali vltra communem & iustam æstimabilitatẽ rei apud prudentes æstimatores; quæ circumstantia nihil facit pro vendibilitate, vt obseruatũ est in quæstione præcedenti. Nocet hac in parte apud incautos facili fidei veræ sententiæ, quod quæ nunquam, aut vix vnquam separantur, facile apprehenduntur vt inseparabilia ex se, atque identificata; & quod affectus simpliciter irrationales, ac vitiosi facile nonnunquam adscribuntur naturis rerum.

Ad 5. Fieri potest, vt respublica abundet multis ciuibus habentibus de suo, absque malis artibus pecunias sufficientes ad pretium constitutum officiorum. Et siquidem cõtigerit in ijsdem simul adesse pecunias ad soluendum, & dignitatem ad satisfaciendum obligationi officij, cessabit in eius venditione quoad emolumenta vtrumque inconueniens propositum. Neque tũc per ta-

lem.

lem venditionen docebit Respublica, seu Princeps conquisitionem pecuniæ per malas artes, & contemptũ virtuti., & sapientiæ. Quia soluet solum pro excessu stipendij, quē nulli debet Princeps absolutè, nec pretiũ electionis exigetur, nisi cæteris paribus,& attenta simul dignitate,ac idoneitate ad officium optimè administrandum ;, idque tam in prioribus, quã in cæteris omnibus promotionibus. Nec enim quilibet venditionis modus approbatur indiscriminatim, sed tantum dicitur non repugnare ex se,vt vendantur iustè emolumenta excedentia stipendium iustum Quod fieri procul dubio potest præcisis omnibus incommodis pugnantibus cõtra bonum commune accipiendo pretium ab ijs solum, de quibus sperari possit satisfacturos omnino esse officio, nec eius licentia, ac potestate abusuros esse vlla ex parte. Qua præcautione adhibita, nullum aut exemplum, aut incitamentum datum erit quærendi pecunias per malas artes, aut fidendi solis pecunijs,

Ad 6. certum in primis est, vt hæc officia secundum se debeantur ex natura rei dignioribus, de quo in quæstione sequenti; non tamen sic ea illis deberi, vt coniuncta cum emolumentis excedentibus stipendium iustum. Fieri deinde potest,vt adsint plures cæteris omnibus digniores, & inter se æquales, quorum proinde nulli debeatur electio ipsius determinatè præ alio æquali. Et tunc licet ex lege iam stabilita debeantur alicui ex dignioribus simul cum officio eà omnia emolumenta; quia tamen ea lex statuta non est directè in fauorem eligendi, seu vagè, seu determinatè, sed pro bono communi, vt statui multiplici ex causa po-

teſt, nulla fiet iniuſtitia electo, ſi pretium ab eo exigatur pro electione ipſius potius, quam alterius ad emolumenta vltra iuſtū ſtipendium. Ergo abſque læſione iuſtitiæ fieri abſolutè poteſt vēditio qualis ſuperius approbata eſt. Adde duplicem eſſe iniuſtitiam, quæ conſiderari poteſt in electione ad talia officia altera conſiſtens in electione minus digni, aut indigni, ſiue ſimul intercedat, ſiue non intercedat venditio, atque de huiuſmodi iniuſtitia non agitur in præſenti, ſed agitur in quęſtione ſequenti; altera iniuſtitia conſiſtit formaliter in venditione ſiue eligatur dignior, ſeu minus dignus, ſeu indignus; atque de hac venditione dicitur eſſe iniquā intrinſecè quoad officia ſecundum ſe, & non eſſe ita iniquam quoad emolumenta pecuniaria cuiuſcūque modi ſit de reliquo electio. Neque tangit hoc punctum obiectio; ſed neque illud tangit quod dicitur de Iudice vendente ſentētiam iniuſtam; quia ſolum vendit aliquid pecuniarium, ſeu quod ad pecuniam reducitur ratione periculi quod ſubit, vel alijs eiuſmodi de cauſis, de quibus dicetur in loco. Nulla igitur eſt paritas quoad venditionem officiorum ſecundū ſe; quoad alia vero quæ illis adiacent iam conceſſum eſt totum.

Ad 7. Non omne quod poteſt eſſe materia beneficij obligantis ad gratitudinem, poteſt eſſe materia emptionis, & venditionis, vt apparet manifeſtè in exemplis paulò antè productis mutui & ſolutionis iuſti pretij anticipatæ aut dilatæ; necnon in collatione gratuita rerum ſpiritualium. Ratio eſt, quia poſſunt leges tam naturæ quam humanæ relinquere diſtributori ſeu largitori immediato rerum & munerum liberū

affe-

affectum beneficum specialem erga quem volet, quin relinquant vllam libertatẽ circa quantitatem, aut qualitatem, & æstimabilitatem eius, quod distribuendum est. Sunt enim res diuersæ quantitas affectus, & quantitas pecuniæ; suntque proinde capaces diuersarum, atque oppositarum inter se dispositionum. Existente autem ea legum dispositione tametsi impẽdatur maior affectus beneficus erga vnum, quam erga alium, non ampliabitur propria libertas vltra terminos legitimos, ideoque nihil fiet contra iustitiam. Ampliabitur vero libertas, & fiet cõtra iustitiam, si auferatur atque distributori reseruetur pars quantitatis pecuniariæ determinatæ per leges, aut per voluntatem domini habentis vim legis. Retinebitur enim à distributore res non sua, intendeturque vt fiat sua ipsius titulo illegitimo; Nempe in compensationem affectus specialis secundum se præcisè considerati, qui vt sic vendibilis minime est, cũ sit diuersi generis, & non reducibilis ad æqualitatem comparatione pecuniæ Affectus enim, cum solus secundum se est liber per legem, solo affectu compensatur ad æqualitatem.

Patet autem non solum præeminentiam officij deberi integram, & liberam à compensatione pecuniaria ex sua natura, & secundum leges, vt apparet ex dictis, verum etiam stipendium iustum officij esse quantitatem legibus determinatam in compensationem laboris exacti ratione eiusdem officij, easque leges esse latas in fauorem exhibentis de facto talem laborem. Ergo distributor officiorum nihil potest ex ea quantitate pro se detrahere ob specialitatem affectus benefici, & electionem huius

præ

præ alio sibi liberam per leges secundum se præcisè: sic enim fraudarentur officiales, parte stipendij iusti, hac præcise de causa, quia ipsi potius quam alij obligantur ad laborandum. Quod vltra rationem datam est contra Apostolum vehementer exclamantem, tametsi ageret de labore officij spiritualis 1. Corinth. 9. 7. *Quis militat stipendijs suis vnquam?* cum ijs quæ sequũtur.

Iam opinio illa Dianæ & paucorũ aliorum, quæ adducitur in confirmationem, est minus probabilis, quam id in cuius confirmationem adducitur, imo re maturius cõsiderata videtur prorsus improbabilis. Quia qui sic paciscitur electionem vnius puellæ dotandæ præ alia non dat quantum tenetur dare, retinetque sibi titulo illegitimo, quod non est suum, & permissionem sibi factam solum quoad affectum, & electionem personæ, atque bene merentiã respectu eiusdem ampliat ad quantitatem rei, circa quã nulla sibi facta est permissio, nec fieri potuit quin per iubentem cõtradiceretur suæ ipsius intentioni. Iuberet enim vt darentur centum ex. g. simulque permitteret vt non darentur centum sed nonaginta tantũ aut octuaginta, vtque ea diminutio fieret propter solam dationem, quæ essentialiter est coniuncta cum determinatione alicuius personæ. Iniquum autem manifestè est, vt qui tenetur dare centum alicui personæ ab ipso determinandæ, aut si libuerit committendæ sorti, det minus quam centum, id est minus quã tenetur dare, præcisè quia dat; id est præcisè quia determinat, & exequitur determinationem sibi permissam. Dictum autem est hoc esse minus probabile, seu potius esse manifestius falsum quã quod confirmandum erat, quia in electione ad stipen-

ſtipendium iuſtū officij adeſt aliquid ſpecialiter æſtimabile vltra æſtimationem ſtipendij, nempe dignitas, & præeminentia ipſius officij, & prærogatiua honoraria inde reſultans in ſtipendium. At in electione ad dotem tota æſtimatio eſt penes quātitatem pecuniæ, & affectum ac libertatem quibus datur.

QVÆSTIO XLV.

Vtrum ex læſione iuſtitiæ diſtributiuæ oriatur obligatio reſtituendi?

VIDETVR nō oriri 1. Quia electo minus digno nulla neceſſario interuenit iniuſtitia aduerſus digniorem, nullaque proinde neceſſario reſultat obligatio reſtituendi. Poteſt nimirum cōmunitas cedere iuri quod ſibi conuenit ex natura rei ad electionem digniſſimi. Ergo fieri abſolutè poteſt: vt abſque vlla iniuſtitia eligatur minus dignus prætermiſſo digniori: Quia vero communitas transfert omnem ſuam poteſtatem abſque vlla limitatione in ſupremum Principem, certè ſi fieri poteſt: vt ita transferat, poterit etiam ſupremus Princeps eidem iuri cedere, atque ideo nūquam peccabit contra iuſtitiam diſtributiuam electione minus digni. Ipſa etenim voluntas eligendi minus dignum continet in ſe eam ceſſionem iuris. Quia nemo vult fieri à ſe cum peccato, quod in poteſtate habet, vt fiat ſine peccato.

Ecco-

2. Oeconomus eligens operarios in vineam ex iussu domini non tenetur ad eligẽdos optimos, neque in hoc, aut in rebus alijs procurandis peccat contra iustitiam, si non adhibeat summam diligentiam; sed sufficiet, si ea sit mediocris, & qualem quisque communiter adhibere solet in rebus suis, atque ideo sufficiet si operarij sint mediocres, & simpliciter boni. Deindè tametsi eligat minus bonos, aut etiam absolute inidoneos, non propterea committet peccatũ iniustitiæ aduersus bonos, aut optimos, nec tenebitur aliquid illis restituere. Accedit neminẽ teneri in conscientia ad eligendum sibi statum omnium securissimum à periculis errorum, peruersionis morum, aliorumque malorum. Ergo neque Princeps, qui comparatur cum communitatẽ tanquam eius œconomus, nec maiorem habet obligationem prouidendi communitati, quam ipse sibi, tenebitur ad eligendos optimos officiales, aut quod eodem recidit ad prouidendum summa cum diligentia bono communi, & præcautioni periculorũ eius; nec prætermissis melioribus peccabit aduersus ipsos contra iustitiam, atque ideo nec incidet in obligationẽ aliquid eis restituendi.

3. Officia publica semel collata sunt inauferribilia saltem pleraque præterquam in pœnam delicti. Restitutio autem fieri nõ potest quin officium iniustè collatum vni, & iniustè negatum alteri auferatur à priori, & cõferatur secundo. Nulla igitur est obligatio restituendi ob iniustitiam contra iustitiam distributiuam.

4. Restitutio est actus solius iustitiæ cõmutatiuæ vt docent D. Thomas alijque communiter & suppositum fuit supra vt certum

tûm in tota doctrina de restitutione Si autem oriretur obligatio restituẽdi ex læsione iustitiæ distributiuæ pertineret etiam ad ipsam actus restituendi; quia ad eandem iustitiam pertinet non inferre damnum iniustum, & illatum reparare.

R. Ex doctrina quæstionis præcedentis inferuntur aliqua clarè circa læsionem iustitiæ distributiuæ & obligationem restituendi inde resultantem. Primum est conferentem officium, quod habet annexam iurisdictionem, non illi, cui ex iustitia conferre tenetur, sed alteri, non propterea teneri ad faciendam compensationem aliquã pecuniariam omisso prçterquam quoad emolumenta pecuniaria excedentia stipendium iustum, si quæ eiusmodi deuincta fuerint officio ex lege seu positiua seu permissiua. Patet hoc, quia de reliquo officiũ est incompensabile pecunia, vt dictum est, & is, cui negatur, eo ipso liberatur ab onere maiori, quã sit dignitas, & præeminentia officij, & çquali respectu iusti stipendij, ac proinde nihil prçterea superest, quod pecunia compensetur.

Alterum est vendentem tale officium maiori pretio, quam quod sit çquale emolumentis excedentibus iustum stipendium teneri per se ad restituendum eum excessũ pretij. Quia eo ipso vel vendetur dignitas, & præeminentia officij, aut iustum eiusdem stipendium, quorum alterum essentialiter, alterum saltem per se est inuendibile, vt dictum est; vel certe computabitur vt pars valoris conueniẽtis merci affectus specialis emptoris excedens communem, & prudentem eiusdem mercis çstimationẽ. Quod itidem ostensum est esse iniquum. Tenentur autem restituere, qui accipit pretium

rei

rei inuendibilis, qua parte inuendibilis est: nec nō qui vtcumque accipit pretiū maius iusto, quatenus maius estit, vt reparetur æqualitas, quæ læsa fuerat.

Tertium est vendentem officium, quod reddit vtilitates iusto stipendio maiores, si vendat, cui non debebat conferri officiū, eo pretermisso, cui debebatur ex iustitia, teneri ad duplicem restitutionem, si quidem legibus constitutum fuerit, vbi cōmittitur delictum, ne tales vtilitates vendantur. Debet enim imprimis restituere totū pretium emptori, siue excedat, siue non excedat emolumenta iusto stipendio maiora. Quia supposita eiusmodi lege debentur gratis eiusmodi emolumenta habenti officiū ex suppositione quod illud habeat. Eadem deinde, quatenus excedunt iustum stipendium, debentur simpliciter illi, cui officium debebatur ex iustitia. Vtrique ergo debet fieri restitutio, ementi quidem totius pretij soluti; prętermisso vero contrà iustitiam, quantum valent emolumenta iusto stipendio maiora.

Nec vacat dicere leges de conferendis his officijs, & emolumentis absque pretio, nullibi ferri directe in fauorem habentium, vel debentium habere talia officia, sed intuitu boni communis. Contrà enim est; quia eiusmodi emolumenta habent rationē præmij tùm respectu eorum qui se præ alijs laudabiliter disponunt per probitatis, & sapientiæ studium, vt Rempublicam vtiliter gubernent: tum respectu eorum qui actu ea officia exercent, & inuigilant bono cōmuni impediendo se per attētionem eius, quominus totis viribus incumbant sollicitudini suarum personalium vtilitatum, & cōmodorum, quæ pungunt magis animum ex

ex natura rei, quam quæ sunt communia. Est autem de ratione præmij, vt proponatur directè, & immediate in vtilitatem eorum, qui comparant sibi dignitatem respectu ipsius. Fit igitur iniuria detractis, aut imminutis eiusmodi emolumentis tam habenti officium, quam illi, cui ex iustitia debebatur.

Superest videndum quibus determinatè debeantur talia officia: an scilicet determinatè debeantur dignioribus: an vero tuta conscientia conferri possint simpliciter dignis, tametsi minus digni sint quam alij? Communis auctorum longè plurium sentẽtia est deberi dignioribus, & peccari contra iustitiam distributiuam, si conferantur non solum indignis, verum etiam minus dignis. Alij nihilominus nonnulli docent nullum esse peccatum ex natura rei, seu secluso pacto, iuramento, aut lege speciali, si conferantur minus dignis.

Alij distingunt inter officia, quæ vnius arbitrio ac voluntate, & quæ plurium suffragijs conferenda sunt: alij inter ea, quæ etiam extraneo cõferri possunt, & ea quæ alicui ex eadem communitate conferri debent: alij inter temporalia, & spiritualia, seu ecclesiastica: & rursus alij inter beneficia Ecclesiastica simplicia: & curam animarum habentia: Nec non inter ea quæ sũt minoris, & quæ sunt maioris momenti: alij inter ea quæ non proponuntur vt præmia pluribus cõcurrentibus ad examen idoneitatis; & quæ sic proponuntur: alij denique distingunt inter electiones quas facit immediate communitas ipsa nulli subordinata, aut supremus Princeps; & quas faciunt ministri inferiores ac subordinati. Istarum porro distinctionum auctores suffra-

fragantur vbique quoad priorem partem distinctionum simpliciter digno, tametsi minus dignus sit; quoad posteriorē vero partem dignioribus determinatè, vt videre licet apud Sanchez lib. 2. consil cap. 1. dub. 2. & 36. & apud Cardinalem de Lugo disp. 34. & 35. sect. vtrobique 2.

Dicendum est veram absolute esse vniformem respectu omnium officiorū ac beneficiorum; nec non omnium eligentium, ac eligendorum, eandemque communem sententiam D. Thomæ docentis vniuersaliter quęst 63. art. 1. & 2. & quęst. 186. art. 3. deberi ex iustitia distributiua electionem melioris ac magis digni; nec prætermitti ipsum posse, propter indignum, aut etiam minus dignum absque peccato iniustitiæ, ac proinde lethali ex genere suo. Licet enim in illis articulis 2. & 3. agat specialiter de dispensatione spiritualium, & de electione ad Episcopatum, vbique tamen vtitur eadem ratione vniuersali, qua vsus fuerat dicto art. 1. vbi agit de acceptione personarum in genere.

Verum antequā proponatur ratio D. Thomæ notandum est videri Cardinalem de Lugo negare suppositum controuersiæ præsentis quoad discrimen dignioris, & minus digni. Vel enim ait eligendus ad aliquod officium habet peritiam v. g. talem, vt nullum sit periculum errorum in eius exercitio; vel non habet peritiam talem. Si non habet, iam non est dignus tali officio. Si habet, iam maior peritia est superuacanea respectu talis officij, nec maiorem ad illud dignitatem constituet, sed solum dignitatē simpliciter ad maius officiū. Non ergo subsistit discrimen digni simpliciter, & magis digni respectu eiusdem officij aut beneficij.

Con-

Contra tamen est, quia etiam peritissimos contigit errare aliquando, ac proindè omnes sunt expositi alicui errandi periculo. Hoc autem periculum patet esse minus in habente maiorem peritiam; facilius enim hic adhibet aduertentiam sufficientem, vt vitetur error; & quæ sunt faciliora frequẽtius proueniunt ex natura rei. Idem dicitur de maiori, & minori probitate, & de proposito in ea contento de satisfaciendo obligationi officij, deque alijs pertinentibus ad potestatem executiuam, & ad certitudinem eiusdem satisfactionis Quo enim quisque eminebit magis quoad hæc, eo erit minus periculum errandi & nocendi communitati, eritque similiter maior spes promouendi boni cõmunis, quatenus hoc pendet ab vno quoque officio. Quapropter ad fundamentum Cardinalis negantis suppositum auctorum commune. Respondetur negando speciale ipsius suppositum; nempe peritiam, aut vnum quodlibet aliud ex requisitis ad vnum quodque officium posse esse talia, vt totaliter absit omne periculum errandi, aut adsit omnis possibilis spes promotionis boni communis. Neutrum enim consistit in indiuisibili. Manifestum igitur est dignitatem ad idem officium posse esse maiorem & minorem citra terminos dignitatis simpliciter.

Notandum rursus est dignitatem eligendi posse considerari vel comparatione officij secundum se præcisè, vel comparatione eiusdem vt coniuncti cum bono vniuersali cõmunitatis quatenus pendenti ex alijs capitibus. Fieri nimirum potest, vt aliquis sit maximè idoneus ad aliquod officium secundum se; & nihilominus non expediat vt ad illud eligatur; sed prætermittatur honestè

nestè præ alio minus idoneo sub eadem cō-
sideratione. Fieri namque potest, vt qui in eum modum est maximè idoneus, minimèque omnium expositus errorum periculo in administratione officij non possit ad illud promoueri absque maiori aliunde iactura boni cōmunis. Quia videlicet idem ipse exercetur vel in bello vel in palæstra litteraria, vel in procuratione thesauri cū vtilitate longe maiori cōmunitatis vel quia habet æmulos, qui irritati eius promotione insurgent aduersus Principem, & communitatem, & poterunt vtrique insuperabiliter nocere magis, quam possit prodesse tale officium optimè administratum: vel quia exigit pro acceptando officio conditiones, quæ præstari non possunt absque notabili subditorum grauamine, vel certè non exigentur ab ijsdem, absque tumultu, & seditione: vel quia alio demum quouis modo emerget maius communitatis nocumentū. Cum igitur iuri, quod conuenit vnicuilibet ciui seorsim sumpto præualeat ius, quod cōuenit eidem vt coniuncto cum ceteris, seu quod conuenit communitati; manifestum est in tali rerum dispositione præferendum esse minus dignum digniori respectu officij secundum se præcisè considerati.

Quæstio igitur procedit de digniori cæteris paribus, omnibusque consideratis, & de vtiliori simpliciter respectu communitatis. In hoc itaque sensu probatur conclusio: Acceptio personarum est illicita ex sua natura, & opponitur iustitiæ distributiuæ. Sed prælatio minus digni respectu dignioris in distributione officiorum, continet in se acceptionem personarum. Ergo prælatio minus digni respectu dignioris in distributione officiorum est illicita ex sua natu-

natura, & opponitur iustitiæ distributiuæ. Maior est satis nota ex multis sacræ paginæ testimonijs. Probaturque specialiter ex epist. Cathol. Iacobi cap. 2. ad ea vsque verba versu 9. *Si autem personas accipitis peccatum operamini redarguti à lege quasi transgressores*, idque ipsum ostendetur mox, & confirmabitur magis ratione efficaci. Probatur minor, quia acceptio personarum consistit, vt exponit D. Thomas, tum locis citatis, tum maxime ad 2. Romanorum lect. 2. circa illud; *non enim est acceptio personarum apud Deum*. Consistit, inquam, in acceptione non causæ pro causa & in substitutione conditionis in persona repertæ nihil conferentis ad causam, ob quam ex voluntate legis latoris eligitur ad aliquid, loco conditionis conferentis ad eam ipsã causam & finem. Istiusmodi autem acceptionem & substitutionem necessariò facit quicumque eligit non solum indignum, verum etiam minus dignum prætermisso digniori. Dignior enim ex eo dignior est, quia habet conditionẽ specialem conferentem ad causam & finẽ, minus vero dignus vel indignus, ideo talis est, quia caret tali conditione. Is autem qui caret conditione conferente ad causam & finem, non potest præferri habenti talem conditionem, nisi propter aliquid aliud minime conferẽs ad causam v. g. quia dedit munera; quia est assentator, cõsanguineus vel amicus, vel quid simile impertinenter se habens ad causam, & finem, propter quem instituta sunt officia, & statuta lex de illis distribuendis. Necesse igitur est, vt qui præfert digniori minus dignum, vel indignum, eo ipso sit acceptor personarum.

Confirmatur & explicatur hoc fundamentum.

tum. Acceptio personæ præferens digniori minus dignum, eo ipso præfert bonum priuatum bono communi, idque in ea re, in qua cōmunitas habet ius prælationis respectu personæ priuatæ. Vnde consequens præterea est vt præferat personam particularem minus dignam personæ particulari digniori, idque in ea re, in qua is habet similiter ius prælationis respectu illius. Et quidem quod posthabeatur bonum commune, bono priuato constat clarè, quia plurimum interest communitatis habere in officijs digniores ob plurima emolumēta quæ inde ipsi proueniunt, & minus errorum periculum, quod nuper notabatur maiori dignitati inesse. Quare quod minus dignus præeligatur solum fieri potest præualenti amore boni priuati.

Quod autem læsio ista, ac vilipendium boni communitatis sint contra ius, quod ipsa habet respectu officiorum, ex eo constat, quia hæc officia instituta sunt primo ac principaliter in bonum communitatis, vt liquet ex expositione iuris iurisdictionis data, & stabilita quæst. 3. Ergo lex de electionibus & modo illas faciēdi lata est primo ac principaliter in fauorem communitatis. Ergo quatenus quis in electionibus, vt faueat personæ priuatæ, postponit bonū commune, operatur contra legem fauentē communitati, & grauantem in eius fauorē, personas priuatas, quatenus earum bonum opponitur bono cōmunitatis, atque adeo operatur contra ius communitatis. Quia vero fauor iste, respectu communitatis est inseparabilis a fauore dignioris, cum ex huius electione, ac prælatione bonum illius dependeat, patet eandem legem secundario, & minus principaliter fauere indiuisim

digni-

digniori aduersus minus dignũ, ac proinde prælationem huius esse contrariam iuri illius. Turpe autem, ac inhonestum est, vt bonum commune, quod præstantius, ac diuinius est, posthabeatur bono particulari, nec non vt bonũ particulare dignioris posthabeatur bono particulari minus digni, eaque turpitudo, ac inhonestas contrahit rationem iniustitiæ, siquidem vtraque posthabitio fuerit cõtra legem fauentem posthabitis, & grauantem eos qui præhabentur, nec non præhabentes ipsos. Manifestum igitur est acceptionem personarum, modo quo à nobis explicata fuit esse iniustam. vnde vlterius manifestum est quibus determinatè personis & quatenus faciendæ sint restitutiones superius præscriptæ ad reparanda damna illata per distributionem iniustam.

Ad 1. Communitas habet ius ne impediatur per alios ab electione dignioris coniunctum cum obligatione, ne ipsa eandé dignioris electionem impediat, aliamue faciat incompossibilem cum ea, ad eũ modum, quo vnusquisque habet ius, ne lædatur ab alijs in honore, & vita, coniunctum cum obligatione habendi curam de bono nomine, & conseruandi vitam. Cuius ratio est; quia si. ut honor iuxta notata in quæst. 16. & 29. iuuat honestatem & operationes virtuosas, eoque amisso constituuntur homines per se in magno periculo peruersionis morum; atque vita datur vt instrumentum necessarium ad beatitudinem quærendam ac promouendam, eaque amissa non potest amplius quæri, aut promoueri beatitudo, tenemur vero omnes ad retinendam honestatem morum, & ad vitandum periculum peruersionis eorum, & ad

S feli-

felicitatem quærendam ac promouendam, & consequenter ad ea quæ sunt media necessat a respectu istorum finium: ita etiam offi ia habentia annexam iurisdictionem, sunt instituta, vt abigant vitia, virtutem promoueant, & vnumquemque intra limites honestatis contineant, vtque omnes ad vltimam felicitatem recto tramite dirigantur. Vnde fit vt his officijs male, aut non vsque adeo bene collatis oriatur periculum peruersitatis morum, maius vel minus; & similiter plus minusue decrescat, spes augendæ honestatis in communitate, pro vt contigerit maiorem vel minorem esse indignitatem, aut decrementum dignitatis in eo, qui eligitur ad officium.

Eadem igitur ratione qua nec l citè quis cedere potest nec validè iuri honoris, aut vitæ propter motiua minoris momēti, nec etiam communitas licitè, aut validè cedere potest iuri eligendi d gniorem, vt indulgeatur affectui erga indignum, aut minus dignum. Quia videlicet potestas validè cedendi huiusmodi iuribus esset potestas subtrahendi se per suam præcise voluntatē ab obligatione sibi imposita per vo untatē superioris, seque committendi licitè periculo absolute vitabili peruersionis morum, atque impediendi spem promotionis eorūdem & directionis optimæ ad vltimum finem. Quam potestatem cuiquam conuenire plane est impossibile.

Quod si huiusmodi potestas cessionis iuris cōmunitati nequaquam conuenit, certum est eandem conuenire Principi etiam supremo minimè posse; qui videlicet omnem suam potestatem habet acceptam a communitate, & non potest aliquid accipi, ex non habente illud. Verum etsi commu-

nitas

nitas eam potestatem haberet, non propterea sequeretur eamdē inesse supremo Principi. Quia nemo censetur consentire potestati sibi nocendi, dum expreſsè eam potestatem non concedit. Nullibi autē gentium vlla communitas expreſsè concessit Principi suo facultatē prouidendi sibi officiales minus bonos, seque mittendi in periculum malorum, & defectum spei bonorum, quæ ex illis redundant. Qua præterea ratione concluditur, nec etiam officiales publicos habentes absque iurisdictione curam rei pecuniariæ, & rerum pecuniæ æstimabilium posse eligi de facto nisi optimos. Quia licet communitas absolutè possit renunciare iuri pecuniarum, ac proinde iuri etiam electionis personarum, per quas optimè res pecuniaria administretur, conseruetur, ac augeatur; de facto tamen nulla communitas facit talem iuris sui cessionem, ideoque nec Princeps facere eam potest in ijs, quæ siue mediatè, siue immediatè pertinent ad communitatem.

Imo nec ipsa communitas eiusmodi cessionem facere posset præcisè per maiorem sui partem; sed necesse esset, vt omnes, & singuli consentirent. Quia licet vnusquisque possit disponere de suis pecunijs, vt libet, Nemo tamen nocere potest alteri in bonis suis absque ipsius consensu. Nocet autem omnibus & singulis nō solum quoad cumulum bonorum communium, sed etiā quoad peculium cuiusque proprium electio officialis communis minus boni. Cum ergo sit moraliter impossibile, vt omnes & singuli alicuius communitatis velint consentire periculo imminutionis bonorum, quæ absolutè volunt retinere, aut imminutionis spei, vt eadem promoueantur, idque

de facto nunquam contingat; sit plane dari de facto obligationem eligendi digniores non solum ad officia habentia annexam iurisdictionem, sed etiam cętera omnia, eaque obligatio erit maior vel minor; grauis vel leuis pro vt contigerit mala imminentia ex electione minus digni, aut indigni esse maiora, vel minora, grauia aut leuia. Quod similiter tenet in officijs habentibus iurisdictionē, nisi quod in ijs vix fieri potest excessum dignioris esse certè discernibilem, simulque esse tam exiguum, vt obligatio eū eligendi sit leuis. Quia iactura proueniens ex electione minus digni serpit per totam communitatem, & nocumentum, quod respectu singulorum est exiguum, multiplicatum per omnes, & singulos cōmunitatis euadit facile magnum.

Ad 2. Magnum in primis, & clarum discrimen est inter obligationem Principis ad eligendum optimum, postquam is innotuit; & obligationem adhibendi summam diligētiam pro inueniendo optimo. Prima obligatio est quæ cum plerisque auctoribus asserta est supra. Secunda reijcitur ab omnibus & merito; quia est difficillima, cui satisfiat, & excedit humanæ fragilitatis, & conatus ordinarij modum, ex quo patet ratio discriminis inter vtramque obligationem. Præterea non foret è re communitatis, vt imponeretur obligatio adhibendi sūmam eam diligentiā inquirendi. Quia inde fieret vt viri timoratæ maximè consciētiæ, atque prudentissimi, id est quales plerumque sunt optimi ad regimen, refugerent ab eo vehementer, ne sibi imponerent onus vsque adeo intolerabile. Vnde res publica sæpè illis priuaretur, & cogeretur eos assumere, qui nō essent satisfacturi eidem obligationi.

Dein-

Deinde œconomus, & eius electiones diriguntur principaliter in rem pecuniariã. Princeps vero & electiones ad officia iurisdictionalia diriguntur principaliter ad tuẽdam honestatem morum, & tranquillitatẽ, ac pacem socialem ciuium. Quæ differentia quanti momenti sit ad rem præsentem, apparet satis ex responsione ad obiectionẽ præcedentem. Considerandum præterea est quibus conditionibus paciscatur Paterfamilias cum œconomo suo. Pacisci namque potest, vt volet, cum agatur de sola sua re pecuniaria. Pendet verò ab eo pacto maior vel minor obligatio œconomi, nõ solum ex fidelitate, verum etiam ex iustitia. Communitas autem nullis cũ Principe conditionibus pacisci potest liberantibus ipsũ ab obligatione eligendi digniores; cum ipsa etiam cõmunitas subsit huic obligationi.

Iam quod ad libertatem cuiusque attinet eligendi sibi statum vitæ magis minusue securum, vt libuerit, multiplex potest assignari ratio discriminis. Præcipua tamen est, quia si omnes tenerentur in conscientia ad eligendum statum vitæ securissimum omnium, eo ipso, omnes ante electionem status specialis constituti fuissent in statu periculosissimo salutis, quatenus electio status securissimi inter omnes est maxime ardua ac difficilis ex sua natura. Quia continet multa sensibus, & naturalibus hominum inclinationibus valdè repugnantia. Ille autem status est valde periculosus, qui constituit hominem in necessitate vel peccãdi vel superandi maximam aliquam difficultatem, nec suppeditat vnde ea difficultas minuatur, & reddatur facile superabilis; vti constat non suppeditari ante ipsam status securissimi electionem. At electio digniorum ad

officia non eo modo est difficilis ex sua natura. Fit enim recentis ab eligente omnibus suis bonis, & aucta præterea spe conseruationis & promotionis eorum.

Adde quod eligendo statum vitæ minus securum, sibi soli quisque nocet. At eligendo minus dignum ad officiũ nocet electio æqualiter toti communitati. Patet autem non tantumdem cuique licere circa bona & mala sibi cum alijs communia: Atque circa peculiaria. Adde rursus indigere genus humanum hominibus in multiplici, ac dispari vitæ statu constitutis; cum minimè indigeat electione vllius minus digni ad officium; atque ideo non esse eandem rationem relinquendi liberam magis vel minus digni electionem atque est relinquendi liberam status magis, aut minus securi electionem.

Ob hæc igitur omnia transmisso antecedenti negatur consequentia quoad intentũ principale. Nam quoad iniustitiam aduersus prætermissos alia est, eaque nimis clara ratio differentiæ inter digniores ad officia, & operarios meliores. Quia officium operarij non est æstimabile nisi ratione stipẽdij, quod patet nullatenus deberi ex iustitia nisi ob laborem de facto impensum ex condicto. Quapropter eius electio fit in gratiam eligentis principalis, isque potest absque cuiusquam iniuria nullum conducere operarium. At officium habens annexã iurisdictionẽ est æstimabile ratione sui propter præeminentiam, quam dat respectu cæterorum; potestque proinde deberi secundum se ex iustitia. Quia vero qui prudenter de re aliqua disponit, vti par est præsumere de communitate, intendit omnem rei vtilitatem, fit plane legem de distribuendis officijs

ficijs iurisdictionalibus latam esse non solum in gratiam communitatis eligentis per se vel per alium nomine ipsius; sed etiam in gratiam digniorum. In quorum nimirum electione reperitur vniuersalis vtilitas cōmunitatis coniuncta cum vtilitate priuata eorundem. Quare electio ad talia officia prætermitti omnino non potest absque iniustitia aduersus ipsos etiam eligendos; hoc est quin peccetur aduersus legem ipsis etiam fauentem directe. Quid quod hoc pacto stabilitur magis bonum cōmunitatis minime, vt dictum est, renunciabile ab eadē dato etiam priuatis personis iure, quod ipsius communitatis indiuisim interest, vt illis insit, eiusque ratione insistant digniores officijs tanquam rei suæ. Est ergo quoad hāc partem specialiter manifesta ratio differentiæ.

Ad 3. Dictum est semel atque iterū propter iniustam distributionem officiorum iurisdictionalium secundum se præcisè nullā cuiquam personæ particulari deberi compensationem, aut restitutionem. Emolumēta autem pecuniaria compensari possunt, & restitui etiamsi indignis non auferantur officia. Vnde transmissa maiori negatur minor.

Ad 4. Hoc solum pertinet formaliter ad iustitiam distributiuam, vt conferat officia dignioribus, & ex formali iniustitia quoad hoc secundum se præcisè consideratum nulla suboritur obligatio restituendi vt dictum est. Quod autem nullum accipiatur pretium pro ipso officio secundum se, aut pro iusto eius stipendio, hoc adiacet extrinsecè iustitiæ distributiuæ, & operi eiusdem proprio, pertinet verò directè ad solam iustitiam cōmutatiuam, & consequen-

ter ad ipſam ſolam pertinet, omnis reſti-tutio, cuius obligatio ſuboriri poteſt ex iniuſtitia commiſſa in opere diſtribuendi.

QVÆSTIO XLVI.

Vtrum vſura ſit intrinſecè iniuſta?



IDETVR non eſſe intrinſecè iniuſta. 1 Quia quod eſt conforme exẽplo & præcepto Dei, aut eſt ſoli eius conſilio diſconfo1me, nõ eſt intrinſecè malum. Lucrum autem vſurarium eſt cõforme exemplo & præcepto Dei. Certè non eſt diſconforme niſi ſoli conſilio diuino. De exemplo cõſtat ex Lucæ 19. vbi Chriſtus ait de ſeipſo; *ego veniens cũ vſuris exegiſſem illam*: nempe pecuniam mutuatam. De præcepto vero conſtat ex 23. Deuter. vbi Deus præcipit: *non fænerabis fratri tuo ad vſuram, pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem ſed alieno*. Eodem pertinet quod lucrum vſurariũ promittitur à Deo in præmium obſeruantiæ legis Deuter. 28. *Fænerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fænus accipies*. Denique de ſolo conſilio aduerſus vſuram conſtat ex Lucæ 6. vbi inter alia conſilia ponitur: *date mutuum nihil inde ſperantes*. Ergo acceptio vſuræ pro mutuo non eſt intrinſecè iniuſta, imo nec eſt vllum peccatum.

2. Iuſtum eſt in re pecuniaria quod eſt conforme legibus humanis, vt pote validè diſponentibus in ea materia. Lege autẽ 1. & alijs Codice de vſur. permittuntur vſu-

ræ

ræ earumque modus præscribitur, cum magna moderatione, & idonea personarũ aliarumque circumstantiarum distinctione. Ergo lucrum vsurarium illis omnibus obseruatis euadet iustum.

3. Quod quis facere non tenetur, & si faciat obligat ad gratitudinem, potest facere pro pretio, præsertim si id sit aliquid temporale. Nam quod nullius est pretij, nullius est materia gratitudinis, & quod est temporale, simulque appretiabile eo ipso est commutabile pretio temporali. Manifestum autem est mutuum esse quid tẽporale, nec est magis obscurum illud accipi tanquam beneficium non contemnendũ à mutuatario, obligato proinde ad gratitudinem. Ergo mutuum est commutabile iusto pretio ex sua natura.

4. Pro vasis argenteis mutuo datis licet accipere pretium vltra sortem, de quo nemo dubitat. Ergo etiam licet illud accipere pro moneta mutuata. Patet consequentia, quia nihil referre videtur an argentum habeat talem formam vel aliam talem. Imo moneta mutuata est maioris longè vtilitatis. Ergo à fortiori mutuatio eius est pretio digna.

R. Operæ pretium iam est post iustitiam distributiuam aliqua etiam præcipua, ad exemplum cæterorum deducere circa iustitiam commutatiuam secundum se ex eadem illa doctrina de diuisione rerum eiusque conditionibus. Videntur porro inter alia materia maxime idonea, vsura & simonia, de quarum iniquitate apud omnes certa desideratur à plerisque ratio, cuius claritas sit æqualis illi certitudini. Igitur vsura aliquando accipitur pro vsu rei; aliquando pro vtilitate prouenìente ex vsu;

atque iuxta istam secundam acceptionem definitur in præsenti: *lucrum immediatè proueniens ex mutuo tanquam debitum ex iustitia*. Mutuum porro dicitur tanquā ex meo tuum, & communiter definitur: *Traditio rei in suo genere functionem recipientis, ut statim accipientis fiat; & postea tantundem eiusdem generis, ac qualitatis recipiatur*. Differt per translationem dominij à cōmodato, precario, & locato, in quibus dominium rei traditæ perseuerat apud dantem, ideoque eadem numero ipsi reddi debet, & si casu perierit, perit eidem. Per obligationem vero reddendi tantumdem eiusdem generis differt à permutatione, ac venditione, ratione cuius aliud genus rei vēdenti redditur; vt pro vino pecunia, aut triticum. Iam res *in suo genere functionem recipiens* ea dicitur, quæ alteri rei sui generis ita similis existit, vt alterutra alterius vice fungi, & loco alterius substitui iure possit in cōmutationibus, ac solutionibus. Qualia censentur, quæ in numero, pondere, aut mensura consistuuntur, vt pecunia numerata, aut argentum, vinum, oleum, & similia. Quod dicitur *eiusdem qualitatis*; perinde est, atque eiusdem bonitatis in se intrinsecè. Nihil enim refert an acciderit variatio extrinseca pretij.

Quod per eiusmodi contractum datur à mutuante, & accipitur à mutuatario dicitur sors. Quod vlterius accrescit mutuanti ex bonis mutuatarij dicitur lucrum. Quia vero mutuanti potest accrescere lucrum, tum ex liberalitate, aut gratitudine mutuatarij, tum ex conuentione, & obligatione, aut quasi obligatione iustitiæ, seu potius ex coactione mutuātis; atque ad vsuram non suffi.it lucrum ex liberalitate, aut

aut gratitudine, propterea in definitione vſuræ additur: *tamquam debitum ex iuſtitia.* Quia videlicet vſurarius adijcit mutuo pactum implicitum, vel explicitum de additamento præſtãdo à mutuatario vltra ſortem; & quidem de additamento, quod ſit pretio æſtimabile. Si enim ſolum exigat affectum beneuolum, aut amicabilẽ, & memoriam gratam propriaque gratitudinis officia, nihil præterea grauando, ſed totam compenſationis ſpem relinquendo ſub ſola gratitudinis obligatione, ac impulſu, nulla propterea vſura interueniet.

Adde nomine ſortis comprehendi, vltra nudam entitatem rei quæ mutuo datur, lucrum etiam ceſſans, & damnum emergẽs mutuanti ratione mutuationis. Morali etenim æſtimatione hæc quoque data cenſentur, qui mutuat; & vtramque præſtare tenetur mutuatarius, vt incolumis euadat mutuans, nec ex beneficio, quod exhibet iacturam patiatur abſque compenſatione ex parte eius in cuius gratiam illam patitur. Damnum autem emergens dicitur diminutio bonorum præexiſtentium reſultãs ex mutuo; lucrum vero ceſſans augmentũ iuſtum eorumdem impeditum itidem per mutuationem. Alij tamen nomine ſortis intelligunt ſolam entitatem rei, quæ phyſicè traditur; atque lucrum ceſſans, & damnũm emergens, ſeorſim exprimunt; quod & nos faciemus maioris claritatis gratia, tametſi hæc tria moraliter ſint vnum, ac idem.

Vſuram eſſe iniuſtam eſt certum ex fide, vt conſtat ex Concilio Viennenſi, & habetur Clement. vnica tit. de vſur. §. vlt. Eſt autem iniuſta iure in primis poſitiuo, tum diuino, vt liquet ex Pſ. 14. 5 Ezech 18. 8. & colligitur à multis Doctoribus ex Lucæ

S 6 6. 35.

6.35. tum etiam humano sæpe ac luculenter sancito in decreto causa 14. q 3. & 4. in Decretal. toto tit de vsur. & In 6. Decretal. nec non Clement. vnica eodem tit. Est itidem iniusta iure naturæ, vt demonstrat Philosophus 1. polit. cap. 7. versus medium, & clarius D. Thomas quæst. 78. art 1. & 2 ex Alensi 3 p. quæst. 36. memb. 4. art 1. & 2. quibus aliqui auctores moderni adiecere, seu potius substituere nonnullas alias rationes, quibus tamen prætermissis, vt minus efficacibus quod paulo post apparebit, soli incumbendum est expositioni & confirmationi demonstrationum Philosophi, & maximè D. Thomæ. Quæ sunt fundamentales pro omnibus quæstionibus, quæ disputantur de vsura dependenter à solo iure naturæ.

Obseruandum itaque est duo esse summa genera rerum temporaliū, ab alijs in alios aliqualiter transferribilium per contractū. Alterum est earum, quæ nihil interest per se loquendo an breui, an potius longo tempore habeantur. Huius generis sunt quæcumque vnico vsu consumuntur, vt vinum, triticum; aut distrahuntur, vt pecunia. Alterum genus est earum rerum, quæ interest magis per se loquendo, si longo tempore habeantur. Huius generis sunt quæ nec consumuntur nec distrahuntur vnico vsu, sed multiplici vsui vtiliter inseruiūt successiue vt ager, & domus, & vestis. Ratio huius discriminis est, quia quæ vnico vsu, aut consumuntur, aut distrahuntur, eo tantum temporis momento interest habere, quo ille eorum vsus est opportunus, ac vtilis; si quidem reliquo tempore nihil inde vtilitatis haberi potest. Sicut autem nihil absolutè interest habere, nulloque pretio æsti-

mabile est id, ex quo nihil absolutè vtilitatis haberi vnquã potest: ita habere aliquid pro eo tempore, pro quo nihil ex eo vtilitatis haberi potest, nihil interest, nulloque pretio æstimabile est præcisè quatenus habitum eo tempore. Quare præhabuisse rem eiusmodi tempore antecedenti ad opportunitatem vsus, solum potest interesse, & pretio æstimari, quatenus inde resultat spes, quod aderit præhabenti pro tempore opportuno vsus. Vnde consequens est, vt obligatio alterius, & quiduis aliud fundans spem, quoad hoc ipsum, æqualem sit non minus æstimabile, nec minoris interesse, quam rem eandem apud se physice præhabuisse toto tempore antecedenti, seu breui, seu vtcumque longo.

Non ita res habet in ijs quæ nec consumuntur, seu distrahuntur, ac alienantur vnico vsu Hæc enim, si longo tempore habeãtur, possunt plus prodesse, & maiorem adferre vtilitatem, per multiplicem sui vsum non toties perceptibilem breui, quam longo tempore, vt patet. Ergo habere longo tempore res non consumptibiles, nec distrahibiles vnico vsu interest magis estque pretio æstimabile non tantum indirectè ratione specialis opportunitatis futuræ tempore sequenti, sed etiam directe & per se. Vnde nõ est æquè æstimabile quiduis aliud fundans æqualem spem, quod aderunt tempore sequenti pro speciali aliqua opportunitate.

Cum igitur materia propria contractus mutui sint solæ res, quæ vnico vsu consumuntur, aut distrahuntur, vt supponit aperte D Thomas loco citato, alijque communiter; & mutuatarius obligetur ad eas reddendas, antequam elabatur tempus vtendi

opor-

oportunum respectu mutuantis; vel ad cō-pensandam vtilitatem vsus, si futurū prævideatur, vt tempus eius oportunum interim elabatur, hoc est ad compensandum totum lucrum cessans, & damnum emergens: si mutuans aliquid vlterius exigat, idque deducat in pactum implicite vel explicite, in quo formaliter consistit vsura, vt dictum est; manifestā inducet inæqualitatem in contractu, & accipiet additamētum pretij, aut quasi pretij pro eo, quod nihil interest, nullamque prorsus vtilitatem superaddit. Quod clarè contradicit iuri naturali diuisionis rerum, estque intrinsecè iniustum, vt apparet manifestè ex doctrina quæst. 42. & 43.

Videri alicui posset esse contra communem hominum sensum, quod nihil intersit habere pecunias, vinum, oleum & similia, longo potius tempore, quam breui; omnes enim magnum bonum putant, ac maximè expetibile semper abūdare pecunia, & omni genere vtensilium. Cui bono opponitur interpolatio retentionis pecuniæ, & similium apud se, & translatio eorum in alium etiam pro tempore limitato, siue determinato, siue indeterminato. Quod ex eo clarius apparet, quia alioqui mutuatis pecunijs nullum fieret beneficium mutuatario. Solum namque illi conceditur, vt tanto tempore habeat rem sibi mutuatam, quanto caret eàdem qui mutuat. Concessio autem alicuius rei præcise quatenus nihil interest eam habere, nullum beneficium est. Est enim de conceptu beneficij, vt intersit accipientis.

Pro remouenda ista difficultate, & pro maiori claritate fundamenti positi obseruandum est desiderari abundantiam pecunia-

niarum v. g. continuam præcise quanta sufficit ad faciendam spem certam, quod suppetent tempore opportuno vsus ipsarū. Vnde fit vt, si quidem ad eam spem conferat magis, vti sæpe confert, non habere apud se aliquam pecuniarum partem, sed apud alium, quiuis eas à se libenter proijciat, & collocet apud alium ad tempus, vt adsint in tempore. Qua de causa inuenta sunt depositum, census, cambium. Eademque ratione fieri potest, fitque nonnunquā, vt mutuum etiam purum, ab omni vsuræ labe, & spe lucri exhibeatur in gratiam non solum mutuatarij, sed etiam mutuantis. Quia nimirum mutuans confidit magis fidei & obligationi alterius, quam prouidentiæ propriæ immediatæ quoad spem, & certitudinem pecuniæ ad futuræ pro tēpore opportuno. Ergo tota ratio directa & per se desiderandi abundantiam continuā pecuniarum non est, vt eas quisque habeat apud se semper, aut longo tempore, sed præcisè quatenus opus est, vt adsint tempore opportuno vsus, seu distractionis, & alienationis.

Confirmatur, quia nemo prudens quęrit, aut vult accipere pecunias mutuò, nisi quādo adest oportunitas, aut necessitas illis vtendi, seu easdem distrahendi, eumque in finem habendi proprias, vt alienare vtiliter possit. Quod non fieret, si continua pecuniarum abundantia vltra pręsentem vsum esset prudenter expetibilis per se: sicut ea expetuntur, quæ nec absumuntur, nec distrahuntur vnico vsu. Domus enim, & fundus desiderantur etiam ad tempus, tametsi alienari aut destrui minime debeant. Quare beneficium mutuantis erga mutuatariū non in hoc consistit, quod cum vtcumque

facit.

facit abundare pecunijs ad tēpus, sed quod eas suppeditat pro tempore oportuno vsus, ac distractionis. Quia vero ipse est easdem recepturus antequam sibi elabatur similis opportunitas, aut cum compensatione elapsæ interim opportunitatis, propterea contractus est vtrimque æqualis & iustus, si mutuatarius nihil vltra supererogare cogatur. Patet igitur fundamentum positum, quod re ipsa est D. Thomæ loco citato esse demonstratiuum, nec illi contradicere communem hominum sensum, licet contradicat delusio aliquorum, magis verò iniqua auiditas plurimorum.

Ex discrimine dato inter res vnico vsu, aut consumptibiles aut distrahibiles, & res multiplicis successiue vsus, & ex ratione fundata in eodē discrimine perspicitur eas iniquitatis vsuræ probationes, quas subtiliter, accuratè, & venustè promouent de more Cardinalis de Lugo & P Sforza Pallauicinus assumentes; Cardinalis quidem rem eiusdem perfectionis datam, siue hoc, siue sequenti anno esse eiusdem prorsus valoris, ac æstimationis; dummodo detur cū facultate vtendi pro semper & absque vllo termino; Sforza vero dominium perpetuū cuiusuis rei, vtcumque aliàs exiguæ superare æstimatione & pretio dominium ad tempus cuiusuis alterius rei vtcūque alias magnæ. Pespicitur inquam istas probationes subsistere minime posse ob defectum distinctionis, quæ adhibita est ex D Thoma. Manifestum si quidem est dominium rei non consumptibilis vnico vsu domus v. g. aut fundi per vnum annū, aut duos esse aliquo pretio æstimabile indepēdenter à peculiaribus circumstantijs: nec est magis obscurum quoduis finitum, quā finitum est, additione

fieri

fieri maius. Ergo possessio eiusmodi rei incipiens hoc anno est maioris æstimationis per se, quam incipiens anno sequenti. Manifestum similiter est dominium rei multiplicis successiuè vsus durans præcise per annum, posse per aliquem eius vsum reddere interim vtilitatem permansuram sine termino apud dominum, atque adeo commensurabilem alicui rei dandæ in pretium absque vllo temporis limite.

Iam quod fundus v g. sit æquè æstimabilis, eodemque pretio vendatur hoc anno, & sequenti quod ponderat Cardinalis, ex eo prouenit quod semper succedunt, ac succrescunt homines eiusdem ætatis: non ex eo quod vnus insuper annus possessionis respectu eiusdem hominis non augeat æstimabilitatem, sicut auget vtilitatem. Similiter quod Deus decedentibus hoc anno, & sequenti cum æquali gratia, & meritis æqualem gloriæ gradũ retribuat non ex eo prouenit, quod vnus amplius annus vitæ beatæ non sit specialiter æstimabilis, atque additus reliquæ durationi, qua parte finita est, non reddat totum cumulum absolutè æstimabiliorem; sed ex eo, quod Deus, vt dictum est supra, non rependit præmia per iustitiam commutatiuam; sed per legalem, cuius proprium est attendere ad præsentem cuiusque dignitatem quandocumque extiterit, & cõstituere congruam, ac decentem cum illa secundum se proportionem.

Demum circà incommensurabilitatem dominij ad tempus cum dominio perpetuo, quò recurrit P, Sforza, notandum est omne dominium rerum temporalium esse reipsa ad tempus; siquidem finitur intra tempus aliquod determinatum; nisi quod confunditur ignorantia finis intra tantum tempus

pus determinatè cum ignorantia finis simpliciter: qui tamen absolutè prævidetur ab omnibus etiam independenter à fide, saltem morali certitudine propter vicissitudines rerum humanarum. Qua de causa quicumque appetit dominium mille aureorum per annum, appetit illud multo magis, ac pluris æstimat, quam dominium teruntij absque vllo termino determinato, cuius oppositum videretur omnino incredibile. Accedit æstimationem dominij ad posteros transmissi, seu transmittendi, maximè, cum est rei, paruæ languere in progressu, ac demum moraliter euanescere, sicut amor erga eosdem est minor, quo magis ab origine recedunt. Verum indepēdenter ab huius comparationis consideratione, & vlteriori ponderatione concludit efficaciter superior impugnatio communis eidem comparationi, & discursui Eminentissimi de Lugo.

Vtcumque autem hæc habeant ex nostro fundamento deducitur vlterius cū D. Thoma art. illo 2. ad 4. non posse mutuantem absque labe & iniquitate vsuræ imponere mutuatario obligationem vicissim mutuandi suborta simili opportunitate. Quia exclusa ista obligatione datur multa æqualitas, vt demonstratum est. Ergo superaddita eadem ex vna parte, nullaque alia simili obligatione correspondente ex altera inducitur inæqualitas, adeoque iniustitia.

Vnde patet discrimen obligationis mutuandi prementis solum mutuatarium ab eiusdem obligationis executione. Quia in executione hoc est in actuali præstatione seu contractu mutui datur æqualis vtrimque obligatio, vt dictum est. Quare ad cōstituendam similiter æqualitatem quoad eā obligationem mutuatario impositam, debe-

ret

ret mutuans eodem modo obligari ad mutuandum iterum redeunte simili opportunitate, aut necessitate ex parte mutuatarij. Et sanè dubitare nemo potest esse pretio æstimabile habere aliquem obligatum ad mutuandum sibi quoties indiguerit absque vlla sua vicissim obligatione. Idem eadem ratione dicitur de alijs similibus obligationibus cum Layman & alijs contra nonnullos alios.

Deducitur rursus cum communi contra Medinam, Petrū Ledesman, & paucos alios non posse quidquam exigi vltra sortem pro obligatione non repetendi mutuum per annum v.g. aut decennium. Quia vel interim elabitur mutuanti oportunitas vtiliter distrahendi pecuniam, vel non elabitur? Si primum, necesse est vt aliquod interim lucrum cesset vel aliquod damnum emergat; atque vtriusuis compensationem dictum est esse licitam, ac deducibilem in contractum; nec tunc considerabitur sola obligatio non repetendi secundum se præcisè. Si secundum, nihil aderit speciali compensatione dignum. Quia illi obligationi mutuantis correspondet obligatio mutuatarij æque æstimabilis ad reddendum mutuum, cum primum elapsum fuerit tempus illud præfixum; hoc est antequam mutuanti sit opportunum vti re mutuata. Hinc enim fit vt toto eo tempore premat mutuatarium ea sollicitudo & cura, quæ non interueniente contractu mutui debuissent premere ipsum, qui mutuat, ne sibi deesset res mutuata pro tempore opportuno; atque ea sollicitudo omnino æquiualet patientiæ sperandi pro tempore vtrimque æquali.

Deducitur similiter tertiò nihil exigi posse vltra sortem propter periculum commune

ne amittendi eandem ſortem fundatum in ſola rerum humanarum viciſſitudine Quia huic periculo ſuberat ſors etiam apud mutuantem qui hoc præterea commodum habet ex mutuo, quod ſi res mutuata pereat, non ipſi perit, ſed mutuatario, atque is tenetur ſupplere aliunde perindè, ac ſi non interijſſet. Cæterum ſi adſit periculum ſpeciale amittendæ ſortis, aut expenſarum, ac moleſtiæ pro eius recuperatione fundatum in iniquitate habituali, aut alijs ſpecialibus circumſtantijs, & conditione qualicumque mutuatarij poterit iuſtè exigi vltra ſortem quantum id intereſſe iudicabitur, vt efficaciter probat, & tuetur optime Leſſius.

Ratio eſt, quia decreſcit pretium rei ex quouis periculo ſpeciali, vt amittatur, & ex quauis ſpeciali difficultate vt habeatur; atque decremẽtum pretij eſt damnum manifeſtum. Dictum autem eſt teneri mutuatarium ad compenſandum omne damnum emergens ex mutuatione. Quod ſi inde aliquod inconueniens illi accreſcat, ſibi debet imputare, ſi quidem ipſe per malum habitum, aut propoſitum fuerit cauſa damni eius emergentis; ſin minus ſuo infortunio. Neutrum enim obeſſe debet benefico mutuatori, nec eius omni ex capite indemnitas poteſt rationabiliter diſplicere mutuatario, aut eſſe volita ab eodẽ quaſi coactè. Turpe namque eſt gerere nociuum animum erga beneficum.

Deducitur quarto ratione neceſſitatis præſentis, quæ premit mutuatarium, & cui ſubuenit mutuans, non poſſe exigi aliquid vltra ſortem, licet præſtetur beneficiũ ſubueniendo Quia iniquum, ac turpe eſt diteſcere per miſeriam aliorum, eaque ita abuti, vt per eiuſdem miſeriæ augmentum

fiat

fiat contrarium augmentũ fortunæ & abũdantiæ propriæ, vtque sub falsa specie beneficij de præsenti cumuletur in futurum miseria beneficiarij. Quod est pessimum falsæ misericordiæ genus, simile illi, quæ febricitanti porrigitur frigida paulo post accendens multo magis ardorem febris, & sitim, ac demum extinguens ęgrotũ, si idem falsæ misericordiæ opus sæpius repetatur. Manifestum nimirũ est ita in re nostra contingere, si ab indigenti præcisè quia indigus est, & eo plus, quo magis indiget exigatur, quam ipsi detur; si quidem inde fit, vt magis postea pauperascat, accipiatque beneficium, seu quasi beneficiũ, & leuamen præsens cessurum tandem in ruinam suam cum solius dantis vtilitate pura, hoc est quin aliquid mali vicissim patiatur.

Ostensum autem est quæst. 43. esse intrinsece iniustam acquisitionem nihil absolutè conferentem in bonum commune, sed potius nocentem alijs; neque in id genus lucri consentire ab initio homines potuisse; minimè verò omnium quisquam consentiet antecedenti voluntate, vt si ipse in necessitatem inciderit eo ipso acquirant alij ius, & liberam potestatem augendi suam miseriam fucato beneficio, & pluris dandi sibi eandem rem, quam daretur, si non incidisset in pauperiem, ac necessitatem. Atque hæc est ratio ob quam Philosophus vbi supra damnauit artem fœneratitiam, seu dãdi pecuniam cum fœnore; hoc est tractandi rem infructiferam, & sterilem, ac si fæcunda esset, ac fructifera; so umque permisit ditescere per agriculturam, pastoritiam, venatoriam, piscatoriam, fossoriam, fabrilem, mercaturam, & similes artes cedentes in maximum generis humani commodũ

ac vtilitatem, & non habentes per se exitū simpliciter, & absolutè nociuum respectu cuiusquam.

Quod caput est in casu posito non datur æqualitas inter datum & acceptum. Quia mutuator quatenus accipit aliquid vltra sortem reportat commodum, & lucrum absque vllo suo dispendio, aut labore & cum dispendio mutuatarij; mutuatarius vero accipit subuentionem & leuamen præsētis suæ necessitatis cum onere supererogandi aliquid. Iniustus autem est contractus in quo deficit æqualitas mutua inter contrahentes. Verū hic æqualitatis defectus apparet clarius ex fundamento principalis conclusionis supra posito; in quo videlicet ostensum est dari mutuam vtrimque æqualitatem, seclusa supererogatione ex parte mutuatarij, & ex vi solius obligationis eidē impositæ ad reddendam totam sortem. Iam verò ratione à contrario concluditur clarè si mutuator in opere mutuandi impendat laborem aliquē; aut alat famulum numerandæ pecuniæ, cōscribendo libro rationum, & exigendis debitis à mutuatarijs, posse congruam eatenus compensationem accipere.

Qua itidem ratione approbantur, ac laudantur montes pietatis, licet exigatur in eis aliquid vltra sortem à mutuatarijs pro moderata eiusmodi compensatione laboris, & expensarum. Nec longè absimili ratione mercatoribus alijsque personis intentis negotiationi ex officio, licet saltem vt plurimum exigere aliquid vltra sortem ob anticipatam à se, vel dilatam sibi solutionem, quæ, vt talis nihil differt re ipsa à mutuo. Hac tamen in re cautissime procedendum est, quia auri sacra fames facile elabitur in abusum necessitatis vrgentis mutuatarium, & tra-

& traducit iniquè in materiã lucri,ac mercis, quod essentialiter est materia puri beneficij. Notandum est additamentum pretij propter laborem. & expensas, aliasque circumstantias onerosas mutuantis, præsertim habitualiter, seu permanenter dispositi ad mutuandum; & similiter exercentis mutuationem cum frequentia, & cum vtilitate communitatis atque cum æquali proprio detrimento quoad alia lucra, quibus posset licitè incumbere, si non impediretur eo genere iuuaminis respectu indigentium: tale inquam additamentum pretij dictum nuper est vltra sortem non quod sim. liciter omnibusque consideratis verè sit vltra sortem, vt liquet ex sortis expositione initio prælata; sed quia est vltra sortem, si consideretur vnaquæque mutuatio secundum se, & non referatur præterea ad dispositionem permanentem mutuantis, ex qua redundat in singulos vtilitas personæ destinatæ ex sua volũtate vel ex dispositione Principis ad subuentionem,& leuamen eorum. De quo genere vtilitatis singulorum adijcietur prætere aliquid occasione rei similis quæst. sequenti ad 3 Interim ex dictis constat vsurã esse intrinsecè illicitam,& in quo ipsa consistat, & quænam sub se complectatur.

Ad 1. Quod ad exemplum Christi attinet in illo loco Lucæ 19 vsura accipitur metaphoricè pro augmento bonorum spiritualiũ superaddito ad gratiam præuenientem Dei, quatenus Deus, vult nos semper proficere in bonis acceptis ab ipso Quod pertinet ad nostram vtilitatem non Dei mutuantis nobis sua dona, cum vsura proprie talis essentialiter pertineat ad vtilitatem mutuantis, & nocumentum mutuatarij. Deinde quod 23. Deuter. additur prohibitioni fœnoris;

sed

sed alieno secundum Ambrosium, D. Thomam, & alios solam continet permissionem factam Iudæis ob vitandum maius malum, quod commisissent aduersus se inuicem ob nimiam auiditatem lucrandi, si ea permissio facta non fuisset respectu alienorum. Alij referunt eandem permissionem ad ius belli, quod gerebant Iudæi aduersus infideles, atque hoc pacto, nihil hic refert ad quæstionem præsentem. Iam quod in eodem libro additur *fænerabis gentibus multis* non pertinet directè ad promissionem præmij, sed solam continet prædictionem opulentiæ Iudaicæ, & egestatis gentilium, vt constat clarè ex contextu totius capitis; ponitur fœnus & fœnerare pro mutuo & mutuare, quod per se præstatur à diuite respectu egentis. Denique dandi mutui nullum est præceptũ, saltem quod semper obliget, & ea ratione dare mutuum, & sic subuenire indigenti ponitur inter opera consilij. Quod additur *nihil inde sperantes*, non debet accipi de spe lucri vsurarij, sed de qualicumque spe etiã gratitudinis. pertinet enim ad consilia, & perfectionem euangelicam, vt omnia opera bona fiant reponendo totam spem retributionis in solo Deo, & non in hominibus.

Ad 2. Licet vsura sit intrinsecè iniusta; nihilominus iusta esse potest lex permissiua lucri vsurarij cum certa aliqua limitatione, ac moderatione ad vitanda maiora mala; sicut permissiones prostibulorum possunt esse honestæ licet vsus eorum sit intrinsecè inhonestus, respectu vtentium permissione. Quo pacto laudatur permissio diuina de qua nuper dicebatur respectu Iudæorum. Eadem igitur ratione leges illæ humanæ fuere honestæ, quia permissis vsuris cum moderatione per easdem præscripta vitabantur, aliæ

vsuræ

vsuræ deterioris conditionis. Verum quatenus illæ leges continere præterea videtur approbationem eiusmodi vsurarum, & adiungunt coactionem ad earum solutionẽ; & ne tanta labes impune, legumque munita præsidio immisceretur puritati professionis Christianæ merito abrogatæ sunt per ius canonicum locis superius indicatis. Et similiter abrogata est per nouum testamentum permissio illa Iudæis facta respectu infidelium in testamento veteri.

Ad 3. Qui mutuat nullum præstat beneficium, nullamque exhibet materiam gratitudinis ratione mutuationis secundum se præcisè. Quia mutuatarius obligatur ad æquale, & in tempore præstat omnino æquale vt ostensum est. Qua itidem sola ratione nullum est beneficium nullaque materia gratitudinis in venditione, & in solutione debiti secundum se præcise consideratis. Tota itaque ratio beneficij, totaque materia gratitudinis pendet ex peculiari indigẽtia & necessitate mutuatarij; ex qua circũstantia potest etiam esse benefica, & obligans ad gratitudinẽ venditio & solutio debiti, cum tamen propterea, neque vendens possit exigere maius pretium neque debitor demere aliquid creditori ex quantitate debita. Cuius rei ratio vniuersalis reddita, & validè confirmata est paulo prius, circa quartam eandemque postremam illationem. Quapropter negandum est vniuersaliter quidquid confert ad rationem beneficij, & gratitudinis posse eo ipso conferre ad materiam iustæ cõmutationis. Sunt enim aliqua intrinsecè pertinentia ad materiam beneficij purè gratuiti; quæ videlicet iuxta primæuam hominum conuentionem, & voluntatem simpliciter antece-

dentem singulorum præscindentem à peculiaribus circunstantijs possibilibus contingere respectu cuiusque, non sunt materia neque partialis, neque totalis, commutationis, quæque si in commutationem deducantur, eo ipso redditur materia maleficentiæ, & iniquæ damnificationis, quæ erat materia beneficentiæ, & charitatis, vt liquet ex dictis circa eandem quartam illationē. Illud igitur tantummodo temporale quod gratis collatum aut adiunctum constituit beneficium, & deductum in commutationem, non eo ipso vertitur in maleficium, & iniquitatem, potest esse materia iustæ commutationis; atque eiusmodi nequaquam est circumstantia indigentiæ specialis prementis mutuatarium.

Ad 4. Vasa argentea habent alium vsum præter distractionem & alienationem, idque ipsis conuenit principaliter per se, ideoque talis vsus vendi potest iusto pretio retenta proprietate eorumdem secundum se. At pecunia principaliter & per se est ordinata ad solum vsum distractionis, & alienationis. Sed si pecuniæ argenteæ conce dantur ad alium vsum secundarium ipsarum ex. g ad ostentationem vel ad ponendum loco pignoris, talis vsus vendi poterit iusto pretio quanti cōmuniter æstimabitur. Quod nihil contradicit doctrinæ superiori vt patet. Vnde ratio discriminis prouenit formaliter ex destinatione ad diuersos vsus argenti sub diuersa forma. Nam & vasa argentea si dentur per commutationem erunt similiter incapacia pro quibus iustè accipiatur aliquid vltra sortem.

QVÆ-

QVÆSTIO XLVII.

Vtrum simonia sit intrinsece iniusta?



VIDETVR nō esse iniusta, 1. Quia scienti & volenti nō fit iniuria. Qui autem dat pretium pro re spirituali, dat illud sciens & volens. Ergo qui illud accipit non facit iniuriam.

2 Quiduis spirituale est æstimabilius quouis temporali. Qui autem dat aliquid æstimabilius, quam quod accipit non facit iniuriam. Ergo contractus simoniacus non est iniustus saltem ex parte vendentis rem spiritualem.

3. Pro sacrificio missæ, pijs orationibus, & alijs eiusmodi dantur pecuniæ à fidelibus, haud quaquam dandæ, si ijs actionibus non adiaceret aliquid spirituale ac supernaturale, certe non dandæ in ea quantitate, in qua erogantur de facto. Cuius signum est, quod non similiter datur ab infidelibus, vel etiam à fidelibus non operantibus ex motiuo proposito per fidem, & quod non tantumdē datur pro æquali labore in alio genere. Dici autem non potest, tot sacerdotes, & pios oratores toties ac palā agere iniustè & teneri ad restitutionem, de qua ne cogitant quidem, nec ipsi nec prælati Ecclesiæ.

4. Emptio & venditio rei temporalis annexæ rei spirituali pro pure temporali, non est intrinsecē iniusta; Ergo neque emptio

& venditio rei ipsius spiritualis est intrinsece iniusta. Patet consequentia, quia res temporalis annexa spirituali induit naturā eius, vt pote principalioris.

5. Non est intrinsecè iniusta permutatio rerum spiritualiū pro spiritualibus, seu purè, seu mixtè talia sint. Posito autem rem spiritualem posse ex sua natura esse materiā iustæ commutationis, nulla superest ratio ob quam iustè commutari non possit pro re etiam purè temporali.

R. Simonia communiter definitur *studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Studiosa* perinde est ac deliberata. *Emendi aut vendendi* sumitur latè prout complectitur onerosum cuiusuis generis contractum, in quo habeat rationem mercis, aut quasi mercis vel pretij res spiritualis comparatione rei temporalis. *Aliquid spirituale* perinde est, atque aliquod donum supernaturale ordinatum ex sua natura ad beatitudinem supernaturalem, ipsaque imprimis beatitudo supernaturalis. *Spirituali annexum*, dicitur, quod ad præsens attinet, quodlibet temporale quatenus specialiter æstimabile est ratione rei spiritualis, vel cuius ius, dominium, aut possessio, dependet tanquam ex causa, & radice ex proprietate, ac iure respectu rei spiritualis. Priori modo est spirituali annexum aurum Calicis consecrati, & labor faciendi sacrum; posteriori verò modo fructus prouenientes ex beneficio ecclesiastico, & sic de alijs eiusmodi.

Simoniacam huiusmodi emptionem, & venditionem esse per se illicitam lethaliter, ac grauissimè titulo irreligiositatis & vilipendij rerum spiritualium, quod in eis cōtinetur, alterius omnino loci, & quæstionis est.

est. Ad præsens enim solum pertinet examinare titulum iniustitiæ propriè, & strictè sumptæ. Dicendum itaque est tam emptionem quam venditionem rei spiritualis pro temporali, iuxta sensum explicatū esse iniustam, idqne intrinsece ex ipsa natura rei. Ita docent Suarez, Lessius, & alij communiter in presenti. Colligitur clarè ex illo Mathæi 10. 8. *gratis accepistis, gratis date*: & ex 1. Petri 4. 10. *vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*.

In priori ex his loco contineri præceptum, & non solum consilium suadet efficaciter formula locutionis coniuncta cum capacitate & dignitate materiæ multisque congruentijs. Quia vero in nouo testamēto nulla inducta sunt præcepta positiua diuina præterquam fidei & sacramentorum, vt aduertit Lessius cum D. Thoma & alijs cōmuniter; patet eam obligationē dandi gratis spiritualia esse de iure naturali diuino. Ex posteriori autem loco colligitur vlterius dicto præcepto non solum induci inhonestatem, sed etiam nullitatem venditionis spiritualium pro temporalibus. Quia purus dispensator non habet dominium & potestatem disponendi validè de re sibi cōmissa, nisi iuxta voluntatem domini, quæ in præsenti est de dando gratis. Patet autem esse iniustum eum qui vendit, seu quasi vēdit, & accipit pretium pro re, quam nec licitè, nec validè vendere potest. Ergo vēditio rei spiritualis pro temporali est intrinsece iniusta ex ipsa natura rei.

Idem demonstratur ratione. Quia res spirituales æstimantur dependenter à sola fide, & in ordine ad solam beatitudinem æternam supernaturalem: Res verò tem-

porales æstimantur immediate dependenter à ratione naturali, & in ordine ad felicitatem temporalem, ac naturalem, atque ad societatem ciuilem. Quæ autem hoc modo comparantur inter se, sunt inuicem incommensurabilia, & irreducibilia ad æqualitatem, quæ est de ratione iusti iæ. Quod apparet inter alia ex ijs quinque rationibus. Prima est, Quia qui habet æstimationem rerum directam fide, omnia temporalia arbitratur vt stercora comparatione spiritualium E conuerso secundum æstimationem rationis naturalis stultū est dare ac relinquere temporalia pro spiritualibus. Quorum primnm patet ex 1 ad Corinth 4 10. *nos stulti propter Christum* exque ali,s eiusmodi pluribus in quibus ratio naturalis stultitiæ ducit dimissionem rerum temporalium pro spiritualibus. Constat similiter alteri ex 3 ad Philip. 8. *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora.* Quod Cornelius à Lapide ibi cum Chrisost. & Theophil. accipit de omnibus non solum legalibus, sed etiam de omnibus omnino temporalibus. Ecquis autem æqualitatem inueniat inter ea quæ non nisi stultè æstimabilia putantur, & putantur vt stercora, & inter ea, comparatione quorū vtralibet ex illis talia putantur

Secunda est, quia diuisio rerum temporalium facta est per rationem naturalem, atque ex illa pendent omnia iura circa illas, eaque acquiri minime possunt nisi à conferente aliquid in bonum commune consistens in fœlicitate temporali, & pacifica societate ciuili vt liquet ex quæst. 42. & 43 Nihil autem eiusmodi confert, qui confert solum aliquid spirituale & pendens à diuisione gratiæ, & fidei.

Ter-

Tertia est, æstimatio rerum pendens à fide, & spes vtilitatis inde deriuandæ, sunt vnicuique liberæ, sicut est libera ipsa fides, & post fidem spes; potestque proinde apud vnumquemque, vilescere, aut fieri pretiosum pro libito, quod est æstimabile dependenter à fide; atque adeo fieri æquale, vel inæquale alteri rei. Quod repugnat æqualitati, vel & inæqualitati intentæ, & reiectæ per iustitiam non variabili pro arbitrio permutantis. Considera volentem credere, aut sperare ante emptionem, & nolentem postea; atque è conuerso; & inde variatum pretium rei, & videbis corruere flexibilem iustitiæ conditionem.

Quarta est. Inde fieret vt posset eadem res vendi carius fideli quam infideli, & eo magis quo hic pertinacior ille constantior esset, hoc est probo, quam improbo; optimo quam pessimo; Quo nihil iniquius esse posset. Sequela verò ex consideratione præcedenti est manifesta.

Postremo cum totum genus humanum sit ex sua natura ordinatum ad vnam communem pacificam societatem, & præsentem felicitatem sibi connaturalem, quæ mutuis hinc inde commercijs fouetur, atque subsistit, debuit habere vnam aliquam regulam contractuum omnibus communem claram, ac manifestam, & cunctis innegabilem, nec variabilem, pro varietate religionis, quam quisque pro arbitrio profitetur. Ergo alteratio pretiorum ex diuersitate religionis repugnat optimæ generis humani constitutioni, regimini, ac paci, & felicitati minimè impeditæ cómunicationis mutuæ, & communis abundantiæ, quæ inde prouenit, eademque consequenter est contraria communi humani generis con-

sensui, ex quo iura omnia circa res temporales, vti superius dictum est, dependent, & cui contrauenire sine iniustitia, non potest quoad res ipsas; quoad iura verò non nisi nulliter ac perperam. Ex ijs itaque concluditur simoniam esse intrinsecè iniustam; per quam videlicet repugnat, vt cõstituatur æqualitas inter datum, & acceptũ.

Ad 1. Distinguitur maior: volenti volũtate valida conceditur maior, voluntate inualida, ac nulla negatur maior iuxta dicta quæst. 15. & 16. & distincta similiter minori negatur consequentia. Quia qui emit rem spiritualem pro temporali, non habet voluntatem donandi, sed taxandi, ac soluendi pretium æquale rei spirituali. Hoc autem nulliter eum conari constat satis ex dictis. Habent enim contradicentem sibi legem voluntate diuina, & consensũ generis humani maximè rationabili constitutam.

Ad 2. Quiduis spirituale est æstimabilius quouis temporali, dependenter à fide, & in ordine ad finem propositum per ipsam; non tamen secundum æstimationem pendentem à ratione naturali, & in ordine ad finem rebus temporalibus connaturalem. Qui autem dat vendendo quod est minus relatè ad hunc finem, & ad hanc rationem est iniustus. Quia hinc sumitur regula iustæ commutationis rerum temporalium, & non ex fine supernaturali, & ex fide, vt dictum est. Quare in eo casu solus emens est qui non facit iniuriam vendenti, licet vterque sit irreligiosus, & iniurius aduersus Deũ.

Ad 3. Celebrantibus, & orantibus, & sic de simillibus dantur pecuniæ partim vt stipendium laboris necessarium ad sustentationem vitæ; partim vt eelemosyna, tum ex eodem fine, tũ pro tuenda maiori decentia sta-

ſtatus eorum. Et ſane quod ad ſtipendium attinet, labor corporalis impenſus rebus ſacris praſcindendo ab earum ſanctitate, & conducentia ad finem ſupernaturalem, atque attendendo ad ſolum onus, quod ſuſcipitur in obſequium alterius intendentis qualemcumque finem, eſt dignus compenſatione temporali. Ingreditur præterea in partem iuſtæ æſtimationis iactura, quam patitur, qui ſic laborat, abſtinendo ab alijs laborum & quæſtuum generibus, & aſſumendo ſtatum, & conditionem vitæ incapacem eorum. Nulla igitur eſt iniuſtitia in ſtipendijs, quæ celebrantes & orantes communiter recipiunt à fidelibus. Nam etiam infidelis, ſi exigeret æqualem laborem, cum æquali laborantis iactura, & impedimento, deberet ſoluere æquale ſtipendium, quemcumque demũ finem intenderet. Nec enim menſura iuſti pretij, ac ſtipendij ſumitur ex fine intento ab eo qui exigit aut impendit laborem, ſed ex magnitudine ipſius laboris, nec non iacturæ per ſe conſequentis ad illum. Videri poteſt Suarez tom.1. de Relig. lib. & cap.4 n.7. adducens communem hominum conſenſum pro veritate huius doctrinæ, licet eius rationem putet perobſcuram, & inuentu difficilem; quod non vſque adeo verum videtur.

Ad 4. Res temporalis annexa ſpirituali, vt fructus beneficij eccleſiaſtici, & aurum quo conſtat calix conſecratus, eiuſdem eſt in ſe naturæ, eaſdem affert commoditates, & iiſdem quantum eſt ex ſe ſubiacet legibus diuiſionis rerum ante & poſt talem annexionem, neque id tolli poteſt à re temporali propter annexionem ad rem ſpiritualem, & magis principalem. Ergo ſi eodem pretio ſemper vendatur, nec augea-

tur aliquid pretij ratione adiunctæ spiritualitatis, semper dabitur eadem æqualitas propria iustitiæ. Quare in venditione eiusmodi rerum solum est præcauendum scandalum, quod facile potest suboriri, & interponendus consensus summi Pontificis, qui est supremus dispensator rerum etiam tēporalium annexarū spiritualibus. At quod est purè spirituale non habet vllam similiter regulam vniformem comparatione rei temporalis & pecuniæ, vnde ad æqualitatē reducatur quæ est de cōceptu iustitiæ. Nulla igitur est paritas.

Ad 5 Permutatio spiritualium pro spiritualibus, ideo non est iniusta ex se Quia quæ vtrimque talia sunt subiacent eidem vtrimque regulæ æstimationis, & ad eundem finem ordinantur ex se; habenturque absolutè gratis, dum habentur pro aliquo habito & conseruato similiter gratis. Ergo multo minus hic potest vlla paritas deduci pro iusta permutatione spiritualium cum temporalibus.

QVÆSTIO XLVIII.

Vtrum ius proprietatis possit simul inesse pluribus circa eandem rem?



VIDETVR non posse inesse. Quia ius proprietatis ex genere suo est libera facultas disponēdi de aliquo munita lege fauēte ipsi & grauante alios. Si autem duobus inesset ius circa eandem rem, neuter haberet circa illam munimen legis fauentis

sibi

sibi, & grauantis alios. Quia vterque grauaretur per legem in fauorem alterius. Ergo nequit inesse duobus simultaneè ius circa eandem rem.

R. Ad generalem rerum diuisionem, de qua, deque eius effectibus circa ipsas, actū est à quæst. 41. subsecutæ sunt plures species iuris proprietatis, quarum sola expositione indiget quæstio proposita, & qua præstita absoluta erunt vniuersalissima principia omnia spectantia ad intelligentiam virtutis iustitiæ, & obiecti formalis circa quod ipsa versatur.

Prima autem ac præcipua species iuris proprietatis est dominium plenum, quod à Iuristis communiter definitur cum Bartolo in l. *si quis*, §. *differentia ff. de acquirenda possessione ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur*. To *perfectè* ponitur ad explicandam plenitudinem dominij, quæ amplectitur omnes vsus rei, cum independentia à voluntate alterius quatenus cōsulentis commodis suis. Hæc enim duo pertinent ad perfectionem iuris proprietatis, de quo agitur, vt liquet ex particula sequenti *de re corporali*. Quia ius iurisdictionis versatur directè circa personas quatenus præditas intellectu, & voluntate. Ex eadem particula apparet nō definiri à Bartolo dominium in tota sua latitudine siue ex parte subiecti, siue ex parte termini, sed humanum dumtaxat, idque quatenus ordinatum ad mutuam sensibilem communicationem, & societatem ciuilem. quæ quia in rebus corporalibus viget magis, ideo à Iurisperitis res corporalis dominio; cætera vt officia, seruitutes actiones personales, & similia, quasi dominio haberi dicuntur. Postrema particula *nisi lege prohibeatur*, ac-

cipienda est de lege præcisè vt est regula, & mensura honestatis, & non vt est etiam munimen iuris proprietatis alterius, id est de lege positiuè, & negatiuè sumpta; ita vt sola lex honestatis, & non etiam ius alterius lege munitum fauente ipsi, & grauante alios in fauore ipsius impediat ius disponendi conueniens perfectè ac plenè domino. Alias enim hæc definitio solam exprimeret rationem omnibus iuris speciebus communem.

Porro, omne vniuersaliter dominiũ proprietatis plenum ac perfectum iuxta totam suam latitudinem ex parte subiecti & termini, seu ratio vniuersalissima huius iuris definiri facile & perspicuè potest, ex dictis quæst. 3. Omissis namque aliorum definitionibus rectè dicetur *libera facultas disponendi de aliquo munita lege fauẽte ipsi & grauãte alios absque vllo vicissim grauamine directè quoad rem eandem cedente in commodum alterius*. Prior pars positiua liquet ex loco indicato. Posterior pars negatiua, cui substitui potest *fauente ipsi soli*, innotescet per expositionem reliquarum specierum iuris; hoc est specierum dominij imperfecti, seu non pleni, à quibus differt dominiũ plenum per exclusionem eiusmodi grauaminis respectu plenè domini.

Inter istas itaque species præcipua est vsus fructus, qui communiter definitur *ius rebus alienis vtendi, fruendi salua rerum substantia*: hoc est; libera facultas vt supra cum grauamine rem integram alteri seruãdi. Is, cui conuenit hoc ius, seu libera facultas dicitur fructuarius. Proprietarius vero & dominus, is in cuius fauorem tale grauamen imponitur. Alia deinde immediate species est vsus actiuè sumptus, qui defi-

definitur: *ius vtēdi re aliena salua ipsius substantia*: hoc est, libera facultas, vt suprà cum grauamine rem integram alteri seruandi, eidemque relinquendi fructus eiusdem. Nempe fructuarius per hoc præcise differt ab vsuario, quod ille fructus rei, vt ex grege lanam, lac, fœtum; ex fundo fœnum, segetes, arbores cæduas, seu non fructiferas colligere possit, & eo ipso facere suas pleno dominio: Vsuarius vero nequaquam; idque significat fruitio illi concessa, huic negata.

Seruitus est ratio communis vsufructui & vsui, & latius vtroque patet. Sumitur vero, tunc actiuè, tum passiuè. Actiue sumpta est *ius fruendi vel aliquo modo vtendi re aliena, vel aliquid circa eam impediendi*: hoc est; est libera facultas aliqualiter disponendi, seu positiuè, seu negatiuè circa rem alienam. Positiuè quidem, vt dictum est de vsu fructu, & vsu, nisi quod vterque seruituris nomine tum potissimum significatur, cum non est plenus & perfectus, sed inadæquatus quoad aliquem tantum fructū, aut aliquem vsum passiuum. Negatiuè vero, vt si possis alium impedire, ne altius attollat murum suum, nève in eo aperiat fenestram. Seruitus passiua est obligatio rei vel personæ correspondens iuri actiuo explicato.

Hæc omnia iura possunt haberi cum & sine possessione quæ non sumitur in præsenti passiuè, seu terminatiuè, sed actiuè, ac potestatiuè, & alia dicitur facti, alia iuris. Possessio facti, definitur à Iurisperitis *detentio rei, corporis, & animi, & iuris adminiculo*. Detentio est apprehensio aliqua, vel continuata, vel saltem præiens in principio. Corporis adminiculū significat debere

bere rem, vt possideatur, de facto subijci manibus vel pedibus vel oculis formaliter vel æquivalenter in se vel in aliquo ipsam continente. Adminiculum animi est voluntas detinendi rem tanquã suam iuxta notionem suitatis expositam quæst. 3. versus finem, & non tantum nomine alterius, vti faciunt depositarius, & baiulus, qui propte ea non possident. Iuris adminiculum non tollit, quin possessio facti possit esse iniusta, qualis est possessio latronum, sed significat talem debere esse detentionem ex parte rei & personæ, vt leges aliquo speciali fauore ipsam prosequantur præ non detinente qualis non est detentio rei sacræ facta à Laico. Res non corporales dicuntur à Iurisperitis, quasi possideri, cum respectu eorum interuenerit aliquid æquiualens explicato corporis adminiculo.

Possessio iuris definitur à Bartolo in l. 1. de acquirenda vel amittenda possessione; *ius insistendi alicui rei tanquam suæ non prohibitæ possideri.* To *ius* distinguit hanc possessionem à pura facti possessione. Insistere rei vt suæ, est eam apud se & sibi tenere pacifice, si possit; sin minus abigendo ab ea quosuis alios legum remedijs; & si necesse sit, vi etiam & armis. Additur *non prohibitæ possideri*, quia detentio rei, & insistentia non fauente lege, sed potius contradicente, non dicitur possessio. Intelligitur autem contradictio, non qualiscumque, sed quæ talem personam respectu talis rei reddat incapacẽ possidendi, & spoliet omnibus priuilegijs possidentium, seu detinẽtium res vt suas; vti spoliatur laicus respectu rei sacræ, decimatum, & similium. Quo patet non superfluere postremam particulam superadditam primæ. Quia potest quis ha-

habere re ipsa ius insistendi, quin adhuc cõstet de eiusmodi fauore, seu non resistentia legis, ob priuilegium.

Emphyteusi, & feudo, quæ sunt duæ aliæ species iuris imperfecti commune est, quod sint *concessio rei immobilis cum translatione dominij vtilis, retento directo, sub aliquo onere*. Differunt vero; quia hoc onus in emphyteusi, est certa pensio, soluẽda proprietario ab emphyteuta. In feudo vero, si sit purum feudum, idem onus est solum obsequium personale.

Postrema diuisio est iuris in re, & ad rẽ. Ius in re, quod & reale dicitur, est libera facultas rem aliquã sibi vindicandi, ac repetendi à qualibet indiscriminatim persona, illam qualitercumque detinente; ita vt obligatio rem tradendi, seu reddẽdi habenti ius in illa, transeat, ad quãlibet personam hoc ipso quod res ad eam trãsierit. Ius verò ad rem, quod & personale dicitur, est libera facultas, rem aliquam sibi vindicandi, ac exigendi ab vna vel pluribus personis determinate, siue illam apud se habeant, siue non habeant, sed ad aliũ transierit. Quare obligatio correspondens iuri in re adhęret illi personæ, cui res ipsa adhæserit; ideoque realis dicitur, quia quasi transit ex re ad personam, & immediate rem, mediate personam afficit ratione ipsius rei. E contra obligatio correspondens iuri ad rem adhæret personæ, siue res ipsi adhęreat, siue non adhęreat; ideoque personalis dicitur, quia immobiliter personæ adhęret, & quasi transit ex persona ad rem, atque immediate personam, mediate rem afficit, ratione personæ.

Exemplum vulgare, & præ cæteris clarum est in emptore, & venditore. Qui enim

emit

emit equum, post numeratam pecuniam, & antequam equus traditus sit sibi, non potest illum exigere nisi à venditore, tametsi equus iam ab alio detineatur, siue per furtum, siue per nouam venditionem, aut donationem factam ab eodem venditore. At postquam equus, iam traditus fuit emptori, potest is illum exigere à quocumque ipsum detinente; nec potest amplius agere aduersus venditorem, nisi quatenus equus ad ipsum redierit. Quare ante traditionem ius emptoris dicitur ad rem; post traditionẽ, in re: atque illud primum respicit personã seu personas omnino determinatè, certe magis determinatè quam posterius. Posterius enim, seu in re est omnino indeterminatum ex se intrinsecè quoad personas, & respicit æqualiter totum genus humanum.

Ex his manifestum iam est pluribus personis circa eandem rem simultaneè inesse posse iura imperfectæ proprietatis diuersi generis. Res enim respectu cuius alicui conuenit ius tantum ad rem, necessario simul subest iuri in re alterius personæ. Similiter componuntur inter se in diuersis personis respectu eiusdem rei, ius siue emphyteuticum, siue feudale, cum dominio rei apud alium existente; idemque dicitur proportionaliter de cæteris speciebus iuris. Vnde patet ad rationem dubitandi. De ratione videlicet iuris solum est vt habeat legem sibi fauentem quoad id, quoad quod, conuenit libera facultas. Possunt autem plura inesse eidẽ rei, quoad quorum proinde aliquid lex faueat vni, & quoad aliud alij, cum mutuo eorum grauamine quoad id, secundum quod, ad vnũquemque eorum res non pertinet. Vnde

patet

patet ad rationem dubitandi. Difficultas igitur solum potest esse de multiplicitate iurium eiusdem rationis, eoque pleno, & perfecto secūdum genus suum circa eandē rem, & secundum idem, Quam difficultatem a paucis annis nonnulli magnis conatibus in vtramque partem pertractarunt circa dominium plenum, seu insolidum; cum ea qualiscumque difficultas sit omnino communis, vt per se satis patet, quibusuis alijs iuris speciebus sub eadem considenratione pleni, & perfecti intra idem genus. Verum in gratiam eorum auctorum agendum erit specialiter de dominio pleno.

QVÆSTIO XLIX.

Vtrum dominium plenum eiusdem rei pro eodé instanti possit esse adæquatè apud duos?

VIDETVR posse esse 1. Quia in instanti reali donationis aut venditionis v.g. conuenit simpliciter eius dominiū tam donanti, seu vendenti: quam donatario, seu emptori. Donatario quidem, quia donatio est vsus dominij insolidum, vt pote transferens illud in donatarium; & quia alias donaret rem, vel nondum suam, vel iam non suam. Donatario vero, quia datur in ipso acceptatio dominij in solidum sibi oblati, atque acceptatio est vltimum complementum donationis. Impossibile verò est, vt donatio non sortiatur suum effectum in eodem instanti, in quo ponitur

tur vltimum eius complementum. Eadem est ratio de emente & vendente. Datur igitur in vtroque pro eodem instanti dominium insolidum eiusdem rei. Confirmatur, quia nemo dat quod non habet; & quiuis habet, quod acquirit; cum dat, & cum acquirit.

2. Dominium in solidum cuiusuis creaturæ circa quamlibet rem est compossibile, imo & essentialiter connexum cum dominio diuino in solidum circa eandem rem. Ergo etiam est compossibile cum dominio in solidum alterius creaturæ circa eandē. Patet consequentia, quia dominiū Dei est multo magis plenum, & insolidum, quam dominium alterius creaturæ ideoque hoc dominium a fortiori est compossibile cum alio dominio creato circa eandem rem.

R. Dicendum est dominium in solidum non posse esse simultaneè apud duos circa eandem rem loquēdo de dominio perfecto & vltimo completo in ratione talis. Hic est indubitatus Iurisperitorum omnium consensus,& communis suppositio Theologorum ex lege *v. si certo* §. *si duobus ff. commodati*. Ratio est clara ex definitione dominij in solidū data, & explicata in quęst. præcedenti sub initium. Quia de ratione dominij pleni est ius disponendi perfectè, nisi lege prohibeatur; hoc est ius impedibile sola lege honestatis, & non item simili alterius iure; vtque sit libera potestas absque gravamine directè, in fauorē alterius sibi imposito. Patet autem Dominum rei habentis alium simul dominum, dominio vtrobique humano esse impedibilem, quo minus disponat, vt voluerit non solum lege honestatis secundum se, sed etiam iure alterius, & lege quatenus fauente directè illi

illi alteri; eundemque condominum esse grauatum grauamine sibi imposito directe in fauorem alterius. Quare si duo homines simul essent plenè domini eiusdem rei pro eodem instanti, vterque in dispositione rei esset & non esset impedibilis sola lege honestatis; haberet & non haberet grauamen aliquod sibi impositum cedens directe in fauorem alterius. Quod repugnat manifestè.

Ad 1. pro instanti donationis acceptatæ, seu cum primum existit acceptatio donationis datur quidem simultaneè dominium in solidum eiusdem rei in donante, & acceptante, nec non in omnibus quibus donari & à quibus acceptari absolutè potest, sed conditionate tantum, & extrinsece; absolute vero & intrinsece solum datur in donatario acceptante donationem sibi factā. Omne nimirum ius proprietatis quatenus extrinsecè denominans constituitur, per legem fauentem vni, & grauantem alios in fauorem ipsius; intrinsecè vero per cognitionem & volitionem, quibus cognoscitur vere, & acceptatur talis fauor vt dictum est quæst. 6. Cum igitur respectu cuiusuis habentis intrinsecè, & absolute dominium in solidum alicuius rei pro aliquo tempore, detur eiusmodi lex ipsi fauens pro toto tempore sequenti absque vllo termino; faueat vero non omnino absolutè, sed conditionate ipsi quidem domino quousque volet sibi retinere dominium; cæteris autem quibusuis ex quo idem dominus voluerit dominium in eos transferre, vti dictum est quæst. 43.

Cum inquam hæc ita se habeant, patet dominium in solidum pro eodem instanti dari extrinsecè, & conditionatè in donante,

te, & donatario, nec non in omnibus, & quibusuis alijs capacibus, quibus eadem res donetur. Quia vero voluntas absoluta habendi rem vt suam directa per veram cognitionem donationis, solum datur in donatario eam acceptante, cum in donante detur è conuerso nolitio habendi rem vt suam, patet similiter donatario, & non donanti conuenire intrinsece, & absolute dominium rei pro instanti donationis, & pro omnibus sequentibus quousque ipse velit: is autem dicitur dominus simpliciter cui dominium cõuenit intrinsece & absolutè; is vero cui nonnisi extrinsecè, & conditionate conuenit dicitur dominus secundum quid, dum agitur de dominio adulti potentis acceptare, & rejicere dominia rerum pro libito.

Quapropter donatio est vsus dominij cõuenientis donatori extrinsece & conditionatè per denominationem prouenientem à dominio intrinseco & absoluto instãtis immediate antecedentis & à lege conditionate fauente pro eodem donationis instãti. Non vero est vsus dominij simpliciter talis, seu conuenientis intrinsece, & absolute pro ipso donationis instãti quod liquet satis ex dictis. Et ex eo prætcrea quia donatio est translatio dominij ex donante in donatarium, & nihil ibi perseuerat, vnde transfertur, in sensu composito translationis. Quapropter donator donat rem iam non suam intrinsecè & absolutè, To *iam* significante instans reale. Nempe pro priori naturæ ad actum donat onis res donata præscindit à sua & non sua ipsius donantis intrinsece & absolutè; estque sua ipsius extrinsece & conditionate, sub hac conditione, si ipse velit, Idemque dicitur suo mo-


de

do de vendente, respectu emptoris, deque qualibet alia libera abdicatione dominij præhabiti. Patet igitur totum argumentum illud habere apparentiam propter indistinctionem, & confusionem dominij absoluti & vltimo completi respectu eius, quod est tantum extrinsecum, & conditionatum, atque secundum quid.

Ad Confirmationem. Sicut in aliquo sensu est verum, nemo dat, quod nõ habet: ita est verissimum simpliciter nemo habet, quod dat, in sensu cõposito dationis Alias componeretur datio cum retentione simpliciter. Simili modo est in aliquo sensu verum: nemo spoliatur bonis quæ non habet; & tamen est verissimum simpliciter: nemo habet bona, quibus spoliatur, in sensu composito spoliationis. Spoliatur autem bonis, qui illa donat alijs, nec quidquam refert pro modo verificationis earũ propositionum, an propria, an aliena volũtate spolietur, sicut nihil interest pro modo verificationis istarũ; nemo moritur aut occiditur nisi viuat; & nemo viuit, cum moritur, aut occiditur, in sensu composito mortis, aut occisionis; nihil inquam interest, an vulnere sibi inflicto per se, an aliena confossus manu occumbat. Distinguenda igitur est illa propositio iuxta proximè dicta; nemo dat quod non habet, vel extrinsecè & conditionatè, vel intrinsecè & absolutè; Conceditur propositio. Quod non habet intrinsecè, & absolutè, tunc cum datur, negatur propositio. Quæ distinctio est clara ex dictis & est necessario adhibẽda ab omnibus in exemplis modo propositis. Videatur si placet circa materiã huius obiectionis longa, & acuminum locuples cõtrouersia serio agitata à Card. de Lugo disp. & sect. 2.

Ad

Ad 2. Dominium diuinum non est dominium vtilitatis respectu sui, sed purè excellens, qualis dominij nos sumus incapaces; nostrum verò dominium est vtilitatis respectu nostri, cuius vtilitatis Deus non est capax, vti pluribus expositū est quæst. 4. & 19. Non autem mirum est, si quæ sunt vsque adeo diuersa nec se inuicē impediunt, sed potius iuuant, vt liquet ex illis duobus locis; sint mutuo compossibilia, imo, & essentialiter inseparabilia propter subordinationem alterius ad alterum: & nihilominus sint inter se incompossibilia, quæ sunt eiusdem rationis, ideoque sibi inuicem nocentia, & impedientia mutuo plenitudinē alterius non sola lege honestatis secundum se, qua sola impedire iuridicè potest Deus, vsus rerum nostrarum, sed etiam iure vtilitatis, quod est essentiale dominio humano. Inter quas impeditiones seu obligationes impeditiuas vsus quantū & quale discrimen intercedat videri potest in eadē illa quæst 3. post medium.



QVAE-

QVÆSTIO L.

Vtrum vſus licitus rerum vnico vſu conſumptibilium ſit ſeparabilis ab omni dominio, & iure proprietatis?



IDETVR non eſſe ſeparabilis 1. Quia Ioannes 22. in Extrauag. *Ad Conditorem* docet vſum licitum talium rerum eſſe indiſtinctū à vero dominio; & vero iure proprietatis circa eaſdem.

2. Verus Dominus rerum conſumptibilium vnico vſu nihil habet ex vi ſui dominij præterquam poſſe illas licite quoties libuerit ſeu conſumere ſeu diſtrahere: Ergo quicumque hoc ipſum facere poteſt licitè, & abſque cuiuſquam iniuria eo ipſo habet verum dominium verumque ius proprietatis. Patet conſequentia, quia repugnat eũ non eſſe vere dominum alicuius rei, cui licet quoties libet quidquid licet vero domino ex vi ſui dominij.

R. Pro clariori determinatione quæſtionis adhibenda eſt diſtinctio. Vſus actiue, & poteſtatiuè ſumptus pro iure, ſeu libera facultate vtendi inimpedibili ab alio præterquam per legem honeſtatis ſecundum ſe, ſeu non ligabili per voluntatem alterius præcisè quatenus conſulentis cõmodis ſuis, procul dubio eſt inſeparabilis ac indiſtinctus à dominio & proprietate, vt patet ex eius expoſitione data in quæſt. 48. At vero vſus deſtitutus iure, & libera facultate cũ

lege

lege directe fauente ipsi, & grauante in fauorem eius quosuis alios vtilitatis capaces, ideoque pēdens semper, vt sit licitus à voluntate alterius potentis pro libito reuocare licentiam, ac permissionem vtendi quoties & quousque voluerit; hoc est vsu sūptus purè passiuè ac terminatiuè comparatione iuris cui subest, seu sumptus pro nuda physica potestate licite vtendi est separabilis, atque omnino distinctus adæquate ab omni specie dominij & proprietatis. Quia videlicet vsui sic sumpto nullatenus conuenit definitio vlla alicuius veri dominij, aut iuris proprietatis, vt patet clarè ex dictis in eadem illa quæst; imo eidem repugnat clarè definitio iuris proprietatis in genere tradita in quæst 3. Nec enim talis vsus, aut potestas taliter vtendi est libera facultas munita lege fauente ipsi, & grauante alios; solum siquidem existit munita gratiosa alterius voluntate semper reuocabili, adeoque est grauata per legem in fauorem ita potentis reuocare permissionem, & impedire vsum propter solum commodum impedientis. Videantur quæ dicta sunt in illa quæst.

Constat hoc idē ex extrauagātibus Nicolai III. & Clementis V. aliorumque Pontificum decretis statuentium, vt videre est in Priuil. Minorum D. Francisci verbo *paupertas* eosdem Minores neque omnes in communi, neque singulos in particulari habere vllum dominium, aut proprietatem circa vllum genus bonorum, seu mobilium, seu immobilium, tametsi potiantur vsu licito facti tam quoad consumptionem, quā quoad distractionem per emptionem, venditionem, aliosque tractatus. Quia videlicet hæc omnia possunt dependenter à licentia

centia & consensu summi Pontificis potẽtis absque vlla iniustitia aduersus aliquod eorum ius eadem omnia illis negare, quandocumque volet.

Nec obstat Ioannem 22. In citata extrauaganti *Ad Conditorem* abdicasse à se, & à sede Apostolica dominium eorum bonorum. Quia idem dominium reassumptum iterum fuit ab alijs Pontificibus modo indicatis, vt constat expresse ex loco indicato: Nec interim mansit tale dominium apud Minores, sed apud fideles subministrantes eleemosynas, de quorum consensu implicito vel explicito semper reuocabili procedebant ad vsum sibi permissum à domino, simul renitentes constanter omni veræ proprietati, veroque dominio. Quod profectò in esse nolenti nullo pacto potest, cum essentialiter, & intrinsecè constituatur quoad suum conceptum vltimo completum per actum volendi habere rem tanquam propriam, vt dictum est quæst. 6. Itaque vsus licitus pure passiuus modo explicato est procul dubio separabilis à dominio, & ab omni specie proprietatis & iuris.

Ad 1. Doctrina illa Ioannis 22. non fuit definitiua vt Pontificis, sed merè assertiua, vt doctoris priuati. Quia controuersia erat de puncto iuris, & non de re dogmatica. Probabile deinde est, quod dicunt Lessius & alij, eam quæstionem inter Ioannem & defensores causæ Minorum, fuisse solum de voce. Quod est facile, dum agitur de rebus habentibus magnam inter se affinitatem quoad exteriorem ac sensibilem per se operandi modum, atque differentia reuocatur ad conceptus quidditatiuos, quorum est facilis æquiuocatio cum proprietate, separabili quidem absolutè, sed quæ rarò

separetur, cuiusmodi est potestas vtendi licitè aliqua re comparatione dominij ac proprietatis circa eandem.

Ad 2. Discrimen quoad exteriorem operandi modum pro vt exercetur de facto à vero domino, & non domino vsus sibi liciti, & rei qua vtitur vix apparet vllum; fieri tamen potest voluntate domini, vt sit manifestissimum. Quia potest, tum reuocare consensum necessarium pro vsu licito non domini tum eumdem vsum permittere, non nisi sub hac conditione, vt ipse vel aliquis eius minister adeatur toties quoties immediatè ante vsum vel saltem toties in anno ad renouandum consensum permissiuum, alijsque similibus conditionibus grauare multipliciter potest. Idque ipsum facere nequaquam potest, qui est vsuarius pure passiuè, sed nec resistere licitè potest prædictæ veri domini voluntati aut auferenti vsum, aut grauanti vt volet. Deinde vtcumque magna sit affinitas quoad praxim exteriorem inter dominum & non dominum vsus vtrique liciti; maxima nihilominus differentia est quoad affectum, & interiorem animi dispositionem. Longè namque diuerso modo incubat animus dominantis, tam rebus quam vsibus verè suis, & inimpedibilibus ab alio operante gratia sui, atque in vtilitatem ipsius, quam ijsdē adhæreat animus non domini semper quātum est de se dispositus, vt priuetur rebus omnibus, omnique rerum omnium vsu, quoties alij libuerit præcisè quia libet alij, quacumque demum de causa libeat.

FINIS.

Errata corrige.

Pagina 10. Versu 10. determinandum, determinatum.
P. 15. v. 37. dominum. domino.
P. 17. v. 11. Præmonita. præmunita.
P. 27. v. 11. constitutiua. contristatiua.
P. 40 v. 3. necessariò. necessaria.
P. 49. v. 25. ratione. rationem.
P. 74. v. 29. quod. Triplex itaque est æqualitas quæ,
P. 76. v. 18. hoc verè. aut ferè.
P. 83. v. 22. voluntates. voluptates.
P. 92. v. 9. iustitia. tristitia.
P. 110. v. 30. qua. quia ea.
P. 136. v. 34. contrariarum. contraria.
P. 142. v. 20. nimium. minimùm.
P. 143. v. 31. rigor. vigor. v. 32. affectiuè. effectiuè.
P. 147. v. 18. oblationem. ablationem.
P. 153. v. 6. delectationis. delectantis.
P. 155. v. 18. necessitat. necessitatem.
P. 169. v. 5. &. ex. v. 25. locum. locum iustitiæ distributiuæ.
P. 172. v. 16. idem. eidem.
P. 174. v. 7. suo. vno.
P. 175. v. 1. qui. quia:
P. 184. v. 38. distinctiuum. disiunctiuum.
P. 186. v. 17. pro. per.
P. 187. v. 18. in Deo. firma in Deo.
P. 189. v. 9. ordinationem. conditionem.
P. 198. v. 9. aduersus Deum. erga nos.
P. 202. v. 10. gratia. gratiosa.
P. 207. v. 3. prædicta. prædita.
P. 211. v. 37. improprietatis. ius proprietatis.
P. 215. v. 1. eiusdem. ius eidem.
P. 217. v. 17. non. patet non.
P. 221. v. 4. immediata. immediatè.
P. 230. v. 17. iustæ. iniustæ.
P. 233. v. 19. nomine. res à nemine.

P. 37.

Errata corrige.

p. 237. v. 35. voluntarias. inuoluntarias.
p. 241. v. 37. iustitiæ. iniustitiæ.
p. 248. v. 27. efficacia. epicheïa.
p. 253. v. 6. à posteriori 1. quia. 1. à posteriori, quia.
p. 253. v. 13. propterea. præterea.
p. 253. v. 27. viri. viri boni.
p. 255. v. 11. quantitatis latius patet, & quantitatis &.
p. 259. v. 30. sequenti. frequenti.
p. 267. v. 15. quantitatis in. quantitatis grauis in.
p. 284. v. 2. commutatiuam. comutationū.
p. 288. v. 37 minoris & maioris. maioris momenti.
p. 290. v. 16. omissionis. amissionis.
p. 331. v. 29. minus. plus.
p. 330. v. 12. damni. damnificati.
p. 331. v. 20. aperte. à parte.
p. 335. v. 39. fratres minus. fratres, si vero diffundat amorem in plures aut filios aut fratres, minus.
p. 336. v. 20. depulsiuo. depulsione.
p. 368. v. 7. totum. rerum.
p. 380. v. 37 feræ. 9. feræ.
p. 368. v. 31 ea. est.
p. 387. v. 20. quoad. ad.
p. 389. v. 12. Intrinsecè &. intrinsecè iniquum &.
p. 390. v. 7. ementur. emuntur.
p. 391. v. 5. possint. possit.
p. 410. v. 25. voluntate. voluntatem.
p. 426. v. 27. multa. mutua.
p. 429. v. 12. exigatur quàm. exigatur plus, quàm.
p. 432. v. 15. ponitur fœnus, ponitur enim fœnus.
p. 439. v. 14. flexibilem. inflexibilem.
p. 456. v. 38. tractatus. contractus.

INDEX

Rerum contentarum in Quæstionibus de Iustitia.

A

B

per

tem

Filius

F

H

medio

M

N

O

digno

FINIS.

